



LIGORII

THEOLOGIA

MORALIS



2

BX1757

L6

v. 2

1832

008351



1080016028



VERITAS LIBERABIT VOS

ALERE FLAMMAM  
VERITATIS

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis



Capilla Alfonsina  
Biblioteca Universitaria

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BEATI ALPHONSI LIGORII,

OLIM EPISCOPI S. AGATHÆ GOTHORUM,

ET RECTORIS MAJORIS CONGREGATIONIS  
SS. REDEMPTORIS;

THEOLOGIA MORALIS,

IN COMPENDIUM REDACTA,

ET IN DUO VOLUMINA DISTRIBUTA;

OPERA ET INDUSTRIA

ANDREÆ GALANI PRESBYTERI,

Ad usum Theologi Candidatorum.

EDITIO PRIMA HISPANA.

VOLUMEN SECUNDUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI:

EX TYPOGRAPHIA VERGES.

Majus 1832.

45002



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

Biblioteca Universitaria


UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

BX 1757

L.6

v.2

1832



Se hallará venal en Madrid en la librería  
de Rios, carrera de San Gerónimo.



FONDO DE MATERIA  
VALVERDE Y TELLEZ

50082

INDEX

LIBRORUM, TRACTATUUM, ET CAPITUM  
SECUNDI VOLUMINIS.

LIBER IV.

De specialibus obligationibus uniuscujus-  
que Status.

TRACTATUS I.

De Statu Religioso.

CAPUT I. De natura, & obligationibus sta- tus Religiosi.....	Pag. 1
CAP. II. De votis Religiosis.....	6
CAP. III. De iis, qui possunt ingredi Religio- nem, & de Apostatis, & ejectis.....	18

TRACTATUS II.

Da Statu Clericorum..... 25

CAPUT I. De Beneficio Ecclesiastico.....	26
CAP. II. Quæ dotes requirantur in eo, cui Beneficium confertur?.....	33
CAP. III. Quot modis Beneficia amittantur?	41
CAP. IV. De Horis Canonicis.....	45
CAP. V. De dispositione fructuum Beneficio- rum.....	62
CAP. VI. De aliis obligationibus Clericorum	65

008351

## TRACTATUS III.

*De Officio Judicis, Advocati, & aliarum personarum ad iudicium spectantium.*

CAP. I. De potestate, & officio Judicis....	67
CAP. II. De Officio advocati.....	73
CAP. III. De Officiis Referentis, Secretarii, Notarii, & Procuratoris.....	75
CAP. IV. De Accusatore.....	78
CAP. V. De Testibus.....	80
CAP. VI. De Reo.....	84
CAP. VII. De Medico, Chirurgo, & Pharmacola.....	90

## LIBER. V.

*De Actibus humanis, & de peccatis.*

## TRACTATUS I.

*De Actibus humanis.*

CAP. I. De natura, & divisione humanorum actuum.....	92
CAP. II. De vi, metu, & concupiscentia... ..	98
CAP. III. De libertate humanorum actuum.....	102
CAP. IV. De principiis moralitatis.....	104

## TRACTATUS II.

*De peccatis.*

CAP. I. De peccato in genere.....	108
CAP. II. De peccatis desiderii, & delectationis.....	115

CAP. III. De distinctione peccatorum.....	119
CAP. IV. De peccato mortali, & veniali..	123
CAP. V. De peccatis capitalibus, ac nominatim de superbia, & avaritia.....	126
CAP. VI. De aliis quinque peccatis capitalibus.....	129

## LIBER VI.

*De Sacramentis.*

## TRACTATUS I.

*De Sacramentis in genere.*

CAP. I. De natura Sacramenti novæ legis..	137
CAP. II. De necessariis, ut Minister licite conficiat Sacramentum.....	143
CAP. III. De suscipiente Sacramentum.....	154

## TRACTATUS II.

*De Baptismo, & Confirmatione.*

CAP. I. De baptismi essentia, & conditionibus.....	159
CAP. II. De ministro Baptismi.....	168
CAP. III. De suscipiente baptismum.....	170
CAP. IV. De effectibus baptismi, & ritibus ab Ecclesia præscriptis.....	177
CAP. V. De Sacramento Confirmationis....	181
CAP. VI. De Ministro Confirmationis, & subjecto ejusdem.....	187

## TRACTATUS III.

## De Eucharistia.

CAP. I. De natura, & essentia Eucharistiae.....	190
CAP. II. De Ministro, & subjecto Eucharistiae.....	202
CAP. III. De corporis dispositionibus ad Eucharistiam, & de ipsius effectis.....	211
CAP. IV. De Missæ Sacrificio.....	216
CAP. V. De violatione Ecclesiæ, reconciliatione, & execratione.....	224
CAP. VI. De Missæ applicatione, & stipendio.....	229
CAP. VII. De iis, quæ ad celebrandum requiruntur.....	239

## TRACTATUS IV.

## De Sacramento Pœnitentiæ.

CAP. I. De essentia Sacramenti Pœnitentiæ.....	246
CAP. II. De Contritione.....	251
CAP. III. Reliqua de dolore, & proposito.....	266
CAP. IV. De Confessione.....	283
CAP. V. De Satisfactione.....	297
CAP. VI. De Satisfactione per indulgentiam.....	311
CAP. VII. De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.....	318
CAP. VIII. De peccatorum reservatione.....	324
CAP. IX. De Sigillo Confessionis.....	336
APPENDIX. De Sollicitatione.....	345

## TRACTATUS V.

## De Extrema Unctione, &amp; Ordine.

CAP. I. De Sacramento Extremæ unctionis.....	361
CAP. II. De Sacramento Ordinis.....	368
CAP. III. De Ministro Ordinis.....	373
CAP. IV. De iis, quæ in Ordinando requiruntur.....	376

## TRACTATUS VI.

## De Sacramento Matrimonii.

CAPUT. I. De Sponsalibus.....	370
CAP. II. De dissolutione sponsalium.....	380
CAP. III. De natura matrimonii secundum se.....	386
CAP. IV. De usu matrimonii.....	393
CAP. V. De cohabitatione, & divortio conjugum.....	400
CAP. VI. De impedimentis Matrimonii, & præsertim de impedientibus tantum.....	409
CAP. VII. De impedimentis matrimonium dirimentibus.....	414
CAP. VIII. De revalidando matrimonio, & impedimenti dispensatione.....	433

## LIBER VII.

De Censuris Ecclesiasticis, &amp; irregularitate.

## TRACTATUS I.

De Censuris in genere.

- CAP. I. Quid & quotuplex est censura, & quis, & in quos eam ferre possit. . . . . 444  
 CAP. II. De absolute a censuris. . . . . 455

## TRACTATUS II.

De Censuris in particulari.

- CAP. I. De Excommunicatione. . . . . 464  
 CAP. II. De Excommunicationibus reservatis. . . . . 480  
 CAP. III. De Suspensione, degradatione, ac depositione. . . . . 490  
 CAP. IV. De interdicto. . . . . 496  
 CAP. V. De Irregularitate in genere. . . . . 502  
 CAP. VI. De irregularitatibus ex delicto. . . . . 508  
 CAP. VII. De irregularitatibus ex defectu. . . . . 515  
 APPENDIX De damnatis ab Ecclesia propositionibus. . . . . 525  
 Decreta Apostolica ad mores spectantia in compendium redacta. . . . . 545



## LIBER IV.

DE OBLIGATIONIBUS SPECIALIBUS UNIUSCUIUSQUE STATUS.

## TRACTATUS PRIMUS.

DE STATU RELIGIOSO.

## CAPUT PRIMUS.

De natura, &amp; obligationibus Status Religiosi.

1. *Quest. 1.* Quid est status Religiosus? R. est stabile, & perpetuum vivendi institutum, ab Ecclesia approbatum, tendens ad Christianam perfectionem per vota perpetuæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ. Hinc ad essentiam Religionis tria requiruntur; 1. est Ecclesiæ approbatio; licet enim ordines regulares olim ab Episcopis adprobari possent, postea tamen in Conc. Lateranensi sub Innoc. III. statutum est, ne nova institueretur Religio, nisi a Rom. Pontifice confirmata. 2. tria vota substantialia, quæ tamen non est necesse, ut sint solemnia, sed possunt esse tantum simplicia, ut declaravit Greg. XIII. in Bulla *ascendente Domino*. Denique traditio, facta Superiori, qua quis se Deo consecrat in perpetuum sub regula ab Ecclesia approbata. Unde non sunt Religiosi, qui edito voto perpetuo.

Tom. II. 1



## LIBER VII.

De Censuris Ecclesiasticis, &amp; irregularitate.

## TRACTATUS I.

De Censuris in genere.

- CAP. I. Quid & quotuplex est censura, & quis, & in quos eam ferre possit..... 444  
 CAP. II. De absoluteione a censuris..... 455

## TRACTATUS II.

De Censuris in particulari.

- CAP. I. De Excommunicatione..... 464  
 CAP. II. De Excommunicationibus reservatis..... 480  
 CAP. III. De Suspensione, degradatione, ac depositione..... 490  
 CAP. IV. De interdicto..... 496  
 CAP. V. De Irregularitate in genere..... 502  
 CAP. VI. De irregularitatibus ex delicto.. 508  
 CAP. VII. De irregularitatibus ex defectu.. 515  
 APPENDIX De damnatis ab Ecclesia propositionibus..... 525  
 Decreta Apostolica ad mores spectantia in compendium redacta..... 545



## LIBER IV.

DE OBLIGATIONIBUS SPECIALIBUS UNIUSCUIUSQUE STATUS.

## TRACTATUS PRIMUS.

DE STATU RELIGIOSO.

## CAPUT PRIMUS.

De natura, &amp; obligationibus Status Religiosi.

1. *Quest. 1.* Quid est status Religiosus? R. est stabile, & perpetuum vivendi institutum, ab Ecclesia approbatum, tendens ad Christianam perfectionem per vota perpetuæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ. Hinc ad essentiam Religionis tria requiruntur; 1. est Ecclesiæ approbatio; licet enim ordines regulares olim ab Episcopis adprobari possent, postea tamen in Conc. Lateranensi sub Innoc. III. statutum est, ne nova institueretur Religio, nisi a Rom. Pontifice confirmata. 2. tria vota substantialia, quæ tamen non est necesse, ut sint solemnia, sed possunt esse tantum simplicia, ut declaravit Greg. XIII. in Bulla *ascendente Domino*. Denique traditio, facta Superiori, qua quis se Deo consecrat in perpetuum sub regula ab Ecclesia approbata. Unde non sunt Religiosi, qui edito voto perpe-

Tom. II. 1

tuae castitatis, obedientiam vovent Confessario; cum ita non subiciantur jurisdictioni spirituali, quæ a Deo per ejus Vicarium oriri debet.

2. *Quæst. 2.* An Religiosus ad Episcopatum assumptus maneat a votis absolutus? Quæstio non est de voto Castitatis, quo certe obstrictus remanet ratione Ordinis. Quoad alia, affirmant aliqui cum Soto, Medina, & Vazquez, probantque ex *Can. statutum 18.* ubi dicitur; *Monachus, quem Canonica electio a jugo Regulæ Monasticæ professionis absolvit, & sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit* cet. Quæ tamen verba de solis effectis, non de ipsa votorum substantia intelligunt communiter DD. Theologi, qui docent cum S. Th. eos non absolvi a votis, nisi in quantum ipsorum observatio repugnat muneri Episcopali. Ratio autem est, quia Religiosus, factus Episcopus, manet Religiosus ut fatentur omnes, & satis ostendit ipsa obligatio deferendi habitum ex *c. Clerici de vita, & bon. Cleric.* ergo manet obstrictus votis, quæ sunt de essentia religionis. Accedit, talia vota, cum sint personalia, comitari personam ipsam, quantum novus ejus status id ferat. Ita D. Th. 2. 2. q. 88. Idem habet aliis in locis, ex quibus deducitur. 1. Episcopos Regulares non posse de ullis bonis testari. 2. non posse bona Ecclesiæ libere impendere, nisi ad sui, & familiæ suæ sustentationem, & ad eleemosynas, & alios pios usus.

3. Et quanquam obedire Prælati non teneantur, nec ad observandam Regulam sui ordinis, nec peccent, illam transgredientes; ex quâdam tamen honestatis ratione debent se illi

conformare, quod vitæ Episcopalis ratio permittat. Ab aliis autem votis Ordinis sui, præter substantialia, omnino liberi sunt, ut notant Salmant. & alii. Atque id quod de Religiosis Episcopis dictum est, intellectum volumus de Abbatibus, primam Diocesim habentibus cum jurisdictione Episcopali. Non ita se res habet in Regularibus ad Parochos assumptis; hi enim & tenentur gestare vestem Religiosam, & servare Regulam in omnibus, quæ cum ipsorum munere stare possunt. Alicubi tamen consuetudo obtinuit, ait Laymanus, ut in rebus ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus, & in plerisque aliis soli Episcopo subiciantur.

4. *Quæst. 3.* Quænam requirantur conditiones, ut professio religiosa sit valida? R. tres: 1. est aptitudo voventis, scilicet ut decimum sextum ætatis annum expleverit, annumque integrum probationis exegerit, nec ullum habeat substantiale impedimentum, ut Ordinem profiteatur. Quoad moniales autem Tridentinum statuit, ut non suscipiant vestem Regularem ante 12. annum completum. Exploranda est etiam voluntas puellarum ab Episcopo, vel ejus delegato, etiam in Monasteriis exemptis; quæ tamen conditio obligat quidem sub gravi, sed omnino necessaria non est ad valorem professionis. 2. conditio est mutuus consensus tum subditi voventis, tum Prælati acceptantis, idque fit communiter cum approbatione majoris, vel præcipuæ partis Communitatis secundum cujusque Ordinis statuta. 3. est, ut professio fiat omnino libere, & sponte, nullo cogente gravi metu

etiam reverentiæ, nec importunis precibus, & blanditiis; hæc enim omnia, vel singula, attenta personæ conditione, possunt metum incutere, & irritare professionem. Professus autem intra quinquennium potest reclamare, ut nullam probet professionem suam, secus vero elapso quinquennio post pacificam professionem. Causæ autem nullitatis agnosendæ sunt a Prælato regulari, & simul ab Ordinario pro viris; pro feminis a solo ordinario, si monasterium sit ipsi subjectum; si vero sit exemptum, ab Ordinario simul, & Prælato Regulari. Vide alia in Bulla Bened. XIV. quæ incipit. *Si datam hominibus.*

5. *Quæst. 4.* Ad quid teneatur Religiosus vi suæ professionis? R. teneri ad progrediendum aliquo modo in via perfectionis, licet non teneatur esse perfectus. Porro debet studere perfectioni propriæ sui status 1. per vota substantialia. 2. per alia præcepta Ordinis sui peculiaria. 3. per custodiam suæ regulæ. Quando autem graviter peccaret Religiosus contra obligationem tendendi ad perfectionem, non eodem modo ab omnibus explicatur. Certum est, graviter peccare, qui ex contemptu transgreditur regulas, etiamsi levem, aut nullam culpam per se inducentes. S. Th., Suarez, & omnes communiter. Certum item est, eum graviter peccare, si suo exemplo aliis sit scandali occasio, & inducat ad relaxationem. 3. si apud se statuatur nullo modo curare perfectionem, cum ex vi professionis teneatur servare suum statum.

6. An autem graviter peccet Religiosus, qui velli quidem servare vota, & præcepta sub gra-

vi obligantia, ceteras autem regulas, & consuetudines non curet, sed libere transgrediatur? Prima sententia satis probabilis affirmat, quia ipsum propositum non curandi de regulis secum fert virtuales ipsarum contemptum. Secunda tamen communior sententia negat cum Suarez, Valent. & S. Th. quæst. 168. art. 9. ubi mortalis peccati solum damnat Religiosum, cum ex contemptu regulam transgreditur, vel agit contra regulam, aut Prælati expressum præceptum obligans, ut intelligitur, sub gravi. Nam Religiosus paratus servare præcepta, quæ respectu aliorum fidelium non sunt nisi consilia, aliquo modo videtur tendere ad perfectionem. Nec obligatio ad procurandam perfectionem inducit novam obligationem præter illam, quam secum ferunt media, seu instrumenta sui ordinis; scilicet gravem, si media, sint vota, aut gravia præcepta, & levem, si sint consilia aut regulæ leviter obligantes.

7. Notant tamen DD. eum, qui ita paratus sit, ex aliis capitibus raro a gravi peccato excusandum, tum propter periculum transgrediendi vota substantialia, tum ratione scandali, tum propter damnum ordini suo imminens ex disciplinæ relaxatione. Notant pariter gravis culpæ reum fore Prælatum, qui ita negligat corrigere leves culpas, ut ex ejus negligentia oriatur gravis relaxatio. Unde teneri subditorum defectus in commune damnum vergentes non solum punire, sed etiam inquirere, ut docet S. Th. 2. 2. q. 33. a. 2. ad 4. prudenter tamen, & absque nimia solitudine, plura dissimulans, & pauca

castigant, ut ait S. Bernardus lib. de Consid.

## CAPUT II.

### De Votis Religiosis.

8. *Quæst. 2.* Ad quid teneatur Religiosus ex voto paupertatis? R. nihil habere proprium, hoc est, non habere dominium, vel certe liberam facultatem circa bona temporalia, ut constat ex c. *Non dicatis* 12. q. 1. c. *monachi*. Itaque religiosi solemniter professi se abdicarunt omni dominio rei cujusque temporalis, & cujuscumque juris ad illud, & facultate utendi re quilibet pretio æstimabili, sine permissione Superioris. Retinent autem jus, & dominium bonorum spiritualium, honoris, famæ, & similium, uti & jus eligendi, præsentandi, conferendi regulare beneficium, ut docet S. Th. 2. 2. q. 186. art. 7. In iis autem Religiosis, qui solemniter vota nondum emiserint, manere potest dominium rerum temporalium, ut vocant radicale, non tamen jus actuale de illis pro suo arbitrio utendi, in cujus abdicacione essentia religiosæ paupertatis consistit.

9. Profecto non repugnat voto paupertatis, Religiosos habere bona in communi, sive mobilia, sive immobilia, ut declaravit Trid. Sess. 25. de Reg. An autem privatus Regularis possit habere peculium cum facultate superioris, res est utrinque controversa. Sunt qui negent illud esse licitum tum ex jure antiquo, tum ex jure novo Trident. utpote repugnans essentia paupertatis.

Alii concedunt, vetitum quidem jure antiquo non esse, sed esse prohibitum a Trid. Ita Suarez T. 3. de Relig. Tr. 8. c. 14. Vazquez, Salmant. & alii. Nemo tamen acrius adversus peculia invehitur, quam P. Concina in opusculo de *Disciplina Apost. Monast.* ubi Regulares, vel minimum peculium habentes vocat filios iræ, filios perditionis, cet. Jam vero fundamentum præcipuum hujus sententiæ sunt verba Trid. Sess. 25. c. 2. de Regul. *Nemini igitur Regularium tam virorum, quam mulierum liceat ... tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, & tenere, sed statim Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conventuum ad solos Officiales eorundem, ad nutum Superioris amovibiles, pertineat. Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, & cet.*

10. Quibus Concilii verbis videtur omnino Religiosis interdictum habere peculium stabile, nec posse Superiores concedere subditis facultatem hujusmodi. Nihilominus alii censent hoc decreto nihil novi juris esse statutum, sed confirmatum esse jus antiquum, quo Regularibus prohibetur libera peculii administratio absque facultate Superioris, & Superior illam dare prohibetur sine justa causa, & cum debita dependentia, in qua stat tota essentia paupertatis. Hæc mihi interpretatio non placet, licet gravibus aliisq;

probetur DD. Verum ratione consuetudinis, quæ hodie viget in multis Ordinibus, puto, rigorem Concilii ita esse usu temperatum, ut liceat, saltem, in Monasteriis non reformatis, permittente Superiore, peculium habere ad usus honestos, modo Religiosi sint parati bona a se abdicare ad nutum Superioris, si tamen illis aliunde subveniatur juxta regulæ consuetudinem; alias non tenentur dimittere. Hac ratione Card. Bellarminus excusavit Moniales, quæ ex consuetudine legitime præscripta vitam communem non observant, ut refert Milante. Et quoad bona mobilia confirmavit Clem. VIII. an. 1602. & in suo Brevi Innoc. XI. 1661.

11. *Quæst. 2.* An, & quando peccet Religiosus contra votum paupertatis? R. in univ-  
sum loquendo, contra paupertatem peccat Religiosus, qui dat, accipit, vel vitur quacumque re temporali absque facultate tacita, vel expressa Superioris. Nihil enim habere, vel tractare potest tanquam proprium, hoc est pro libito, & arbitrio suo absque novitia, & permissione Prælati. Constat, ex Tridentini verbis nuper allatis, & ex usu Ecclesiæ. Constat item ex jure Can. Nam Innoc. III. c. 6. de statu Monach. ait: *prohibemus districte in virtute obedientiæ, sub obtestatione divini judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat, cet.* Et S. Aug. ep. 109. *non dicatis aliquid proprium sed sint vobis omnia communia... Quod si aliqua (monialis) rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.* Hinc pariter peccat contra votum paupertatis Religiosus, qui rem in alios usus expendit,

quam sibi premissos, aut rem destruit, vel amittit per gravem negligentiam, cum solum habeat usum rei, eumque precarium, quoad, & quomodo Superiori videatur.

12. Peccaret item, si quid absconderet, ut illud liberæ Superioris dispositioni subduceret. Nec Procurator, Œconomus, administrator, aliasve inferior Prælati quicquam potest expendere, nisi juxta id, quod statuta, vel consuetudo ordinis, vel voluntas Superioris postulant. Nec vero Prælati potest dare subditis facultatem aliquid expediendi, nisi in usus utiles, & honestos, alioquin nulla foret facultas, & restitutioni obnoxia. Nam superior non est dominus, sed administrator bonorum Monasterii, nec aliam in ea habet potestatem, quam eam, quam ordo ipsi, & Canones concedunt, a quibus expresse prohibentur omnia superflua, ex Clem. 1. *de statu Mon.* Quod si Prælati det generalem subdito licentiam ad expendendam aliquam pecuniæ summam, ille nequit expendere nisi in usus honestos; si vero consumat in re turpi, aut superflua, non modo peccat contra paupertatem, sed tenetur ad restitutionem. Ita communis, & probabilior sententia, quæ in Superiore non agnoscit ullam potestatem permittendi usum pecuniæ, nisi restrictum ad honestos usus. Sunt tamen qui a restitutione excussent tam dantem, quam accipientem, validamque ceaseant donationem, sed illicitam. Ita Lugo cum Bannez, Suarez, aliisque TT.

13. *Quæst. 3.* Quenam quantitas requiratur ad peccatum grave contra paupertatem?

R. communis sententia docet, eam quantitatem, quæ reddit furtum grave, reddere grave peccatum in materia paupertatis, & facere sacrilegium, & furtum contra justitiam. Qui enim de re temporali sine facultate disponit, usurpat rem alienam, vel ejus usum, invito domino, vel administratore, qui vices gerit Domini, nempe Monasterii. Nam ut ait S. Basilius in Const. Mon. c. 34. *Furtum est privata possessio ... Societatis enim expilatio est rei cujuscumque, & undecumque in privatum usum revocatio.* Hinc Religiosus, qui sæpius minuta furta committit, reus est peccati gravis, cum ista furta ad gravem pertingunt quantitatem, si ea acceperit cum animo perveniendi ad materiam gravem, aut eam se attigisse animadvertat, ut de furto dictum est. Quamquam Salmant. & alii majorem in his furtis minoribus requirunt quantitatem, ut magna censeatur. Imo in rebus esculentis censent, ea minuta furta non evadere mortale peccatum ex præsumpta Superiorum tolerantia; nisi a Religioso reserventur, aut sint de re pretiosa, & extraordinaria, vel cum gravi Coenobii detrimento, ut notat Suarez. Vide hic nostrum Auctorem, diversas opiniones de isto argumento explanantem.

14. *Quæst. 4.* Quando intelligatur tacita Prælati licentia, excusans a peccato? R. 1. cum Prælati sciens subditum aliquid accipere, retinere, aut expendere, non prohibet, cum facile possit. 2. cum in aliquo ordine viget consuetudo accipiendi res aliquas sine facultate Prælati, isto non reclamante. 3. cum Prælati donat sub-

dito, vel donari permittit imagines, rosaria, vel quid simile, sciens, eis ad proprium usum non indigere, præsumitur dare simul facultatem aliis distribuendi. Monet tamen Lessius, id non præsumendum nisi in rebus minimi momenti, præsertim in domibus, ubi viget disciplina. Porro licentia præsumpta, & interpretativa non habet locum, nisi cum res urget, & Superior est absens. Addit autem Suarez, subditum ita accipientem debere postea, si commode possit, rem Prælato manifestare, ut deinde licite possit eam retinere.

15. An autem peccaret graviter Religiosus, rem accipiens, vel alienans ex sola facultate præsumpta, vel interpretativa Superioris, acriter controversatur. Certum est, 1. eos ut plurimum a veniali culpa non esse liberos, si superior adiri possit; ille enim invitus est saltem quoad modum. 2. has licentias non esse facile præsumendas, nisi habeatur certitudo quædam moralis, quæ quidem raro, aut nunquam habetur in rebus magni momenti. 3. non omnia, quæ a Prælati non prohibentur, ab ipsis tacite approbari, cum sæpe cogantur tolerare plura, quæ ipsis displicent, ob timorem quærelarum, aut alterius gravioris mali. His positis, DD. a gravi culpa excusant subditum de re aliqua libere utentem, si voluntas Superioris præsumatur de præsentibus, ex voluntate actuali, vel virtuali ipsius. Imo secundum alios graviter non peccabit, si noverit Superiorem ita esse affectum erga ipsum, ut si rem sciret, libenter facultatem concederet, aut certe non repugnaret. Nihilominus

Sanchez, Lugo, Salmantic. alique docent, peccari contra votum paupertatis ab eo, qui utitur re aliqua ex sola præsumpta licentia de futuro, scilicet, præsumendo, quod superior annueret, si sciret; sicut in aliis rebus, v. g. ad excipiendas Confessiones, vescendum carnibus die vetito, non satis est facultas, quæ daretur, sed opus est, ut re ipsa detur. Nec Superior dici tunc potest invitus quoad modum tantum, sed etiam quoad substantiam, ut ait Lessius; tenetur enim ex officio cavere, ne subditi rem arbitrio suo disponant ante petitionem, & obtentam facultatem, cum id exigat ordo disciplinae.

16. Hæc quidem illi probabiliter: contraria tamen sententia mihi videtur æque, vel magis probabilis, eique adhærent Navarrus, Toletus, Suarez, Holznan, estque expressa D. Th. in 4. d. 15. q. 4. docentis, *non esse proprietarium Religiosum, qui donat aliquid, spem ponens in rati- habitatione Prælati*. Ratio est, quia voto paupertatis solum repugnat rei dispensatio, facta nomine proprio, & a Superiore independens, qualis certe dici nequit ea, quæ fit ex præsumpta ejus facultate. Sic ex lib. 26. §. 7. de furto constat, non esse reum furti, qui accipit aliquid, probabiliter putans Dominum consensurum, si resciret. Nec obstant allata nuper exempla, in quibus agitur de valore Confessionis, & de potestate vescendi carnibus, quæ requirunt actua- lem jurisdictionem, & dispensationem; at in nostra hypothesi honestas actionis non pendet ex valore ejus, alias non sufficeret virtualis, &

tacita licentia Superioris, ut non sufficit ad va- lorem absolutionis.

17. Notanda hic aliqua, scitu necessaria: 1. Licet non possit Religiosus nec testari, nec do- nare, nec remittere sibi debita, vel legata, quo- rum jus acquirit Monasterium, potest tamen re- cusare munera sibi oblata, cum votum non obli- get ad acquirendum: peccare tamen potest con- tra charitatem, impediendo bonum sui Ordinis, præsertim si monasterium sit pauper. 2. Religio- sus extra claustra vivens potest ad libitum suum in usus honestos expendere quicquid illi superest ex victu, & vestitu, quando certa sibi quantitas designatur; secus vero si omnia sibi a Monaste- rio necessaria suppeditentur, nulla certa definita quantitate. In multis tamen Monasteriis permit- tit consuetudo Religiosis, partem victus illis des- ignati erogare pauperibus, vel amicis pro suo arbitrio. 3. in his, quæ ad paupertatem spectant, habenda est ratio consuetudinis uniuscujusque Ordinis; quod enim in uno permittitur, in alio sæpe reprobatur; in strictioribus autem non ad- mittuntur facultates quædam generales, & taci- tæ, quæ in aliis mitigatis tolerantur.

18. *Quæst. 5.* Ad quid obliget votum Casti- tatis? R. ad abstinendum ab omni actione, & delectatione venerea, tum interna, tum externa voluntaria. Itaque peccans Religiosus in re ve- nerea, duo peccata committit, alterum luxuriæ, alterum sacrilegii, utrumque in Confessione ex- primendum.

19. *Quæst. 6.* Ad quid teneatur Religiosus ex voto obedientiæ? R. Inter vota religiosa præci-

puum est obedientia, nam ut ait D. Th. 2. 2. q. 104. *sine hoc voto nemo religiosus erit, sub hoc cadunt omnia alia vota.* Quare in nonnullis ordinibus Religiosus profitetur sub hac formula: *voveo obedientiam secundum regulam*, in qua alia vota continentur. Hinc omnis Religiosus ex vi suæ professionis tenetur parere Superiori in omnibus, quæ sunt secundum regulam, hoc est, ut D. Th. explicat, in his, quæ continentur in regula, & in his, sine quibus impleri nequeunt in regula contenta; ut etiam in pœnis a Superiore inflictis propter peccata contra regulam. In quibus transgrediens mandatum Prælati peccat graviter, si Prælati intendat graviter obligare: exprimitur autem talis mens Superioris, cum præcipit in nomine J. Christi, vel in virtute S. obedientiæ, vel sub pœna peccati mortalis, aut Excommunicationis. Dum aliter præcipit, ejus mandatum solum obligat sub veniali nisi alias, res, quæ jubetur, sit materia gravis præcepti, vel voti Religiosi.

20. Subditus autem parere non tenetur in iis, quæ sunt contra regulam, nisi forte Superior possit ex juxta causa dispensare; nec in iis, quæ sunt supra regulam, ut si præcipiat extraordinarias, & magnas corporis macerationes, acceptare Episcopatum, seu Beneficium curatum, vel simplex, pergere ad terras infidelium cum manifesto periculo vitæ, aut libertatis amittendæ, & similia. Tenetur tamen acceptare munus intra Ordinem, si Prælati præcipiat, etiamsi præcesserit pactum in contrarium; quia hoc pactum rejicitur tanquam turpe. Denique non tene-

tur obedire in iis, quæ sunt infra regulam, ut si præcipiat vana, & inutilia, nisi ipsa causa obedientiæ exercendæ reddat utilia. Si dubitet, an res præcepta sit honesta, necne, dubitatione deposita, tenetur obedire, ut docet communis, & certa fere omnium sententia, & constat ex jure Can. c. *si quid culpatur*, & ex glossa in c. *ad aures* 6. de temp. Ordin. v. *obedientia*. Et confirmatur ex S. Bernardo de pr. & disc. c. 12. dicente, *quicquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus.* Idem habent B. Ubertus, Dionysius Carthusianus, S. Bonaventura, S. Ignatius a Loyola, & alii.

21. *Quæst. 7.* An Prælati possit subditum obligare, ut assistat ægrotis morbo contagioso infectis? R. id posse, si pertineat ad bonum commune ordinis; proindeque, si ægroti sint in eodem monasterio, aut si extra monasterium deesset omnino, qui ipsos Sacramentis Ecclesiæ muniret. Potest enim præcipere actus internos, qui cum externis quodammodo sunt connexi, & in eis cum interiore resignatione est obediendum. Hinc ab Innoc. XI. damnata est hæc propositio Michaelis de Molinos: *Præpositis obediendum est in exterioribus, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo exterius pertingit. In interioribus vero aliter res se habet, quo solus Deus, & director intrant.*

22. *Quæst. 8.* An peccans contra regulam, agat etiam contra obedientiam? R. affirm. si regula obliget sub peccato, cum non minus sit præcipiens, quam vox Superioris, nec minus se



submiserit subditus ad obediendum regulæ præcipienti, quam Prælato. Itaque si regula obligat sub gravi, ejus transgressio erit sacrilegium contra votum. Quod si regula sub nullo peccato, ne veniali quidem obliget, transgrediens regulam non peccat contra votum obedientiæ, quia tantum est ordinatio quædam, sive monitum ad pœnam obligans. Notat autem Suarez, regulæ transgressionem, nisi justa causa, aut inadvertentia excuset, raro veniali culpa vacare ob negligentiam, torporem, aliumve animi affectum minus rectum, qui solet intercedere. Imo peccabit mortaliter, qui ita ex consuetudine regulam transgrediatur, ut religiosam disciplinam graviter perturbet.

23. *Quæst. 9.* An Religiosi obedire teneantur Prælato reformanti regulam collapsam? R. si ea per antiquam, & legitimam consuetudinem laxata sit, licet primi peccarint inducentes consuetudinem, alii vero qui inductam sectantur, nec peccant, nec tenentur eam in strictiori forma observare. Quid vero si Regula instauretur a Generali Capitulo? Ei obedire Professi tenentur juxta Suarezium, Salmant. & alios, quia dum Religiosus proficitur, regulam, eam proficitur, ut primitus instituta: unde saltem parati esse debent ad eam servandam, quando de ea restauranda tractatur. Excipiunt tamen, nisi Religiosus dum professus est, expresse noluerit se obligare, nisi ad regulam ita relaxatam. Alii vero multi non minus probabiliter, ut ait Tournely, docent, Religiosus ad id non teneri, nisi reformatio esset necessaria ad conservationem Ordinis, vel quia pauci absque

illa ad perfectionem Religiosam pervenire student, vel quia laicis, & externis sunt gravi scandalo. Ratio illorum est, quia Religiosus professionem emittens, potius censetur regulam profiteri juxta præsentem statum, quam juxta pristinum institutum. Id tamen non tollit, quominus Prælatus ob aliquam publicam necessitatem possit imponere novam austeritatem, aut Orationes; imo & condere nova statuta possunt Superiores, quando necessaria sunt, ut vota essentialia, & alia Religionis statuta serventur.

24. *Quæst. 10.* Quale peccatum committat, qui votum obedientiæ frangit? R. duplex, alterum sacrilegii contra Religionem, alterum inobediendiæ contra votum. Ita Suarez cum communi sententia contra aliquos, qui solum volunt unum committi peccatum scilicet inobediendiæ ratione voti. Ubi nota, graviter peccare contra obedientiam, qui non vult Superiori obedire, etiam in re levi ex contemptu formali, qui secum fert gravem irreverentiam in potestatem legitimam, & redundat in Deum, cum ipse dixerit: *qui vos spernit, me spernit.* Erit autem formalis contemptus, & grave peccatum, si Superiori præcipienti quamvis non sub præcepto, respondeat subditus: *nolo parere, vel non facere,* atque idem affirmat Lugo, si præcipiens sit Vicarius, vel secundus Superior, vices gerens principalis.

25. An teneatur quis obedire, si dubitet, num qui præcipit, sit legitimus Superior? Distinguendum est: Nam si ille sit in possessione, obediendum est, secus vero, si de possessione non constet. In dubio autem, an præceptum sit imposi-

rum, tenetur subditus inquirere, si commode possit; quod si rem non possit certo scire, non est obligatus ad obediendum, quia possidet libertas certa contra præceptum incertum. Contra vero Subditus obedire debet Prælato, cum constat de præcepto, sed dubitatur de ipsius valore, vel honestate, vel de abrogatione, quia tunc possidet præceptum, & legitime potestas Superioris. Limitant DD. quando ex altera parte est ratio prudens dubitandi de valore præcepti, & ex altera res præcepta valde difficilis est, & incommoda, aut quæ fieri nequit sine periculo vitæ, famæ, vel honoris. Plura hic noster auctor disserit de obediencia Monialium, electione Abbatissæ, & privilegiis Religiosorum, quæ apud ipsum legere potes.

### CAPUT III.

*De iis, qui possunt ingredi Religionem,  
& de Apostatis, & ejectis.*

26. *Quest. 1.* Quinam ingredi possunt Religionem? R. ii tantum, qui sunt sui juris, nec aliis sunt obstricti; qui vero sunt aliis obstricti non possunt nisi cum eorum consensione. Unde filii impuberes Religionem ingredi nequeunt sine parentum, aut tutorum permissione, nec servus sine consensu domini. Nec qui decepit virginem sub promissione matrimonii; nec conjuges post consummatum matrimonium, nisi vir ante bimestre completum per vim consummasset, aut alter

conjugum comisisset adulterium; tunc enim innocens ingredi potest.

27. *Quest. 2.* An filius ingredi possit Religionem, si Parentes sint in egestate, vel alia necessitate? R. si necessitas extrema sit, vel gravis, eique subvenire possit manens in sæculo, ad id tenetur, etiam si votum religionis emiseric, cum insitet naturale præceptum, cui opera consilii cedere debent, atque etiam votum, quod debet esse de re meliori; non esset autem opus melius, imo nec bonum, ingredi Religionem in gravi necessitate Parentum. Secus autem dicendum, si necessitas sit tantum ordinaria, & communis, ita ut sine filii vivere quidem possint, licet non ita commode, & honorifice. Ita D. Th. quodl. 10. art. 9. & cum eo TT. omnes. Quod si filius Religionem solemniter sit professus, Parentibus extrema necessitate pressis, tenetur egredi, ut illis subveniat, nisi manens in claustris aliter possit eis subvenire. Si necessitas autem sit gravis, sunt qui velint, eum teneri ad Religionem deserendam, cum votum non extinguat obligationem naturalem filii erga parentes. Alii cum Suariorio id concedunt, cum necessitas antecedit professionem, quia obligatio prius contracta non extinguitur per professionem. Probabilior tamen sententia negat eum teneri, aut posse egredi sine Prælati licentia, quia professus se se tradidit potestati Religionis, adeoque absque ejus facultate non potest se subtrahere. Ita S. Anton. & D. Thomas; tenetur tamen, salva Prælati obedientia, omnia adhibere media, quibus Parentum necessitati provideatur.

rum, tenetur subditus inquirere, si commode possit; quod si rem non possit certo scire, non est obligatus ad obediendum, quia possidet libertas certa contra præceptum incertum. Contra vero Subditus obedire debet Prælati, cum constat de præcepto, sed dubitatur de ipsius valore, vel honestate, vel de abrogatione, quia tunc possidet præceptum, & legitime potestas Superioris. Limitant DD. quando ex altera parte est ratio prudens dubitandi de valore præcepti, & ex altera res præcepta valde difficilis est, & incommoda, aut quæ fieri nequit sine periculo vitæ, famæ, vel honoris. Plura hic noster auctor disserit de obediencia Monialium, electione Abbatissæ, & privilegiis Religiosorum, quæ apud ipsum legere potes.

### CAPUT III.

*De iis, qui possunt ingredi Religionem,  
& de Apostatis, & ejectis.*

26. *Quest. 1.* Quinam ingredi possunt Religionem? R. ii tantum, qui sunt sui juris, nec aliis sunt obstricti; qui vero sunt aliis obstricti non possunt nisi cum eorum consensione. Unde filii impuberes Religionem ingredi nequeunt sine parentum, aut tutorum permissione, nec servus sine consensu domini. Nec qui decepit virginem sub promissione matrimonii; nec conjuges post consummatum matrimonium, nisi vir ante bimestre completum per vim consummasset, aut alter

conjugum comisisset adulterium; tunc enim innocens ingredi potest.

27. *Quest. 2.* An filius ingredi possit Religionem, si Parentes sint in egestate, vel alia necessitate? R. si necessitas extrema sit, vel gravis, eique subvenire possit manens in sæculo, ad id tenetur, etiam si votum religionis emiseric, cum insitet naturale præceptum, cui opera consilii cedere debent, atque etiam votum, quod debet esse de re meliori; non esset autem opus melius, imo nec bonum, ingredi Religionem in gravi necessitate Parentum. Secus autem dicendum, si necessitas sit tantum ordinaria, & communis, ita ut sine filii vivere quidem possint, licet non ita commode, & honorifice. Ita D. Th. quodl. 10. art. 9. & cum eo TT. omnes. Quod si filius Religionem solemniter sit professus, Parentibus extrema necessitate pressis, tenetur egredi, ut illis subveniat, nisi manens in claustris aliter possit eis subvenire. Si necessitas autem sit gravis, sunt qui velint, eum teneri ad Religionem deserendam, cum votum non extinguat obligationem naturalem filii erga parentes. Alii cum Suariorio id concedunt, cum necessitas antecedit professionem, quia obligatio prius contracta non extinguitur per professionem. Probabilior tamen sententia negat eum teneri, aut posse egredi sine Prælati licentia, quia professus se se tradidit potestati Religionis, adeoque absque ejus facultate non potest se subtrahere. Ita S. Anton. & D. Thomas; tenetur tamen, salva Prælati obedientia, omnia adhibere media, quibus Parentum necessitati provideatur.

28. *Quæst. 3.* An peccent filii Religionem amplectentes, insciis, vel invitis parentibus? R. neg. si filii pubertatis annos expleverint. Ita sancitum in Conc. Tolet X. c. ult. & in Tiburino Can. 14. Idem docent SS. Ambrosius, Hierony. Aug. Bern. & S. Th. Merito tamen animadvertunt DD. monendos esse prius parentes, eorumque consensum, & benedictionem expectandam, cum scilicet non est periculum probabile, ut ab ipsis injuste impediatur. Docet autem D. Th. 2. 2. q. 104. filios non teneri obedire parentibus circa electionem status, quæ a Deo omnino pendet. Et licet multi velint peccare filium, qui matrimonium contrahit, inconsultis parentibus; circa vocationem tamen Religiosam nec tenetur, nec vero expedit, ut plurimum loquendo, quia parentes ob proprium commodum mutantur in hostes, ut ait D. Th. & malunt perire cum filiis, quam salvari sine eis, ut dolet S. Bern. *op. 3.*

29. Nota, Parentes non posse Religionem ingredi, cum filios in gravi necessitate deserunt, vel si nequeant aliter eorum curæ, & educationi providere. S. Th. loco supra cit. Possunt tamen eos in sæculo relinquere, si emancipati sint, nisi aliunde gravi necessitate laborent. Fratres autem, & sorores non licet deserere in necessitate extrema, sed licet in gravi, quamvis ratione charitatis possit manere quis in sæculo, ut eis subveniat. Quod si voto religionis sit adstrictus, non potest differre per longum tempus sine dispensatione.

30. *Quæst. 4.* An ære alieno pressus ingredi Religionem possit? R. affirm. si ingrediens pro-

videat, unde solvantur debita, aut bona sua cedat creditori. Ita S. Anton. & S. Th. 2. 2. q. 189. art. 6. Ratio S. Thomæ est hujusmodi; *propter pecuniam persona liberi hominis secundum jura Civilia non est obligata, sed solum res, quia persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecunie: Unde licite potest, exhibitis rebus suis, religionem intrare; nec tenetur in sæculo manere, ut procuret, unde debitum solvat.* Adde, præceptum naturale solvendi non obligare cum detrimento suæ libertatis, & onore subeundi, si maneat in sæculo, periculum salutis æternæ. Nihilominus censeo probabilissimum, & æquitati consonum, ut debitor teneatur manere in sæculo, donec satisfaciatur, si id possit intra breve tempus, & sine probabili periculo incidendi in gravia peccata, aut amittendæ vocationis religiosæ. Imo Sixtus V. inhabiles reddit ad Religionem debitores, qui bona sua dilapidarunt, vel qui deponere debent rationes, nisi prius rationes reddant, & solvant debita. Et licet Clemens VIII. inhabilitatem sustulerit, reliquit tamen prohibitionem; scilicet, cum aliter nequeunt satisfacere, nisi manentes in sæculo, aut æs alienum superet facultates proprias. Valida tamen est professio, facta ab eo, qui debitis gravatus erat; Superiori autem incumbit providere, quemadmodum ille solvat.

31. *Quæst. 5.* Ad quid teneatur is, qui vovit Religionem? R. 1. qui vovit Religionem indefinite, voto satisfacit, quamcumque ingrediatur, modo in ea viget disciplina, saltem quoad magis præcipua, & substantialia. Quod si non recipiatur in unum Ordinem, debet procurare ingres-

sum in alios, sed non tenetur percurrere totam Provinciam & multo minus extra Provinciam excurrere. Solum enim habuit animum sese obligandi ad prudentem, & moralem adhibendam diligentiam, non vero ad extraordinariam, & singularem. Qui autem vovit aliquem Ordinem particularem, tenetur in illum ingredi, sed potest alium strictiorem præferre; cum hoc sit melius. Qui vovit Religionem tempore definito amplecti, peccat graviter, si sine justa causa tempus illud prætermittat: peccat pariter, si vovit tempore indefinito, & diutius differat, nisi rationabilis causa excuset. Cum autem non recipitur in Ordinem, in quem ingredi vovit, non tenetur tentare alios Ordines, nisi generalis fuerit ejus animus Religionem quomodo amplectendi.

32. R. 2. Is, qui vovit Religionem, non solum ingredi debet, sed etiam in Monasterio permanere, ac profiteri, nisi justa causa excuset egressum; nam, ut ait Suar. votum Religionis non solum obligat ad induendam vestem Religiosam, sed etiam ad serviendum Deo toto vitæ tempore in Religione. Quod si jus concessit *c. 1. de Regul. in 6.* ut possint pro libito Religionem deserere, intelligitur de iis tantum qui experiendi gratia ingrediuntur, nullo præmisso voto, aut cum solo animo experiendi, non intendendo sese obligare ad profitendum. Ita expresse D. Th. 2. 2. q. 189 a. 4. ubi animadvertit, quod ille, qui intrat, ut statim exeat, non videtur satisfacere voto suo, quia ipse in vovendo hoc non intendit: & ideo tenetur mutare propositum, ut saltem velit experiri, an ei expediat in

Religione remanere, non autem tenetur ad perpetuo remanendum; nimirum si vitam Religiosam inveniat viribus suis imparem, aut admodum gravem, nec voverit profiteri.

33. Nam qui vovit profiteri, non potest libere exire etiamsi cum difficultate vivat, nisi tanta sit difficultas, ut religiosum onus moraliter ferre non possit. Tenetur etiam dare operam, ne culpa sua repellatur. Quod si causam dederit justam, ut ex ordine dimittatur, non manet liber a voti obligatione, sed obligatur adhibere prudentem diligentiam, ut in eundem, vel alium ordinem recipiatur. Verum si ob inscitiam, aut ægritudinem sine culpa ejiciatur, solutus est voto, nisi convalescens probabilem spem habeat ingrediendi, ad quem finem opponere debet mediocre diligentiam, sed non extraordinariam.

34. *Quest. 6.* An, & quomodo professus unum ordinem, possit ad alium transire? R. professus ordinem strictiorem, non potest ad laxiorem, transire, nisi dispensetur a R. Pontifice, vel a Prælo Gen. Ordinis, consentiente Capitulo. Professus vero minus strictam regulam, potest ad severiorem transire, petita licentia, licet negata a Prælo sui ordinis. Ita omnes cum S. Th. ex. c. *Licet 18. de Reg.* Graviter autem peccaret Superior, si absque justa causa facultatem denegaret, ut docet Suar. T. 4. de Rel. Tract. 8. lib. 3. cap. 10. Causæ autem justæ id negandi tres afferuntur in laudato cap. *Licet 1.* Si subditus ex temeritate, vel levitate vellet transire. 2. si transitus redundet in jacturam sui ordinis, scilicet specialem, non vero

generalem, & communem, quæ ex privatione viri boni, & Religiosi pateretur. 3. si ex transitu ordo ille gravem injuriam pateretur, ac dedecus. Extat autem præceptum Urbani VIII. ut *non permittantur transire, nisi constiterit eum Religionem paratam esse eum recipere.* Si vero, facultate non petita, transeat, & profiteatur, valida est professio, cum nullo jure irritetur & ipse transitus de jure naturæ valeat, cum sit commutatio in melius. Ita Suarez, Salmant. alii contra nonnullos alios.

35. Nota, tam Clericos, quam Parochos posse Religionem ingredi, etiam contradicente Episcopo. Quod ad Parochos attinet, constat ex *c. duo sunt l. 19. q. 2.* ubi Urbanus II. ad Rufinum id expresse declarat; atque id tanquam certum tuctur D. Th. 2. 2. q. 189. ar. 4. Vide Bullam Ben. XIV. incipientem. *Ex qua dilectus,* in qua postquam doctrinam hanc tradidit, monet tamen Parocho incumbere *non tam officio, & honestate,* verba ipsius sunt, *quam naturali legis præcepto;* Episcopum certiorein facere, ne grex sine custode deseratur. Insuper declarat, Beneficium non vacare, nisi post professionem, atque idem statuit de omnibus aliis Beneficiariis. Isti autem, & Clerici non curati ex officio tantum, & honestate quadam tenentur monere Episcopum, sed non peccant, si ob metum, & reverentiam id omittant, nec possunt impediri ab Episcopis ex Conc. Tolet. IV. nisi in aliqua hypothesi, in qua Ecclesia sua gravem jacturam pateretur, ut ait Innoc. IV. in cap. *Licet* de Regul. Episcopi non possunt ad Religionem tran-

sire, nisi ex dispensatione Papæ, & ex causis, quæ habentur in c. de *Renunc.*

36. *Quest. 7.* Ad quid teneantur Religiosi ejecti, & fugitivi? R. Religiosi solemniter professi non possunt e Religione expelli, nisi sint incorregibiles, ut declaravit Urbanus VIII. Tales autem non censentur, nisi unius anni jejuniis, & penitentia in carcere sint probati. Moniales vero perpetuo potius carceri mancipandas, quam ejiciendas, monet Sanctius. Jam vero Professus ob culpam ex ordine suo dimissus, manet religiosus, votisque adstrictus, ita ut rerum usum, & administrationem sibi vindicare possint, non autem dominium. Liber tamen est ab Officio Divino, nisi sit initiatus Sacris, & ab aliis regulis, & Vigiliis Ordinis, quæ non pertinet ad substantiam trium votorum. Tenetur etiam vitam suam ita corrigere, ut possit iterum recipi in suum Ordinem, nisi velit ad alium transire, etiam laxiorem. Utrum autem Religio debeat eos emendatos iterum admittere, dubitatur a TT. Certe fugitivos, & Apostatas tenentur Prælati requirere, si absque gravi Ordinis detrimento possiat, nec omnino incorregibiles videantur.

## TRACTATUS II.

## DE STATU CLERICORUM.

Clerici vocantur omnes, qui Sacris Ordinibus, vel prima saltem tonsura sunt initiati. De quorum obligationibus cum multa dicta sint

generalem, & communem, quæ ex privatione viri boni, & Religiosi pateretur. 3. si ex transitu ordo ille gravem injuriam pateretur, ac decus. Extat autem præceptum Urbani VIII. ut *non permittantur transire, nisi constiterit eum Religionem paratam esse eum recipere.* Si vero, facultate non petita, transeat, & profiteatur, valida est professio, cum nullo jure irritetur & ipse transitus de jure naturæ valeat, cum sit commutatio in melius. Ita Suarez, Salmant. alii contra nonnullos alios.

35. Nota, tam Clericos, quam Parochos posse Religionem ingredi, etiam contradicente Episcopo. Quod ad Parochos attinet, constat ex *c. duo sunt l. 19. q. 2.* ubi Urbanus II. ad Rufinum id expresse declarat; atque id tanquam certum tuctur D. Th. 2. 2. q. 189. ar. 4. Vide Bullam Ben. XIV. incipientem. *Ex qua dilectus,* in qua postquam doctrinam hanc tradidit, monet tamen Parocho incumbere *non tam officio, & honestate,* verba ipsius sunt, *quam naturali legis præcepto;* Episcopum certiorein facere, ne grex sine custode deseratur. Insuper declarat, Beneficium non vacare, nisi post professionem, atque idem statuit de omnibus aliis Beneficiariis. Isti autem, & Clerici non curati ex officio tantum, & honestate quadam tenentur monere Episcopum, sed non peccant, si ob metum, & reverentiam id omittant, nec possunt impediri ab Episcopis ex Conc. Tolet. IV. nisi in aliqua hypothesi, in qua Ecclesia sua gravem jacturam pateretur, ut ait Innoc. IV. in cap. *Licet de Regul.* Episcopi non possunt ad Religionem tran-

sire, nisi ex dispensatione Papæ, & ex causis, quæ habentur in *c. de Renunc.*

36. *Quest. 7.* Ad quid teneantur Religiosi ejecti, & fugitivi? R. Religiosi solemniter professi non possunt e Religione expelli, nisi sint incorregibiles, ut declaravit Urbanus VIII. Tales autem non censentur, nisi unius anni jejuni, & poenitentia in carcere sint probati. Moniales vero perpetuo potius carceri mancipandas, quam ejiciendas, monet Sanctius. Jam vero Professus ob culpam ex ordine suo dimissus, manet religiosus, votisque adstrictus, ita ut rerum usum, & administrationem sibi vindicare possint, non autem dominium. Liber tamen est ab Officio Divino, nisi sit initiatus Sacris, & ab aliis regulis, & Vigiliis Ordinis, quæ non pertinet ad substantiam trium votorum. Tenetur etiam vitam suam ita corrigere, ut possit iterum recipi in suum Ordinem, nisi velit ad alium transire, etiam laxiorem. Utrum autem Religio debeat eos emendatos iterum admittere, dubitatur a TT. Certe fugitivos, & Apostatas tenentur Prælati requirere, si absque gravi Ordinis detrimento possiat, nec omnino incorregibiles videantur.

## TRACTATUS II.

## DE STATU CLERICORUM.

Clerici vocantur omnes, qui Sacris Ordinibus, vel prima saltem tonsura sunt initiati. De quorum obligationibus cum multa dicta sint

hactenus, alia in aliis peculiaribus Tractatibus dicenda sint; ne actum iterum agamus; sermo in hoc loco nobis erit 1. de Beneficio Ecclesiastico. 2. de horis Canonicis, 3. de aliis nonnullis Clericorum obligationibus.

## CAPUT I.

## De Beneficio Ecclesiastico.

1. *Quest. 1.* Quid, & quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum? R. Beneficium Ecclesiasticum est jus perpetuum, auctoritate Ecclesie constitutum, percipiendi fructus ex bonis Ecclesie propter officium aliquod spirituale. Unde in Beneficio duo sunt jura distinguenda: alterum spirituale, scilicet potestas exercendi muneris spiritualis; alterum temporale, nempe percipiendi redditus Ecclesiasticos, quod tamen fundatur in officio spirituali, eique est annexum. Porro Beneficium aliud est sæculare, aliud regulare. 1. est institutum pro sæcularibus, secundum pro regularibus nec sine dispensatione sæculare potest conferri Regularibus, aut e contrario. Beneficium autem omne præsumitur sæculare, nisi probetur esse regulare vel ex prima sui institutione, vel ex pacifica possessione 40. annorum.

2. Rursus Beneficium aliud est *duplex*, aliud *simplex*. Duplex est, quod annexam habet administrationem, vel jurisdictionem, vel dignitatem, vel curam animarum, ut Episcopatus, Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia, Parochiale Beneficium, & similia. *Simplex*

dicitur, quod nullam habet obligationem nisi obeundi Divina Officia, ut Canonicatus, Capellaniam, cet.

3. *Quest. 2.* Quot modis acquiruntur Beneficia, & quinam sint eorum collatores? & triplici modo acquiri possunt. 1. per *electionem*, cum per suffragia eligitur vir idoneus; aut ab Electoribus postulatur, vel obsecratur Superior, ut admittatur aliquis, qui jure non erat capax dicitur *postulatio*. 2. per *præsentationem* Patroni præviam, & institutionem postea factam a Prælate Ecclesie in persona idonea per quam institutionem acquiritur *jus in re* ad Beneficium; nam præsentatio solum dat jus ad rem, ita ut Beneficium alteri conferri nequeat, 3. per *collationem liberam*, quando Beneficium non subest juri patroni, sed solo jure Prælati confertur. Atque ex triplici hac ratione conferendi Beneficia, ista dividi solent in *electiva*, *patronata*, & *libera*.

4. *Quest. 3.* Quid est jus patronatus, & quando fieri debeat præsentatio? R. Jus patronatus est potestas præsentandi da Beneficia Ecclesiastica, estque duplex, scilicet patronatus *Ecclesiasticus*, qui alicui convenit ex aliquo titulo Ecclesiastico; & *laicus*, quia ex bonis patrimonialibus Ecclesiam fundavit, vel dotavit, vel erexit. Si patronatus sit laicus, præsentatio fieri debet intra quatuor menses, ex c. *Quoniam de jure patr. si Ecclesiasticus* intra sex c. *unico*. Si mixtus, etiam intra sex, intra quos nisi fiat præsentatio, beneficium fit liberum, & tunc pertinet ad eum, ad quem spectat instituere præsentatum. Tempus autem præsentationis, non



currit, si de jure patronatus sit lis inter Episcopum, & Patronum, vel inter ipsos presentatos. Secus autem si lis sit inter patronos ipsos ex e. quoniam. Episcopus autem, ut notant Salm. potest designatum tempus per alios sex menses prorogare, sed non ultra. Quod si patronus, qui primo unum presentavit, facti poenitens alium presentet, si patronatus laicus sit, instituere Prælatum poterit, quem maluerit; si vero sit Ecclesiasticus, prior tempore erit potior jure ex c. cum auct. Si autem ex duobus patronis alter Petrum, v. g. alter Joannem presentet, potest collator conferre, cui maluerit, si sint æque digni; imo & tertio conferre poterit. Denique si multi Patroni inter se discordes sint, is instituendus, in quem plures conveniunt.

5. *Quæst. 4.* An beneficia necessario conferenda sinu dignioribus? R. 1. mortale peccatum est, presentare, eligere, aut conferre beneficium etiam simplex indigno, dum dignus haberi potest. Ita DD. omnes, qui indignum vocant eum, qui ineptus est ad officium suum præstandum, aut censetur inutilis futurus Ecclesiæ. Probat ex Conc. Lat. IV. c. grave, dicente, præcipimus, ut prætermittis indignis, idoneos assumat, qui Deo, & Ecclesiæ velint gratum impendere famulatum. Et confirmatur ex Trid. Sess. 7. c. 3. Ratio autem evidens petenda est ex damno, quod Ecclesiæ oriretur, si indigni eligerentur ad Beneficia, etiam inferiora.

6. R. 2. Certum est ad Beneficia curata, & ad Episcopatus eligendos esse digniores. Constat ex C. Lat. III. c. 16. præcipiente; ut ille

præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus jுவatur meritis. Et ex Trid. Sess. 24. c. 1. declarante, alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, cet. Innoc. autem IV. damnavit hanc propositionem: Cum dicit Concilium Tridentinum, alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilio vel primo videtur per hoc digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus. Ratio autem desumitur ex utilitate Ecclesiæ, ad quam instituta sunt ea Beneficia, cui multum detrahunt, qui prætermittunt digniores. Major autem dignitas petenda est ex majori utilitate Ecclesiæ, ut ex verbis ipsis Tridentini colligitur.

7. Quod vero dictum est de electione ad Beneficia, curam animarum habentia, dictum etiam volo de presentatione, ita ut Patroni peccent mortaliter, si minus dignos presentent, posthabitis dignioribus, cum Trid. loquatur de omnibus promoventibus, atque eadem sit ratio pro omnibus. Idem est affirmandum de Prælati Regularibus, quiquid nonnulli in contrarium asserant; Prælati enim Regulares erga Subditos suos eadem officia præstant, quæ Parochi, & Episcopi erga fideles, quod spectat ad salutem animarum.

8. R. 3. Ad Beneficia simplicia non solum digni eligendi sunt; sed etiam digniores, idque sub gravi obligatione. Ita communior sententia, & probabilior; quia ut ait S. Th. 2. 2. q. 63. *Praelatus Ecclesiasticus non est dominus* (Beneficiorum) *ut ea possit dare pro libito, sed dispensator.* Debet igitur ea distribuere pro ratione meritorum; atque ita exigit utilitas Ecclesiae, ob quam Beneficia sunt instituta. Limitant autem hanc doctrinam DD. cum excessus sit tenuis, quia tunc damnum esset nullum aut leve in Beneficio simplici. 2. cum Beneficia sunt parvi momenti. 3. si ex lege foundationis debeat eligi aliquis de familia, Collegio, vel oppido. IV. si praevideatur dignior brevi dimissurus Beneficium. Nota tamen validam esse electionem minus digni ad Beneficia; & quidem de Beneficio simplici nemo dubitat; de aliis autem licet repugnant aliqui, communis tamen sententia censet, electionem fore validam, donec a legitimo Iudice irritetur. Nota 2. licitam fore electionem in persona alioqui minus digna, si ita postulet caritas, vel alia justa causa, ut si pauperis inopia subveniatur per Beneficium simplex, vel digniores reserventur ab Beneficia curata.

9. *Quaest. 5.* An promoventes minus dignum ad Beneficia, obligentur ad compensationem? R. quamvis ille qui indigno sciens confert beneficium, teneatur Ecclesiae compensare illatum damnum, non ita certa est haec obligatio in eo, qui eligit dignum, posthabito digniori. In simplici saltem Beneficio videtur nullam esse obligationem restituendi, quam ad illud nullum jus

strictum habeant neque digniores, adeoque non sit illus injustitia strictae talis; & aliunde Ecclesia non videtur voluisse Electores obligare ad magis dignum promovendum sum onere restitutionis. Idem aliqui affirmant de iis, qui Beneficia conferunt per concursum; eligentes enim minus dignum solum peccant contra justitiam distributivam, quae non obligat ad restitutionem. Hanc sententiam non ausim dicere improbabilem, cum re vera non constet inter electores, & oppositores intercedere pactum, obligans stricte ex nomine justitiae commutativae. Adhaereo tamen communi sententiae; quam verissimam vocat Vazquez, docenti, Electores in concursu eligentes dignum, posthabito digniori, non solum graviter peccare, sed teneri ad restituendum ei, cui damnum intulere. Nam ex quo dignior ad concursum admittitur, acquirit jus ad rem; cum in communi aestimatione tacita pactio intercedat in edicto, ut dignior praeferatur. Quod locum habet in omni praemio, quod promittitur vocatis per concursum ad luctam, ad cursum, cet. Atque eo magis in concursu ad Beneficia curata, in quo a Trid. datur appellatio digniori, si praetermittatur.

10. Hinc Episcopus, ceterique Electores debent Ecclesiae resarcire damnum, quod intulere, posthabendo digniorem, & huic incommodum ex amisso beneficio illi exoritur. Nec desunt, qui velint cum Navarro, ipsum concurrentem, si se minus dignum existimet, peccare concurrente, & debere Beneficium, si obtineat, resignare. Sed communis, & probabilior sententia eum ex-

cusat tum a peccato, tum ab onere restituendi. 1. quia mens Ecclesiæ videtur, ut omnes digni concurrant, ne forte digniores modestia, & religione ducti recedant cum gravi Ecclesiæ detrimento. 2. quia ad Electores quidem pertinet, minime ad eligendos, de uniuscujusque meritis iudicium ferre. 3. quia oportet, ut etiam minus digni concurrant, sin minus ad contendendum de præmio, saltem honoris gratia; ut ad alios concursus gradum sibi faciant. Nec in praxi quisquam potest certus esse, si eligatur, Episcopum, vel Electores caruisse aliqua justa ratione, sed ipsi occulta, ut eum ceteris præferrent, adeoque potest ille eorum iudicio acquiescere. Denique ad concurrendum, non requiritur, ut reputet se aliis meliorem, ut de assumptione ad Episcopatum ait D. Th. 2. 2. q. 185. a. 3. *sed sufficit, quod mihi in se inveniatur, per quod illicitum ei redatur assumere prælationis officium.*

11. Circa Examinatores præscribit Trid. Sess. 24. de Ref. c. 18. ut præstet iuramentum de fidelitate in eorum officio; alioquin concursus est nullus, ut declaravit S. Cong. Conc. die 2 Dec. 1628. 2. ut peracto examine renunciatur quocumque ab his idonei iudicati fuerint ætate, moribus, doctrina, cet. Ex hisque Episcopus eligat, quem ceteri magis idoneum iudicaverit. Ex quibus Concilii verbis colligunt De Lugo, et alii, examinatores non teneri ad denunciandum Episcopo digniores. Idque confirmant declaratione quadam S. Congregationis, dicente, *non pertinere ad Examinatores, sed solum ad Episcopum iudicare, quis ex concurrentibus ad Parochialem va-*

*cantem sit magis idoneus.* Contraria tamen sententia, quam tenent Navarrus, Azor, Salmant. aliique, videtur mihi probabilior, & magis consentanea menti Concilii; quamvis enim solius sit Episcopi ultimum ferre iudicium de idoneitate eligendi, tamen ut possit cum majori æquitate iudicare oportet præcedere suffragium Examinatorum; nec alia fuit mens S. Congregationis.

## CAPUT II.

*Quæ dotes requirantur in eo, cui confertur Beneficium.*

12. *Quest. 1. Quænam conditiones requiruntur, ut quis sit capax Beneficii Ecclesiastici? R. sequentes: 1. natales legitimi; a qua solum dispensare potest Papa ad Ordines majores, & Episcopus ad minores, & Beneficium simplex, cui Ordo major non est annexus ex c. 1. de fil. Presbyt. & c. 10. de elect. 2. immunitas ab irregularitate, & excommunicatione, ita ut nulla sit electio, præsentatio, resignatio, nedum collatio beneficii, facta excommunicato, suspensio, vel irregulari, etiam occulto ex c. 7. de Cler. excomm. c. 8. de etat. & aliis. 3. Clericatus, seu tonsura, sine qua nulla est beneficii collatio ex c. 6. de trans. & c. 2. de inst. adeoque voluntas clericandi, & sacrum ordinem suscipiendi intra tempus à jure requisitum. Imo Beneficium curatum accipiens, vel parochiale debet habere voluntatem suscipiendi intra annum Sacerdotium, ita ut eam non habens non solum peccet mor*

taliter, sed ipso jure sit privatus, & ad fructuum restitutionem teneatur ex c. *commissa de elect. in 6.* Si tamen mutata voluntate, inter annum Sacerdos fiat, fructus retinere potest. Imo Episcopus dispensare potest, ut, Vicario suffecto, possit vacare studiis per septenium.

13. Quarta conditio est *ætas legitima*, sine qua collatio nulla est ex c. 7. *de elect.* Porro ad Episcopatum requiruntur 30. anni completi. Ad Abbatias, dignitates, & Parochialia Beneficia 25. anni inchoati requiruntur a Trid. Sess. 24. c. 13. a quo solum exigitur annus 22. completus ad dignitates non habentes curam animarum. Beneficia simplicia, ut sunt Capellanæ, solum ex jure postulant annos 14. inchoatos; & totidem ex consuetudine Canonicus, quamquam Ecclesiæ Cathedrali Canonicatus ex novo jure requirat annum 21., eo quod annexum habeat Subdiaconatum.

14. Quinta conditio est *probitas* morum, ex c. 7. *de Elect.* & Trid. Sess. 33. c. 1.; sed collatio facta viro non probato valida est, nisi delicta secum ferant censuram, vel irregularitatem. Idem dico de *scientia*, quæ ad obuenda propria munera est necessaria, & constat ex eodem Trid. Requiritur præterea corporis aptitudo; unde cæcus, & mutus sunt incapaces beneficii, si præcedant hi defectus, non ita si superveniant adepto beneficio. Denique ut hæc quis beneficium obtineat, indiget Divina vocatione ex ep. ac Heb. 5. alioquin se exponeret periculo æternæ damnationis.

15. *Quest. 2.* Quomodo peccet is, qui re-

cipit Beneficium cum animo uxorem deinde ducendi; dimisso Beneficio? R. Certum est graviter peccare, si Beneficium habet annexum Ordinem sacrum. Si vero simplex sit Beneficium, multi volunt grave committi peccatum, cum pervertatur institutionis ordo in re quidem gravi; sed probabilius alii censent, solum esse veniale, cum nullibi constet gravem esse hujusmodi inordinationem; nullum autem præceptum est homini imponendum, nisi evidens ratio id suadeat; quod est principium SS. Antonini, & Thomæ *quodlib. 9. art. 13.* Peccat autem graviter in probabiliori sententia, qui beneficium curatum accipit cum animo dubio, vel conditionato suscipiendi Sacerdotium intra annum, adeoque tenetur ad restitutionem fructuum. Nam ex c. *Commissa de Elect. in 6.* requiritur absolute, ut habeat animum Sacerdotium suscipiendi, & ut intentio non sit fraudulenta, quæ verba videntur excludere intentionem dubiam, & conditionatam. Alii tamen cum Navarro, & Lessio opinantur, peccare quidem mortaliter, si non habeat animum se initiandi Sacerdotio intra annum; sed non ita peccare, si habeat animum conditionatum.

16. *Quest. 3.* An idem habere simul possit plura beneficia? R. neg. nisi aliud postulet Ecclesiæ necessitas vel utilitas, modo unum sufficiat ad congruam illius sustentationem. Ita DD. omnes, inter quos solum controvertitur, an pluralitas beneficiorum prohibita sit solo jure Ecclesiastico, an etiam jure naturali, & Divino. De jure enim Canonico constat 1. ex Conc. Lat. III.

c. 13. & 14. ubi dicitur, pluralitatem beneficiorum certum continere periculum animarum. 2. ex Lat. IV. c. 29. Nicæno II. c. 15. & Trid. Sess. 24. c. 15. decernente, & mandante, ut unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus, cui conferatur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eisdem conferri.

17. Hinc si beneficia, etiam tenuia requirant residentiam, non potest idem duo beneficia hujusmodi retinere, nisi Pontifex dispenset in evidenti necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, prout Greg. M. fertur præfecisse Martinum, Paulinum, & alios duobus Episcopatibus. Atque eadem de causa ait Anacletus, conferri aliquando filiis Principum, etiam ante præscriptam ætatem. Erit etiam justa ratio dispensandi evidens meritorum excellentia, ut si quis maxime præstaret doctrina, eruditione, & consilio. De cetero sine justa causa plura Beneficia possidens etiam simplicia, etiam dispensante Pontifice, non est tutus in conscientia, ait Belarminus cum multis aliis. Pontifex enim non est dominus, sed œconomus, & dispensator Beneficiorum, & sine causa dispensans minueret Divinum cultum, privaret Ecclesiam dignis Ministris, perverteret Ordinem Ecclesiasticum. Hinc adeptus unum Beneficium, sufficiens ad congruam sustentationem, si secundum obtineat sine justa causa, & debita dispensatione, ipso jure vacat primum, & utroque privatur, si conetur utrumque reti-

nere. Hæc quidem certa sunt quoad beneficia, quæ vocantur *incompatibilia*, ut Episcopatus, Curata, & alia, quibus annexa est aliqua jurisdictio. Idemque est dicendum de iis, quæ carent jurisdictione, sed residentiam requirunt, ut Canonatus; licet multi de istis negent, jure suo vacare, nisi sententia Judicis accedat.

18. *Quæst. 4.* Quinam obligentur ad residentiam, & quomodo? R. 1. nomine *residentiæ* inteligitur commoratio in loco, ubi est Beneficium, ut officia Ecclesiastica *personaliter* exercentur. Unde residere proprie dici nequeunt, qui cum in loco Beneficii degant, propria tamen munera non obeunt. R. 2. olim ex jure communi omnia Beneficia simplicia residentiam exigebant, ut patet ex c. *Clericus* dist. 91. & ex *tit. de Cler. non resid.* Hodie tamen ex generali Ecclesiæ consuetudine residentiam non requirunt, cum sufficiat per Vicarium officia præstare, nisi Fundatores aliud expresserint. Tantum ad hanc residentiam obligantur omnes Pastores, curam animarum habentes, & omnes Canonici, sive Præbendati Cathedralium, vel Collegiatarum.

19. *Quæst. 5.* An curam animarum habentes residere teneantur non modo ex jure Ecclesiastico, sed etiam Divino? Affirmat communis, & vera sententia contra Catharinum, & paucos alios. Et probatur ex Trid. Sess. 23. c. 1. cujus verba aperte indicant pastoralem residentiam jure Divino esse præceptam, ut declaravit postea Bened. XIV. in sua Bulla: *Ubi primum*, edita 3. Dec. 1740. In quo nec ipse Pontifex dispensare potest, sed tantum declarare jus Di-

vinum in aliquo eventu non obligare, justis intercedentibus causis. Ita notat Tournelyus cum Lugo.

20. Episcopis tamen concedit Tridentinum, ut per duos, vel per tres menses a suis Ecclesiis abesse possint, modo *id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento*. Parochis quoque a Trid. injungitur sub pœna gravis culpæ, & amissionis fructuum, ut a suis Ecclesiis nequeant discedere ultra bimestre, nisi ex gravi causa, & cum facultate Episcopi in scriptis ob-  
H tentata, & Vicario idoneo Parochiæ substituto.

21. *Quest. 6.* Quibusnam de causis Episcopi, & Parochi a residentia excusentur? R. quatuor a Trid. assignantur Sess. 23. c. 1. nempe *christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, & evidens Ecclesiæ, aut Reipublicæ utilitas*. Quas tamen causas quoad Episcopum at-  
H tinet, approbandas præscribit, & quidem in scriptis vel a R. Pontifice, vel a Metropolitano, vel eo absente, a suffraganeo Episcopo antiquiore, qui Metropolitanus absentiam probare debet. Quoad Parochos vero, ab ipsorum Episcopi, ut nuper diximus.

22. *Quest. 7.* Quando, & quomodo Episcopi, & Parochi non residentes teneantur restituere fructus? R. ex Trid. *Episcopos ultra tres menses, & sine justa causa absentes a sua Ecclesia, teneri pro rata absentia fructus restituere*. Eadem omnino quoad Parochos Sacrosancta Synodus declaravit. Atque ad id obligantur etiam Episcopi, qui ex justa causa, sed *sine licentia expressa R. Pontificis* absunt ultra trimestre, ut

constat ex bulla Bened. XIV. Et licet aliqui excusent eos, qui sine causâ legitima absunt, sed bona tamen fide, & cum opinione causæ excusanti a residentia; communis tamen DD. sententia eos censent pœnas incurrere, etiam sine culpa, cum Pastores jure naturali teneantur residere ex tacita quadam pactione inter ipsos, & Ecclesiam, ex qua dantur eis fructus sub onere, & conditione residendi. Imo & Pastores illi tenentur restituere, qui resident, quidem, sed inutiliter, eo quod per se ipsos non exerceant præcipua ministeria. Constat ex Trid. Conc. quod postquam declaravit ipsos obligari ad personalem residentiam, addidit: *ubi injuncto sibi officio defungi teneantur*. Sine quo non esse veram, propriamque residentiam, declaratur in laudata bulla Bened. XIV.

23. *Quest. 8.* Quos fructus, & quibus teneantur restituere Pastores non residentes? R. Navarrus cum aliis contendit, faciendam esse integram restitutionem fructuum, temporis absentia respondentium, cum Tridentinum eos indefinite privet fructibus. Alii tamen benignius mentem Concilii interpretantur de ea solum parte, quæ respondet residentia; ratio enim, & æquitas postulant, ut si quis duplici onere gravetur, non privetur integra mercede, cum unum adimpleat. Quoad ad 2. questionis partem atinet, notandum est discrimen inter restitutionem faciendam a Beneficiario ob omissionem horarum, & ob omissionem residentia. Nam illa potest fieri quibuscumque pauperibus, atque etiam impedi potest in fabricam domus Beneficii, aut

in agros ejus, cum hæc omnia veniant nomine *fabricæ Beneficii* ex bulla S. Pii V. Restitutio autem fructuum residentie expendi debet vel in *fabricam Ecclesiæ, vel in pauperes illius loci* ex Trid.

24. *Quæst. 9.* Quid notandum est circa residentiam Canonorum? R. ex Trid. Sess. 24. c. 12. de Reform. Canonici Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiæ, si ultra tres menses absunt, primo anno privantur *dimidia parte fructuum, quos etiam ratione prebendæ, & residentie fecerunt suos.* Si iterum residere negligant, *privandi sunt omnibus fructibus,* quos eodem anno lucrati fuerint. *Crescente contumacia, contra eos juxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur.* Insuper ex diplomate Benedicti XIV. Canonici choro non interessentes, sive non canentes, non solum distributiones amittunt, sed etiam fructus omnes Præbendarum non faciunt suos; quod potiori jure dicendum de non residentibus. Causæ autem Canonicos excusantes ab assistentia chori tres sunt, ut declaravit Bonifacius VIII. *in c. unico de Cler. non resid. in 6. nempe infirmitas, rationabilis corporis necessitas, & evidens Ecclesiæ utilitas.* Quantum ad distributiones lucrandas tempore absentie, standum est uniuscujusque Ecclesiæ statutis, & consuetudini.

## CAPUT III.

*Quos modis Beneficia amittantur?*

25. Quatuor modis amitti Beneficia possunt. 1. per mortem Beneficiati. 2. ex dispositione juris, idque vel propter alterius Beneficii incompossibilis consecutionem, vel per professionem Religiosam, vel per crimen, cui privatio Beneficii est anexa, puta, hæresim, schisma, sodomiam iteratam. 3. per judicis sententiam. 4. per liberam resignationem.

*Quæst. 1.* Quid, & quotuplex est resignatio? R. est spontanea dimissio proprii beneficii, facta, & approbata coram legitimo superiore. Estque duplex: alia tacita, ut cum quis religionem solemniter profitetur: altera expressa coram Superiore, cum acceptante; quæ si fiat absque ulla conditione apposita, vel pactione, dicitur simplex; & conditionata, si fiat in favorem alterius, vel reservata sibi pensione. Ut autem resignatio simplex sit valida, requiritur. 1. ut sit spontanea, alioquin si vi, dolo, aut metu injusto fiat, erit nulla, vel certe annullanda. 2. ut fiat in manibus ejus, qui potest admittere, & re ipsa ab eo admittatur. 3. ut fiat cum consensu Patroni, vel Electorum, si patronatus fuerit, vel electivus. 4. ut resignans dies 20. superstes sit a resignatione; alias enim si ægrotans resignavit, beneficium vacare dicitur. Denique ut sit licita, fieri debet ex justa causa, puta ob bonum Ecclesiæ, vel spiritualem resignantis utilitatem.

in agros ejus, cum hæc omnia veniant nomine *fabricæ Beneficii* ex bulla S. Pii V. Restitutio autem fructuum residentie expendi debet vel in *fabricam Ecclesiæ, vel in pauperes illius loci* ex Trid.

24. *Quæst. 9.* Quid notandum est circa residentiam Canonorum? R. ex Trid. Sess. 24. c. 12. de Reform. Canonici Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiæ, si ultra tres menses absunt, primo anno privantur *dimidia parte fructuum, quos etiam ratione prebendæ, & residentie fecerunt suos.* Si iterum residere negligant, *privandi sunt omnibus fructibus,* quos eodem anno lucrati fuerint. *Crescente contumacia, contra eos juxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur.* Insuper ex diplomate Benedicti XIV. Canonici choro non interessentes, sive non canentes, non solum distributiones amittunt, sed etiam fructus omnes Præbendarum non faciunt suos; quod potiori jure dicendum de non residentibus. Causæ autem Canonicos excusantes ab assistentia chori tres sunt, ut declaravit Bonifacius VIII. *in c. unico de Cler. non resid. in 6. nempe infirmitas, rationabilis corporis necessitas, & evidens Ecclesiæ utilitas.* Quantum ad distributiones lucrandas tempore absentie, standum est uniuscujusque Ecclesiæ statutis, & consuetudini.

## CAPUT III.

*Quos modis Beneficia amittantur?*

25. Quatuor modis amitti Beneficia possunt. 1. per mortem Beneficiati. 2. ex dispositione juris, idque vel propter alterius Beneficii incompossibilis consecutionem, vel per professionem Religiosam, vel per crimen, cui privatio Beneficii est anexa, puta, hæresim, schisma, sodomiam iteratam. 3. per judicis sententiam. 4. per liberam resignationem.

*Quæst. 1.* Quid, & quotuplex est resignatio? R. est spontanea dimissio proprii beneficii, facta, & approbata coram legitimo superiore. Estque duplex: alia tacita, ut cum quis religionem solemniter profitetur: altera expressa coram Superiore, cum acceptante; quæ si fiat absque ulla conditione apposita, vel pactione, dicitur simplex; & conditionata, si fiat in favorem alterius, vel reservata sibi pensione. Ut autem resignatio simplex sit valida, requiritur. 1. ut sit spontanea, alioquin si vi, dolo, aut metu injusto fiat, erit nulla, vel certe annullanda. 2. ut fiat in manibus ejus, qui potest admittere, & re ipsa ab eo admittatur. 3. ut fiat cum consensu Patroni, vel Electorum, si patronatus fuerit, vel electivus. 4. ut resignans dies 20. superstes sit a resignatione; alias enim si ægrotans resignavit, beneficium vacare dicitur. Denique ut sit licita, fieri debet ex justa causa, puta ob bonum Ecclesiæ, vel spiritualem resignantis utilitatem.



26. Atque eadem conditiones requiruntur, ut valida sit resignatio conditionata. Et præterea opus est, ut conferatur illi, in cujus favorem resignatur cum ut conferatur illi, in cujus favorem resignatur cum consueta clausula: *non aliter, nec alias*. 2. ut is, cui confertur, admittat; alias resignans non amittit beneficium. 3. ut fiat in manu R. Pontificis, addita deprecatione; ut personæ certæ conferatur, ne designatio personæ successuræ speciem quandam habeat hereditariæ successionis. 4. ut si fiat in Curia Romana, publicetur in loco beneficii intra sex menses ab oblata supplicatione numerandos; sin autem extra Curiam, intra mensem. Nam si intra id tempus resignans moriatur, antequam resignatarius ceperit possessionem, Beneficium vacare censebitur.

27. Nota, Bened. XIV. Constit. incipiente *in sublimi* damnasse, & annullasse resignationes Beneficiorum cum reservatione pensionis, & pacto eam cassandi per anticipatas, vel anticipandas solutiones, adjecta poena privationis beneficii, inhabilitationis ad alia assequenda, & restitutionis pecuniæ, pro cassatione pensionis perceptæ. Insuper irritat cassationes, & extinctioniones pensionum intra sex menses a capta possessione Beneficii, ac etiam cessiones commodi exigendi pensiones intra sex menses a capta possessione. De cetero licita est resignatio Beneficii cum reservatione pensionis cum justa causa, & consentiente Pontifice. Sola autem resignatio non est sufficiens causa pensionis exigendæ, cum jus percipiendi fructus fundetur in officio, adeo-

que totum esse debeat ejus qui possidet Beneficium.

28. *Quæst. 2.* Quo modo liceat permutatio Beneficiorum? R. Permutatio fit, cum Beneficiarii resignant Beneficia sua coram Episcopo cum conditione, ut ille alteri alterius Beneficium conferat. Si Beneficia sint reservata Pontifici, permutatio ab illo fieri, vel adprobari debet. Ad hanc autem eadem requiruntur conditiones, quæ ad resignationem. Non licet inæqualitatem Beneficiorum compensare per aliquid temporale, esset enim simonia juris Divini; potest tamen Pontifex separare fructus a titulo beneficii, atque ita beneficio pinguiori imponere pensionem, ut alter indemnis serveatur. Non licet permutare Beneficium hac lege, ut alter totam Bullarum expensam solvat; esset enim Beneficio imponere onus temporale, quod simoniam redolet: idem dicendum est de resignatione.

29. *Q. 3.* Quid est pensio, & quotuplex? R. pensio est jus percipiendi fructus ex beneficio alieno: triplex est, alia temporalis, seu laica; alia spiritualis, sive Ecclesiastica; alia mixta, seu media inter spiritualem, & temporalem. Pensio temporalis est ea, quæ laicis datur ob aliquot obsequium temporale, Ecclesiæ præstitum, nec requirit Clericatum. Spiritualis est, quæ soli datur Ecclesiastico ob ministerium spirituale, puta concionatori, Vicario Parochi, cet. Mixta soli datur Clerico, non tamen ob ministerium aliquod spirituale, sed ad honestam ejus sustentationem. Ut pensio Clericalis valide, & licite haberi possit, quatuor requiruntur. 1. ut sit

dispensatio Papæ, & hoc quidem ex consuetudine. 2. ut sit justa causa; sine illa enim nemo securus est in foro interiori. 3. ut sit Clericus, qui si ducat uxorem, perdit pensionem, nec illam retinere potest. 4. ut non excedat tertiam partem beneficii; quamvis ex justa causa possit Pontifex ultra tertiam concedere.

30. Quænam sunt obligationes fruents pensionis ex Ecclesiastico Beneficio? R. Ubi recepta est constitutio S. Pii V. tenetur, si Clericus sit, recitare officium B. M. V. nisi aliunde ad horas Canonicas teneatur, aut sit Eques Ordinis Militaris, qui satisfacit recitando preces ab Ordine præscriptas. Pro pensione mere laicali nulla est obligatio. Tenetur etiam gerere tonsuram, & habitum Clericalem ex decreto Sixti V.

An Pensionarius possit de redditibus pensionis pro libito disponere? Affirmant Azor, Vazquez, & Covarruvias, quia pensio, ut dicunt, est portio extracta ex fructibus Beneficii. Et pro hac sententia allegant decisionem Rotæ Romanæ. Negant vero Molina, Navarrus, & alli, quia pensio iisdem regulis, ac ceteri fructus Beneficiorum mensuratur. Verum Salmant. affirmant de pensione laicali, negant de Ecclesiastica. Nota denique, pensionem extinguere morte pensionarii, sicut usufructus morte usufructuarii.

## CAPUT IV.

## De horis Canonicis.

31. *Quest. 1.* Quinam obligentur ad horas Canonicas? R. 1. Clerici majorum Ordinum, etiam suspensi, excommunicati, degradati: imo & iis, qui Papa dispensante ducit uxorem; nisi ab hoc onere quoque dispensetur. Hæc autem obligatio incipit a tempore ipso, quo Subdiaconatus suscipitur, scilicet ad horas respondentes horæ, qua ordinatur. Nec vero satisfacit præcepto, qui recitaverit partem illam ante Ordinationem; tum quia debito nequit satisfieri, antequam contrahatus; tum quia Ecclesia officium exigit a Subdiacono. Ita probabilior sententia: quamquam nonnulli sentiant valde probabiliter, posse fieri satis per anticipatam solutionem.

32. R. 2. Ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, et quidem sub gravi obligante, tenentur Divinum officium recitare omnes Religiosi professi utriusque sexus ad chorum destinati. Non tenentur autem laici, seu Conversi; nec Religiosi milites, aut hospitalarii, & ceteri choro non destinati. Denique ii omnes, qui degunt in aliquo Ordine, ubi forte constet non esse talem consuetudinem, aut non obligare. Tenentur tamen recitare Religiosi profani, quia statum suum non amittunt, uti & viventes extra Claustra, aut in carcere detenti, secus vero ad trimenses damnati; tum qui in illa damnatorum turba cederet in dedecus ordinis statum suum

dispensatio Papæ, & hoc quidem ex consuetudine. 2. ut sit justa causa; sine illa enim nemo securus est in foro interiori. 3. ut sit Clericus, qui si ducat uxorem, perdit pensionem, nec illam retinere potest. 4. ut non excedat tertiam partem beneficii; quamvis ex justa causa possit Pontifex ultra tertiam concedere.

30. Quænam sunt obligationes fruents pensionis ex Ecclesiastico Beneficio? R. Ubi recepta est constitutio S. Pii V. tenetur, si Clericus sit, recitare officium B. M. V. nisi aliunde ad horas Canonicas teneatur, aut sit Eques Ordinis Militaris, qui satisfacit recitando preces ab Ordine præscriptas. Pro pensione mere laicali nulla est obligatio. Tenetur etiam gerere tonsuram, & habitum Clericalem ex decreto Sixti V.

An Pensionarius possit de redditibus pensionis pro libito disponere? Affirmant Azor, Vazquez, & Covarruvias, quia pensio, ut dicunt, est portio extracta ex fructibus Beneficii. Et pro hac sententia allegant decisionem Rotæ Romanæ. Negant vero Molina, Navarrus, & alli, quia pensio iisdem regulis, ac ceteri fructus Beneficiorum mensuratur. Verum Salmant. affirmant de pensione laicali, negant de Ecclesiastica. Nota denique, pensionem extinguï morte pensionarii, sicut usufructus morte usufructuarii.

## CAPUT IV.

## De horis Canonicis.

31. *Quest. 1.* Quinam obligentur ad horas Canonicas? R. 1. Clerici majorum Ordinum, etiam suspensi, excommunicati, degradati: imo & iis, qui Papa dispensante ducit uxorem; nisi ab hoc onere quoque dispensetur. Hæc autem obligatio incipit a tempore ipso, quo Subdiaconatus suscipitur, scilicet ad horas respondentes horæ, qua ordinatur. Nec vero satisfacit præcepto, qui recitaverit partem illam ante Ordinationem; tum quia debito nequit satisfieri, antequam contrahatus; tum quia Ecclesia officium exigit a Subdiacono. Ita probabilior sententia: quamquam nonnulli sentiant valde probabiliter, posse fieri satis per anticipatam solutionem.

32. R. 2. Ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, et quidem sub gravi obligante, tenentur Divinum officium recitare omnes Religiosi professi utriusque sexus ad chorum destinati. Non tenentur autem laici, seu Conversi; nec Religiosi milites, aut hospitalarii, & ceteri choro non destinati. Denique ii omnes, qui degunt in aliquo Ordine, ubi forte constet non esse talem consuetudinem, aut non obligare. Tenentur tamen recitare Religiosi profani, quia statum suum non amittunt, uti & viventes extra Claustra, aut in carcere detenti, secus vero ad trimenses damnati; tum qui in illa damnatorum turba cederet in dedecus ordinis statum suum

ostendere; tum quia in tam miserabili statu non videntur hoc onere gravandi.

33. R. 3. Beneficiati omnes; quotquot habent jus in re, & plenum dominium beneficii, si fructus percipiant, vel percepturi sint, tenentur ad horas ex Cone. Lat. sub Leone X. & Ecclesie consuetudine; quia Beneficium datur propter Officium. Hinc nemo tenetur ad recitandum ante acceptam possessionem, nec qui sine culpa fructus nullos percipiat, aut percepturus est. Aliter dicendum de eo, qui solam percipit aliquam partem fructuum; sed quæ sufficit ad sustentationem. Pariter tenetur iis, qui primo, aut etiam secundo anno non percipit, eo quod fructus assignentur fabricæ, vel sumptibus fune- tis, quicquid contra sentiam non improbabili- ter Cajetanus, & Lessius. Nec excusatur ha- bens tenue Beneficium, cum jus omnibus indis- tincte Beneficiariis hoc onus imponat, sicut iis, qui majoribus ordinibus initiantur. Et qui Be- neficium admittit, cum hoc onere personali sus- cipit, ut ait Suarez, & est communis senten- tia contra Sotum, Lessium, aliosque, nolentes Beneficium obligari, nisi tot percipiat fructus, quod sufficiunt ad mediocrem sustentationem.

34. Qui per metum gravem, eumque injus- tum coactus est ad Ecclesiasticos Ordines sus- cipiendos, non tenetur ad recitandum. Ita pro- babilior sententia, cui subscribunt Navarrus, Azor, Suarez, Tournelyus, alique; licet enim metus non tollat voluntarium, Ecclesia tamen prudenter creditur nolle ad hoc onus obligare nisi eos, qui sponte omnino ordinantur, sicut

eos ad castitatem non obligat. Quod verum est etiam sit Pater fructus beneficii percipiat, quos tamen tenetur restituere; obligatur autem filius, si percipiat ipse fructus.

35. Quod attinet ad præstimoniam, conside- randum est, an sint in titulum perpetuum, & habeant anexum aliquod obsequium spirituale; nam ea rationem habent Beneficii, adeoque inducunt obligationem recitandi. Non ita præsti- monia, quæ solent ad certum tempus assignari, v. g. adolescentibus in subsidium studiorum; nec pensiones carentes titulo Clericali. Neque ad Officium tenentur Coadjutores, qui nihil admi- nistrant, cum hæc obligatio respiciat proprie- tarium, ut docetur communiter cum Salmant.

36. Habens plura beneficia unica recitatione satisfacit, tenetur tamen tot facere commemora- tiones, quod sunt patroni Beneficiorum.

Quæri solet, an qui ad Officium obligatur ex duplici titulo, Beneficii scilicet, & Ordinis Sa- cri, omittendo illud, committat duo peccata? R. breviter: omittens, & fructus non restituens, peccat tum contra Religionem, ut constat, tum contra justitiam, quia injuste retinet alienum. Si vero omittat, sed fructus restituat, peccat quidem contra Religionem, sed non contra jus- titiam, cum alienum non retineat, nec Ecclesia hoc onus imponat nisi ex motivo Religionis.

37. Quæst. 2. Quæ culpa sit omissio Divini Officii? R. Est gravis culpa omittere totum officium, aut magnam ejus partem, sive hæc obligatio oriatur ex jure positivo, ut multis placet, sive ut aliis, ex recepta consuetudine.

Quænam autem censeatur pars officii notabilis, non convenit. Aliqui cum Azorio, & Navarro volunt esse mortale omittere tertiam partem horæ, etiam parvæ; sed probabilius id negatur communiter, quia licet illa pars sit notabilis respectu unius horæ, levis tamen est in se, & respectu totius officii; unde circa gravitatem materiæ totius officii quantitas respicienda est, non autem cujuslibet horæ. Hinc graviter peccaret, qui omitteret aliquam ex horis integram, v. g. tertiam, sextam, & nonam, censeatur autem parva materia, quæ non attingit integritatem unius horæ. Idem quod de reliquis horis, dicendum est de Vesperis, & Completorio, quæ inter septem Horas numerantur; unde omissio alterius esset grave peccatum. In Matutino autem gravis esset materia præterire integrum nocturnum, imo & iusta multos tres lectiones cum responsoriis; sed in hoc contradicunt aliqui, nisi lectiones, & responsoria adæquent unam parvam horam. Integra omissio laudum erit etiam per officii notabilis, non tamen omissio unius psalmi, lectionis, aut responsorii.

38. Omissio omnium horarum non est unum, sed multiplex peccatum; tot scilicet, quot sunt horæ non lectæ, secundum Lessium, aliosque. Sed verius existimo, unum tantum committi peccatum ab eo, qui totum officium prætermittit; sed gravius, quam si unam, vel alteram horam omitteret. Ita expresse S. Antoninus 3. p. tit. 13. c. 4. Apposite autem notat Elbel, quod si quis plures horas omitteret ex

intentionibus moraliter interruptis, plura tunc peccata committeret.

39. *Quæst. 3.* An qui se ad recitandum sciens volens reddit impotentem, unum, vel plura peccata committat? R. sunt, qui velint, unum tantum peccatum committere, scilicet in causa, v. gr. dum sponte perdidit Breviarium. Ita S. Bonaventura, quem plures TT. sequuntur; quia omissio Divini Officii tunc non esset in se voluntaria, sed in causa; unde solum est peccatum in causa. Verior tamen sententia affirmat tot committit peccata, quot sunt omissiones, quas prævidet, nisi pœniteat primi peccati; nam alioqui perseverat voluntarium in causa. Ita S. Th. 1. 2. q. 76. a. 3. ad 3. & alibi, docens ad omissionem peccaminosam non requiri ut adsit voluntarium, sed sufficere voluntarium in causa.

40. *Quæst. 4.* Utrum dubitans, an aliquid omiserit in Officio, teneatur id recitare? R. Scrupulosi non sunt cogendi ad repetendum, cum in iis dubitationes ut plurimum sint inanes timores, vel apprehensiones. Quoad alios vero distinguendum est: nam si dubium sit mere negans, iterandum est, cum in eo possessio steterit pro præcepto: secus autem si dubium sit positivum, cum est prudens ratio credendi te jam dixisse. Imo ait Navarrus: non solum non teneatur repetere id, quod probabiliter credit se dixisse, verum etiam male ageret id faciendo, eo quod habitum concipiendi scrupulos superfluos sibi quereretur. Unde excusaris a repetendo, si recordaris te incepisse psalmum, lectionem, vel

horam, & postea non data opera distractus te invenias legentem, vel recitantem extremum horæ, præsertim si soleas legere, vel recitare etiam memoriter sine errore. Ita Nav. Suarez, alii.

41. *Quest. 5.* Quid restituendum sit ob neglectas horas Canonicas? R. qui alio titulo, quam Beneficii, obligantur ad horas, licet peccent, si eas omittant sine causa; nihil tamen tenentur restituere. Nec ii, qui sine culpa eas non recitant, etiamsi habeant beneficium; quia, ut ait Suarez, in conscientia non debetur poena ei, qui culpa vacat. De cetero Beneficarii, qui sine causa omittunt officium, tenentur restituere fructus pro rata omissionis ex decreto Lat. Concilii, scilicet post elapsam semestre a beneficii possessione. Quod decretum confirmavit Pius V. declarans, eum, qui una die totum officium omiserit, teneri restituere fructus omnes illi diei respondententes; qui autem omiserit Matutinum cum laudibus, mediam partem fructum unius diei; mediamque pariter, qui reliquas horas; qui vero unam ex illis, sextam partem fructuum.

42. Valde probabile est, Beneficiarios, qui alia onera habent, quam preces, v. g. Episcopos, Pastores, cet. ratione injuncti sibi oneris retinere posse aliquam partem fructuum, restituendo eam tantum, quæ respondet oneri Divini Officii, quod omiserunt. Restitutio autem necessario facienda est vel pauperibus, vel fabricæ Ecclesiæ, vel Beneficii, ubi recepta sit Bulla Pii V. nec aliter excusatur ab obligatione restituendi. Damnata est autem ab Alex. VII.

propositio dicens: *restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque elemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.*

43. Q. 6. Quænam excusent a recitandis Horis Canonicis? R. Tria: *infirmetas, impedimentum justum, & dispensatio.* Quod ad infirmitatem attinet, non solum excusat ea, quæ in se sit omnino gravis, sed quæ talis sit, ut ea laborans non possit sine gravi incommodo, vel periculo recitare. Hujusmodi est magnus capitis dolor, notabilis gravedo, stomachi cruditas, aut virium lassitudo, qualem experiri solent etiam convalescentes per aliquot dies. Tertiana laborantes, vel quartana a multis absolute excusantur etiam diebus, a febris vacantibus; sed in hoc spectandæ sunt circumstantiæ tum febris, tum infirmi; in dubio autem standum est judicio Medici. Qui ob ægritudinem excusatur, non tenetur alium legentem audire, vel alium sibi substituere; sed debet, si commode id possit; cum socio recitare. Tenetur etiam horam officii prævenire, si timeat, postea non fore ad recitandum: quod intelligitur intra diem; in qua urget præceptum. Sed valde probabile est, eum, qui non possit recitare Matutinum die sequenti, non teneri in præcedenti anticipare, cum obligatio præcepti nondum sit incepta; quod enim Matutinum legi possit die præcedenti, non oritur ex præcepto, sed ex privilegio a consuetudine introducto, quo homo tenetur uti. Sic Elbel, Sporer, alii.

44. Legitima impedimenta, excusantia ab

hac obligatione esse possunt gravis & repentina occupatio, quæ sine gravi incommodo, vel scandalo omiti nequeat. Quo nomine aliquando non tenentur horas persolvere Concionatores, Confessarii, publici Professores, qui tamen, si liceat debent officium antevertere. Notanda est autem hic propositio damnata ab Alex. VII. *habens capellaniam, vel quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit, si Officium per alium recitet.* 2. Recitandi impotentia, ut cæcitas, vel carentia Breviarii inculcata, si aliud haberi nequeat. Hi tamen tenentur si possint, memoriter recitare vel totum officium, vel unam horam. Proscripta enim est ab Innoc. XI. propositio asserens: *qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Non tenentur tamen recitare modicam aliquam partem, v. g. unum, aut alterum psalmum, nisi id, quod sciunt memoriter, attingat notabilem officii partem. Imo si habeant ad manum Breviarium a Romano distinctum, v. g. Benedictinum, tenentur ex illo saltem de communi recitare; quicquid contra sentiant Salmant. & alii.

45. An autem Beneficiarius aliter non potens, teneatur Socium conducere ad recitandum? Disputant TT. Affirmant Suarez, Bonacina, Layman, & alii, si Beneficium sit pingue; nam cum Beneficium detur propter officium, debet partem fructus erogare, ut officium persolvat. Negant tamen alii non pauci apud Sporer, quia cum obligatio hujusmodi ex probabiliissima opi-

nione inducta solum sit ex jure Ecclesiastico, & ex motivo Religionis, non est adeo stricta, ut implenda sit cum honore extraordinario, quale certe esset conductio socii; præsertim cum Lateranense Concilium ab eo excuset *legitime impeditos.*

46. Tertia causa, excusans ab horis persolvendis est *dispensatio*, quam dare potest Papa valide etiam sine causa, si hoc onus sit solum de Jure Ecclesiastico. Episcopus solum potest cum legitima causa, & cum aliquo particulari, nec nisi ad breve tempus, cum dubitatur de morali impotentia recitandi. Atque idem possunt Superiores Regulares cum suis subditis; & Vicarius Generalis ex speciali Episcopi mandato.

47. *Quest. 7.* Quo modo recitandæ sunt horæ? R. conditiones ad bene recitandum sunt sequentes. 1. servanda est forma Breviarii Romani ex præscripto Pii V. qui tamen proprium reliquit Breviarium Ecclesiis, & Ordinibus Religiosis, qui illo utebantur ante ducentos annos. Hi autem non possunt uti Romano, nisi aut Ordinis consuetudo permittat, aut in aliis Ecclesiis Episcopus. Qui autem recitant secundum Breviarium Romanum, ne in choro quidem obligantur, saltem sub gravi, ad psalmos penitentiales, vel graduales, aut officium Defunctorum, nisi in die Animarum. Ubi autem viget consuetudo, recitari debet officium B. M. V. Jam verò in die. 2. Nov. officium Defunctorum obligat sub gravi ex recepta ubique consuetudine, & contraria sententia, ut ait Suarez, satis tuta non est, nec practice proba-

bilis, ut ait Pellizerius. Non ita loquuntur DD. omnes de obligatione recitandi Litanias in diebus Rogationum, & in die S. Marci; Rubricam enim id præscribentem non importare grave præceptum, sentiunt Navarrus, Vazquez, & alii; verum standum est communi sententiæ; tum quia verbum *dicant*, quo utitur Rubrica, indicat præceptum; præceptum autem in gravi materia impositum, qualis est Litaniarum, est grave præceptum, nisi contrarium constet; tum quia ita declaravit S. Congregatio teste Gavanto; tum quia ubique viget consuetudo recitandi Litanias, tanquam partem officii integram.

48. Qui ex inadvertentia, vel necessitate officium mutavit, nec peccat, nec tenetur repetere, cum Ecclesia velle non præsumatur, ut quis uno die bis ad tantum onus obligetur. Nec ulla est obligatio subjungere propria officii prætermisissis, nisi officium sit notabiliter brevius, quia tunc debet fieri aliqua compensatio. De cetero non licet sine causa officium in aliud commutare, præsertim brevius. An autem sit mortale ea permutatio, disputant AA. Notanda est 1. propositio 34. damnata ab Alex. VII. dicens: *In die Palmarum recitans Officium Paschale, satisfacit præcepto.* Et sic pariter excluditur officium Pentecostes, ut bene ajunt Salmant. & alii. 2. officium mutari posse vel in aliud moraliter æquale, vel in aliud notabiliter brevius....

49. Jam vero licet aliqui excusent eum a gravi peccato, qui officium diei permutat in aliud longe brevius; quia præceptum quoad substantiam impletur; censeo tamen hanc opi-

nionem tolerari non posse, quia præceptum non impletur neque in ejus forma, neque in substantia æquivalenti. Imo grave peccatum est in probabiliori sententiâ officium sine causa mutare, etiam in æquale. Et probatur ex decreto S. Pii in laudata Bulla, quod est hujusmodi: *Hoc nostrum Breviarium.... præcipimus observari: ac quoscumque, qui horas Canonicas dicere debent, ad dicendum ex hujus Romani Breviarii præscripto, & ratione omnino teneri, neminemque nisi hac sola forma satisfacere posse.* Neque enim Ecclesia solum præcipit officium in genere, sed definitum officium, & definitam formam, scilicet officium talis diei, Dominicæ, Sancti, cet.

50. Causæ autem permutandi Officium possunt esse 1. si alio pergas, potes recitare Officium illius loci, quo pergis. 2. Capellanus Episcopi, & domestici Cardinalium uti possunt Officio, & Breviario illorum proprio. Idem multi dicunt de Capellano Monialium, qui cum possit legere Missam de Sancto ipsarum Ordinis, potest quoque illius Officium dicere, ut Missa cum Officio conveniat ex Rubricæ præscripto. 3. Beneficiarius potest recitare sub ritu 1. Cl. cum Octava Officium sui Tituli: quod si duo habeat Beneficia, debet recitare Officium loci, ubi residet. 4. recitans cum socio ejus ritui potest se conformare, si justa sit causa. Imo & sine ulla causa, si Officium sit æquale; ipsa enim societas videtur rationalis causa Officium in æquale commutandi. In officio autem breviori ex privilegio non sufficit ratio societatis, nisi



accedat infirmitas, vel difficultas magna recitandi in eo, qui gaudet privilegio.

Notant autem DD. eum, qui per errorem recitavit de aliquo Sancto, v. g. diei sequentis non teneri ad recitandum alia die de Sancto prætermisso. Et licet possit de illo sequenti die recitare, consultius tamen est se conformare cum communi ritu Ecclesiæ, imo ad id teneri censent DD. multi. Si quis autem animadvertat se errasse postquam multum processit, v. g. Matutino persoluto, potest idem proseguere, sed melius est reliquum legere de Officio debito, ne errori insistat.

51. Quæst. 8. Quænam pronuntiatio ad horas requiratur? R. vocalis, eaque pertinet ad substantiam præcepti. Et quidem si solus recites, ita pronuntiare debes, ut te ipsum audire possis. Ita Suarez cum aliis communiter, quia verba, quæ inter dentes, ut ajunt, modularis, non sunt proprie vox, sed quædam vocis inchoatio. Alii tamen cum Silvio satis probabiliter dicunt satisfacere, qui verba ore proferunt, etiamsi se non audiant, cum id nullibi præcipiatur, nec exigat ratio orationis vocalis, ut distinguatur a mentali. Verum si recites cum socio, ita legere uterque debet, ut a socio vicissim audiatur. Debent autem alternatim versus, lectiones, & reliqua legere, quamquam si unus lectiones omnes dicat, altero audiente, uterque præceptum implevit. Si plures in choro recitant, satis est, ut alterni legant, sive plures ex una parte sint, sive pauciores; lectiones autem dici possunt vel ab uno, vel a pluribus secundum Ecclesiæ con-

suetudinem. Qui in choro recitat, tenetur repetere privatim ea, quæ non audivit etiam sine ipsius culpa, modo sit pars notabilis, secus si unum tantum, vel alterum verbum. Ita communis sententia; quamquam multi satis probabiliter negent obligationem repetendi, si attendas quantum potest, & ob strepitum aliorum non intelligas; moraliter enim cum sociis communicas in precibus, quas chorus effundit. Cui opinioni favet D. Anton. 2. p. tit. 9. c. 12. dum ait: *Si quis lectionem, vel aliud, quod in choro legitur, non intelligat propter legentis ineptitudinem, non peccat, dummodo conetur intelligere saltem verba.* Hinc Suarez, Roncaglia, aliique docent, Officio surdum satisfacere, qui ex obligatione choro assistit, & partem suam recitat; durum enim videtur eum cogere ad duplex Officium, cum per eum non stet, quominus audiat. Censeo tamen probabilius cum Sanctio, ipsum lucrari distributiones, sed non implere obligationem, nisi repetat non audita, sive in ipso choro, dum alii canunt, sive extra chorum.

52. Pronuntiatio debet esse integra, ita ut peccet, qui aut sillabas, & verba mutilat, aut ita festine pronuntiat, ut verba confundat. Erit autem leve, vel grave peccatum, prout parva, vel magna fuerit quantitas officii, quam omittit. Idem dico de recitante cum socio, qui aut mutilat, aut verba obtruncat, vel non expectat versus absolvi, nisi hæc raro fiant, nec cum advertentia. Præterea pronuntiatio debet esse *continuata* unius horæ; sed Matutinum po-

test separari a laudibus, imo & juxta multos, unum nocturnum ab alio saltem tribus horis juxta ritum antiquum; debet autem in fine adji-  
*Pater noster*; an autem addenda sit etiam Oratio, alii affirmant, alii negant; utriusque probabiliter. Qui unam horam interrumpit ex justa causa, non peccat, nec tenetur repetere; peccat autem venialiter qui sine causa interrumpit, licet repetere non teneatur, cum singuli psalmi suam habeant significationem. Ita probabilior sententia contra Suarez, Navarrum, Vazquez, qui volunt totam horam repeti, ut servetur unitas præscripta, quando magna fuit temporis interpellatio.

53. *Quæst. 9.* Quis ordo servandus est in officio Divino recitando? R. is, quem præscribunt Rubricæ Bræviarii, ita ut Matutinum dicatur ante primam, ista ante tertiam, cet. Ordinem autem invertere sine causa, solum est veniale, cum non pertineat ad substantiam, sed ad modum præcepti. Nullum autem erit peccatum, si justa sit causa, ut si recites cum socio, qui alia jam legerit, aut careas Breviario, vel chorum sero advenias. In choro gravem esse obligationem recitandi ordine præscripto, multi docent probabiliter; negant tamen alii probabilius, cum non constat de præcepto super ordinem imposito, nec sit ordo nisi cæremonia quædam accidentaria substantiæ Divini officii.

54. *Quæst. 10.* Quo tempore recitandæ sint horæ Canonice? R. eo tempore, quo a jure, vel consuetudine obtinuit, quod in choro di-

versum esse solet in diversis Ecclesiis. Tempus autem legitimum, in quo præceptum obligat, est a media nocte unius diei usque ad mediam noctem diei sequentis. Ex consuetudine tamen Vesperæ incipiunt post meridiem diei antecedentis; quibus recitatis potest legi matutinum secundum multorum sententiam, quia jam incepit dies Ecclesiasticus; unde si aliquis post dictas Vesperas, & Completorium dicat Matutinas, jam hoc pertinet ad diem sequentem. Ita D. Th. Quolibet. 5. art. 28. Unde deducunt, posse recitari Matutinum, & Laudes statim ab hora secunda pomeridiana, in qua solent multi Vesperas recitare. Ita Salm. cum aliis. Sed opinio magis communis, & recepta docet, non posse recitari Matutinum, nisi cum Sol propior sit ad Occasum, quam ad Meridiem; ea enim est hora propria Vesperarum, & ab ea numeratur dies Ecclesiasticus, licet in aliquibus locis consuetudo obtinuerit Vesperas anticipare.

55. Quod attinet ad minores horas, licet eas persolvere ab aurora usque ad meridiem; nona vero dici etiam post meridiem. Invertre autem temporis ordinem, si nulla sit causa, veniale peccatum est, nullum autem si fiat ex justa causa, modo totum officium dicatur intra diem Ecclesiasticum. Damnata est autem ab Alex. VII. hæc propositio: *unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsentis, & crastina.* In choro Matutinum cum suis laudibus cani debet, antequam celebretur Missa solemnis, seu Conventualis.

Et quidem hæc consuetudo sub gravi peccato obligat, ut verior, & communior sententia tenet cum Navarro, Suarez, & novissime Bened. XIV., cum enim ritus hic generalis sit omnibus Ecclesiis, grave scandalum ex contraria praxi oriretur, læderetur publicus Dei cultus, & conveniens Ecclesiæ regimen. Extraherem non excusatur a culpa levi, qui nulla causa impediende id omitteret; cum inter defectus Missæ a Rubrica notatos alter sit, non recitasse Matutinum cum laudibus ante Missæ sacrificium, atque ita fert antiqua, & recepta Ecclesiæ consuetudo. Non est tamen gravis hæc obligatio, cum ex nullo capite constet præceptum, saltem sub lethali obligans, & aliunde inversio ordinis inter Matutinum, & Missam non est major, quam inter ipsas horas, quæ non pertinet ad substantiam præcepti. Imo quævis causa rationalis, licet gravis non sit, excusat ab omni culpa, ut communis DD. notat cum Bened. XIV. lib. 3. c. 13. de Sacrif. Missæ.

56. Nota 1. matutinum defunctorum in choro recitandum die 2. Novemb. non posse primo vespere recitari ex decreto Sacræ Rituum Congr. 1. Sept. 607. nisi in aliquibus Ecclesiis contraria vigeat consuetudo. Privatim autem licet consultius sit mane dicere, sed posse quoque vespere recitari multi probabiliter docent ex Rubrica ipsa agente: *dicto Benedicamus Domino, absolute incipit matutinum defunctorum.* Sicut ergo permissum est pridie recitare Matutinum diei sequentis, ita, inquit, licitum

est dicere Matutinum Defunctorum. Nota 2. in diebus Rogationum, si pridie Matutinum dicatur cum suis laudibus, transferendas esse litanias ad diem sequentem, quia non ita conjunctæ sunt cum Matutino, ut nequeant separari, & re ipsa separantur in multis Ecclesiis; tum quia illæ privatim recitantur in supplementum processionum, quæ diei naturali ita sunt affixæ, ut si officium. S. Marci transferatur, litanie non transferantur. Sed contraria sententia placuit Gavanto, & aliis, quia Rubrica conjungit Litanias cum laudibus, in quibus ideo omittitur versiculus *fideliùm animæ.*

57. *Quest. 11.* Quo modo recitandæ sint horæ Canonice? R. cum devotione tum interna, tum externa; hoc est *studiose, ac devote*, ut præcipit Later. Conc. IV. c. *dolentes*; id enim exigit religiosa oratio, & laudatio Dei. Porro ad devotionem pertinent intentio orandi, & laudandi Deum, & attentio mentis. Quod attinet, ad intentionem, non est opus expressa intentione implendi præceptum, sed sufficit virtualis. Quod spectat ad *attentionem*, ea debet esse tum externa, tum etiam interna. *Externa* habetur, cum non ponitur actio, quæ pugnet cum oratione, ut esset fabulari, scribere, & similia, quæ multum distrahunt animum. *Interna* autem, cum attendimus ad Deum, quem oramus, ad verba, quæ proferimus, ad sensum verborum. Porro ad implendam rationem Divini officii requiri aliquam attentionem internam, docet communior, & probabilior sententia. Ratio illius præcipua est, quia in Divino

officio præcipitur vera oratio, quæ sit actus Religionis, seu *elevatio mentis in Deum*; Deus autem non potest vere coli per solam attentionem externam, ut ipsemet testatur Matt. 15. *populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*

58. Qualis autem debeat esse attentio interna, non convenit inter DD. Sunt, qui velint necessariam esse attentionem formalem, & explicitam non solum ad verba, sed etiam ad sensum verborum. Verum communis, & vera sententia requirit sane attentionem aliquam internam, sed solum virtuales, quæ excludat omnem voluntariam distractionem. Atque hæc videtur esse doctrina D. Th. in 4. dist. 15. q. 5. art. 2. Et D. Antonius diserte docet, ad orationem solum requiri attentionem permanere secundum suam virtutem. Itaque ut quis officio Divino satisfaciatur, satis est, ut dum se alio distractum esse animadvertit, conetur sese colligere, nec in distractionem perserveret.

### CAPUT V.

#### *De dispositione fructuum Beneficiorum.*

59. An beneficiarii sint domini bonorum suorum, & quomodo illa possint dispensare, dictum est in appendice ad Tract. VII. lib. 3. Hic tamen libet pauca subjungere de alienatione bonorum Ecclesiæ.

*Quest. 1.* Quid est alienatio, & quo jure prohibita? R. 1. nomine alienationis venit non

solum venditio, sed etiam donatio, permutatio, traditio rei in pignus, transactio rei jam ab Ecclesia possessæ. 2. Bona Ecclesiastica sunt res omnes immobiles, earumque jura, & actiones; mobilia quoque pretiosa, puta vasa aurea, vel argentea, gemmæ, bibliothecæ copiosæ, greges, & armenta, arbores, & silvæ; magna quoque pecuniæ summa, destinata ad emendum aliquid immobile, denique annui redditus perpetui. 3. ea omnia alienare prohibitum est jure Canonico tum a Pio II. in Extrav. *Ambitiosæ*, tum ab Urbano VIII. idque sub gravibus penis, scilicet Excommunicationis, & perpetuæ privationis ab omni officio, a quibus excusat innoxia ignorantia, etiam ubi tales pœnæ consuetudine sunt receptæ, multis enim in locis non vigent.

60. *Quest. 2.* Quænam sint debita solemnitates ad validam alienationem? R. 1. communis consultatio. 2. consensus Capituli, vel Cleri. 3. consensus Episcopi vel Superioris regularis; aliqui exigant consensum Patroni, sed contradicit Layman cum aliis. 4. subscriptio consentientium pro casibus a jure expressis. 5. consensus Pontificis, sive S. Congregationis. Quod si deficient solemnitates juris, alienatio est irrita, etiamsi fiat cum causa, nec valeat in foro conscientie; quia jura nullam esse voluerunt alienationem, carentem debita solemnitate, ob periculum gravis damni. Quod si accedat consensus Pontificis, & causa non desit, valida est quia Pontifex censetur supplere defectum solemnitatum; secus si non sit legitima causa, cum

officio præcipitur vera oratio, quæ sit actus Religionis, seu *elevatio mentis in Deum*; Deus autem non potest vere coli per solam attentionem externam, ut ipsemet testatur Matt. 15. *populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*

58. Qualis autem debeat esse attentio interna, non convenit inter DD. Sunt, qui velint necessariam esse attentionem formalem, & explicitam non solum ad verba, sed etiam ad sensum verborum. Verum communis, & vera sententia requirit sane attentionem aliquam internam, sed solum virtualem, quæ excludat omnem voluntariam distractionem. Atque hæc videtur esse doctrina D. Th. in 4. dist. 15. q. 5. art. 2. Et D. Antonius diserte docet, ad orationem solum requiri attentionem permanere secundum suam virtutem. Itaque ut quis officio Divino satisfaciatur, satis est, ut dum se alio distractum esse animadvertit, conetur sese colligere, nec in distractionem perserveret.

### CAPUT V.

#### *De dispositione fructuum Beneficiorum.*

59. An beneficiarii sint domini bonorum suorum, & quomodo illa possint dispensare, dictum est in appendice ad Tract. VII. lib. 3. Hic tamen libet pauca subjungere de alienatione bonorum Ecclesiæ.

*Quest. 1.* Quid est alienatio, & quo jure prohibita? R. 1. nomine alienationis venit non

solum venditio, sed etiam donatio, permutatio, traditio rei in pignus, transactio rei jam ab Ecclesia possessæ. 2. Bona Ecclesiastica sunt res omnes immobiles, earumque jura, & actiones; mobilia quoque pretiosa, puta vasa aurea, vel argentea, gemmæ, bibliothecæ copiosæ, greges, & armenta, arbores, & silvæ; magna quoque pecuniæ summa, destinata ad emendum aliquid immobile, denique annui redditus perpetui. 3. ea omnia alienare prohibitum est jure Canonico tum a Pio II. in Extrav. *Ambitiosæ*, tum ab Urbano VIII. idque sub gravibus penis, scilicet Excommunicationis, & perpetuæ privationis ab omni officio, a quibus excusat innoxia ignorantia, etiam ubi tales pœnæ consuetudine sunt receptæ, multis enim in locis non vigent.

60. *Quest. 2.* Quænam sint debita solemnitates ad validam alienationem? R. 1. communis consultatio. 2. consensus Capituli, vel Cleri. 3. consensus Episcopi vel Superioris regularis; aliqui exigant consensum Patroni, sed contradicit Layman cum aliis. 4. subscriptio consentientium pro casibus a jure expressis. 5. consensus Pontificis, sive S. Congregationis. Quod si deficient solemnitates juris, alienatio est irrita, etiamsi fiat cum causa, nec valeat in foro conscientie; quia jura nullam esse voluerunt alienationem, carentem debita solemnitate, ob periculum gravis damni. Quod si accedat consensus Pontificis, & causa non desit, valida est quia Pontifex censetur supplere defectum solemnitatum; secus si non sit legitima causa, cum

Papa non sit dominus, sed administrator facultatum Ecclesiæ.

61. Nota 1. Si quid Monasterio, vel Ecclesiæ donatum sit cum facultate illud alienandi, nihilominus alienari nequit, nisi probante Pontifice, eo quod jam acquisierit conditionem bonorum Ecclesiæ. Ita De Lugo contra aliquos, censentes illud non acquiri ab Ecclesia nisi juxta beneplacitum, donantis, adeoque posse alienari, si donans expressam dederit facultatem. 2. licitum est Prælati Ecclesiæ repudiare rem immobilem, nondum acquisitam; secus autem censeo de legato, quod non requirit acceptationem, ut statim acquiratur a legatario post mortem legantis. 3. licet aliqui DD. ut Covarruvias, & Molina, censeant posse hypothecari bona Ecclesiastica sine facultate Pontificis; sed nobis probabilius est id non licere, cum hypothecatio sit vera alienatio. 4. causæ justæ alienandi sunt necessitas, vel utilitas ex auct. hoc jur. c. de Sac. Eccl. Item pietas; puta pro redemptione captivorum, vel alia gravi necessitate sublevanda.

62. Quæst. 3. An aliquando liceat alienare res Ecclesiæ sine causa, & sine solemnitate? R. Id licet, cum res sunt exigui valoris, nec a possessore multum æstimantur. 2. res, quæ ad triennium durare non solent, quin deteriores fiant, ut fructus, vestes, & similia. 3. Res Academicæ, Seminarii, Hospitalis, Sodalitatis, quæ non sunt erectæ auctoritate Episcopi. 4. dum ad res conservandas redditus non sufficiant; nisi sint steriles, quæ indigent facultate Pontificis,

vel saltem Episcopi cum Capitulo. Denique accedente gravi necessitate, vel utilitate cum consensu Episcopi, vel Superioris Regularis, si sint res propriæ Monasterii.

## CAPUT VI.

## De aliis obligationibus Clericorum.

63. Quæst. 1. Quænam specialiter Clericis præcipiuntur? R. 1. si majoribus sint ordinibus initiati, aut etiam minoribus, si habeant Beneficium, obligantur ad ferendam tonsuram, & vestem Clericalem ex Conc. Lat. IV. & ex Trid. Sess. 14. c. 9. Porro vestis debet esse talaris, ut sub gravi pœna Sixtus V. præcepit Const. 92. Et S. Carolus in Syn. II. Medioli. inter alios casus hunc sibi reservat: qui quævis beneficia obtinentes habitum Clericalem non induunt, exceptis iis, qui iter faciunt, quibus contractior vestis permittitur, ita tamen honesta, ut eos esse Ecclesiastici Ordinis quis facile possit agnoscere. R. 2. tenentur Clerici majoribus Ordinibus insigniti servare castitatem perpetuam ex voto solemnî, quod Ecclesia annexit Ordini Sacro. Later. 1. & Trid. sess. 24. c. 9. Item debent specialem Episcopo obedientiam in iis, quæ ad proprium statum pertinet. V. dicenda de Sac. Ord.

64. Quæst. 2. Quænam Officia sint prohibita Clericis? R. Officium Judicis in causa sanguinis, Advocati, Patroni, Tabellionis, seu Notarii in causis sæcularibus. Licet tamen illis

advocatos agere pro egenis, & si opus sit, provalde conjunctis. Imo & consuetudo permittit illis fungi officio Cancellarii, Consilarii, atque etiam Judicis in causis Civilibus. Non tamen eis licet gerere procurationem personæ sæcularis cum obligatione reddendi rationes ex c. *Sed nec* 5. *Ne Clerici, vel Mon.* & est conforme doctrinæ Apost. 2. ad Timoth. c. 2. dicentis: *nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Exercitium Chirurgi, & Medici, ubi opus est incisione, vel adustione.

65. *Quæst.* 3. Quenam sint actiones Clericis speciatim prohibitæ? 1. *bellica exercitia* ex c. *quicumque*, 23. q. 8. & Can. 5. dist. 50. Unde non licet eis arma gestare, nisi in itinere. 2. *Popinarum ingressus* ex Lat. IV. c. 16. *nisi forte causa necessitatis in itinere constricti.* 3. *Venatio*, quæ fit cum clamore, & armis, & cum canibus, & avibus ex c. 1. *de Clerico venatore*, & ex Lat. IV. c. 15., alicubi tamen permittitur recreationis causa, modo fiat sine strepitu, & scandalo, & sine multa frequentia. 4. *negotiatio* ex eodem Lat. & Clem. I. *de vita, & honest. Cler.* Vide dicta lib. 3. c. *de negotiat.* Prohibetur etiam Clericis ludus alearum, & taxillorum ex variis Conciliis, præsertim laudato Lateranensi: item ludus chartarum, nisi moderatus sit, & sine scandalo, nec magna pecuniæ summa. 5. *cohabitatio cum femina*, de qua suspicio esse potest ex Nic. 2. Can. 3. & Lat. 1 cap. 3.

66. Denique tum ex Conc. Later. tum ex Trid. prohibitæ sunt Clericis *choræ*, *theatra*, *spectacula*, *ebrietates*, *comessationes*, & *sæculi*

*voluptates*, *sæcularia negotia*, & alia hujusmodi, quæ repugnant sanctitati, & puritati Ecclesiastici Ordinis, & sæcularibus præbent occasionem offendiculi, & scandali. Præscribit autem Trid. Sess. 24. c. 12. ut observemur sub pœnis arbitrio ordinarii imponendis, præter eas, quæ a jure sunt injunctæ, quæcumque de cultu, vita, & honestate Clericorum vel a Conciliis, vel a Summis Pontificibus sancita sunt.

Nota; usum *Comæ supposititiæ*, vulgo *parueca*, non esse Clericis permissum, nisi ea modesta sit, & prius Episcopo spectata; nec posse quemquam cum ea Sacrificium celebrare, nisi cum facultate R. Pontificis. V. Bened. XIV. lib. VII. de Syn. Diœc. c. 60.

## TRACTATUS III.

DE OFFICIO JUDICIS, ADVOCATI, ET ALIARUM PERSONARUM AD JUDICIUM SPECTANTIUM.

## CAPUT PRIMUM.

De potestate, & officio Judicis.

1. *Quæst.* 1. Quid requiritur in iudice, ut recte munere suo fungatur? R. 1. *jurisdictio*, sine qua sententia nulla est, nisi adsit titulus coloratus, & error communis. Hinc graviter peccat iudex sæcularis, qui ad se trahit personas, vel causas mere Ecclesiasticas; nisi & Ecclesiasticus, si mere civiles, nisi excuset urgens ratio, & necessitas. 2. *cognitio causæ* cum morali saltem

advocatos agere pro egenis, & si opus sit, provalde conjunctis. Imo & consuetudo permittit illis fungi officio Cancellarii, Consilarii, atque etiam Judicis in causis Civilibus. Non tamen eis licet gerere procurationem personæ sæcularis cum obligatione reddendi rationes ex c. *Sed nec* 5. *Ne Clerici, vel Mon.* & est conforme doctrinæ Apost. 2. ad Timoth. c. 2. dicentis: *nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Exercitium Chirurgi, & Medici, ubi opus est incisione, vel adustione.

65. *Quæst.* 3. Quenam sint actiones Clericis speciatim prohibitæ? 1. *bellica exercitia* ex c. *quicumque*, 23. q. 8. & Can. 5. dist. 50. Unde non licet eis arma gestare, nisi in itinere. 2. *Popinarum ingressus* ex Lat. IV. c. 16. *nisi forte causa necessitatis in itinere constricti.* 3. *Venatio*, quæ fit cum clamore, & armis, & cum canibus, & avibus ex c. 1. *de Clerico venatore*, & ex Lat. IV. c. 15., alicubi tamen permittitur recreationis causa, modo fiat sine strepitu, & scandalo, & sine multa frequentia. 4. *negotiatio* ex eodem Lat. & Clem. I. *de vita, & honest. Cler.* Vide dicta lib. 3. c. *de negotiat.* Prohibetur etiam Clericis ludus alearum, & taxillorum ex variis Conciliis, præsertim laudato Lateranensi: item ludus chartarum, nisi moderatus sit, & sine scandalo, nec magna pecuniæ summa. 5. *cohabitatio cum femina*, de qua suspicio esse potest ex Nic. 2. Can. 3. & Lat. 1 cap. 3.

66. Denique tum ex Conc. Later. tum ex Trid. prohibitæ sunt Clericis choræ, theatra, spectacula, ebrietates, comessationes, & sæculi

voluptates, sæcularia negotia, & alia hujusmodi, quæ repugnant sanctitati, & puritati Ecclesiastici Ordinis, & sæcularibus præbent occasionem offendiculi, & scandali. Præscribit autem Trid. Sess. 24. c. 12. ut observemur sub pœnis arbitrio ordinarii imponendis, præter eas, quæ a jure sunt injunctæ, quæcumque de cultu, vita, & honestate Clericorum vel a Conciliis, vel a Summis Pontificibus sancita sunt.

Nota; usum Comæ supposititiæ, vulgo *parueca*, non esse Clericis permissum, nisi ea modesta sit, & prius Episcopo spectata; nec posse quemquam cum ea Sacrificium celebrare, nisi cum facultate R. Pontificis. V. Bened. XIV. lib. VII. de Syn. Diœc. c. 60.

### TRACTATUS III.

DE OFFICIO JUDICIS, ADVOCATI, ET ALIARUM PERSONARUM AD JUDICIUM SPECTANTIUM.

#### CAPUT PRIMUM.

*De potestate, & officio Judicis.*

1. *Quæst.* 1. Quid requiritur in iudice, ut recte munere suo fungatur? R. 1. *jurisdictio*, sine qua sententia nulla est, nisi adsit titulus coloratus, & error communis. Hinc graviter peccat iudex sæcularis, qui ad se trahit personas, vel causas mere Ecclesiasticas; nisi & Ecclesiasticus, si mere civiles, nisi excuset urgens ratio, & necessitas. 2. *cognitio causæ* cum morali saltem



certitudine, alioquin se exponeret errandi periculo, & teneretur ad restitutionem illati damni. Hinc præcedere debet rectus processus, citato reo, & audito, testibus, cet. nisi forte cum delicta sunt atrocita, & excepta, in quibus crimen notorium, & publicum sit loco accusatorum, & testium, ut aliquando potest accidere. 3. *recta intentio servandæ justitiæ*; peccabit enim contra charitatem, vel alias virtutes, qui licet juste judicet, id tamen facit ex odio, vel alio fine non recto.

2. Requiritur 4. in Judice, ut in Advocato, Medico, cet. *scientia*, earum rerum, quæ ad proprium munus spectant. Hinc peccat graviter petens officium judicis, aut suscipiens, si caret necessaria scientia, nec potest absolvi, nisi paratus sit officium dimittere, ut notat S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 2. Peccat item graviter, si ex imperitia male judicet, & tenetur restituere damnum, quod inde aliis sit exortum. Quod si judex agnoscat errorem a se etiam sine culpa commissum in damnum litigantis, debet, quoad possit, ipsum emendare, v. g. monendo partem læsam, ut sibi appellatione, vel aliter consulat.

3. *Quæst. 2.* Quot modis peccare graviter possit judex contra officium suum? R. 1. differendo per multum temporis sine justa causa expeditionem causarum; tunc autem tenetur sarcire damna illata, quorum est causa per injustam dilationem. 2. accipiendo a litigantibus pecuniam, vel alia quæcumque munera, etiam liberaliter oblata ex l. 18. §. *de off. Præsidi.* & l. 6. §. *de off. Proc.* Quæ munera si injuste accepta

sint, tenetur ex jure naturali ea restituere; si vero sine injustitia accepta sint, non tenetur ea restituere ante sententiam judicis ex opinione S. Antonini, Navarri, & aliorum. Quamquam multi doceant invalidam esse acceptionem, proindeque accepta debere restitui, etiamsi nulla judicis sententia intercedat. Cui opinioni favere videtur D. Th. 2. 2. q. 62. art. 3. Peccat etiam judex, si non judicet secundum leges. Unde inferior non potest poenam relaxare, vel minuere, etiam si actor consentiat, nisi aliud Reip. convenire per epikejam judicaret, aut justa sit ratio interpretandi voluntatem Superioris. Supremus autem Judex id potest ob justam causam, puta ob publicam solemnitatem, lætitiâ Regni, cet. nisi a reo malum Reipublicæ immineret.

4. *Quæst. 3.* An Judex possit condemnare eum, qui juridice probatus sit innocens, si eum privata scientia sciat esse reum? R. neg. ex S. Th. 2. 2. q. 67. quia judicat ut persona publica, ideoque sequi debet publicam scientiam, & agere secundum allegata, & probata, præsertim in favorem rei.

Quid vero si juridice probetur reus delicti, qui privata scientia noscitur a judice omnino innocens? S. Th. & alii DD. ob rationem nuper allatam dicunt posse a judice condemnari, quando nulla supersit ratio eum liberandi, v. g. impediendo accusationem, extrahendo judicium, remittendo causam ad Superiorem, vel aperiendo carcerem, si absque majori malo fieri possit. Contrarium tamen verius videtur Navarro, Lugo, multisque aliis DD. quia damnare innocen-

tem est intrinsece malum, sicut esset cogere mulierem ad vivendum simul cum eo, quem Judex privatim sciat non esse maritum ejus; nec Judex habet ullam auctoritatem contra innocentem. Itaque debet jurare se cognoscere ejus innocentiam, & potius sese munere abdicare, & quælibet alia pati.

5. Aliud est in causis Civilibus, & pœnis pecuniariis, in quibus, etiam cognita privatim innocentia, potest judicare secundum allegata, & probata, postquam alias vias tentarit ad veritatem, & innocentiam detegendam. Discriminis ratio est; quia Resp. non habet dominium vitæ, & corporis subditorum, adeoque non potest directe occidere innocentem; habet tamen supremum dominium bonorum subditorum, adeoque potest illis privare subditos, quando bonum publicum id requirit ad pacem, & tranquillitatem regni; & ne forma judiciorum cum scandalo evertatur.

6. Quæst. 4. Quid faciendum est judici, cum jus non est certum, sed pro utraque parte sunt sententiæ probabiles? R. 1. in quæstione juris, v. gr. an ex testamento minus solemnibus debeat hæreditas, debet ferre sententiam secundum opinionem probabiliorum. Ratio, est, quia Judex est constitutus, ut secundum merita causæ jus suum unicuique tribuat, & quidem majus est jus ei, cui probabilior opinio favet. Unde damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio: *probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem.* R. 2. Idem dicendum est in causis civilibus, quando dubium est

proprietas, & possessionis, propter allatam rationem. Quod si pro actore stent rationes validiores, ei rem esse adjudicandam tenet Tamburinus; posse autem, sed non debere Judicem rem actori applicare, censet Lugo. Alii tamen multi censent, reum legitime possidentem non posse re sua ex spoliari a judice, etiamsi actor pro se rationem habeat probabiliorum; quia titulus possessionis, ut ait Roncaglia, ex comuni Theologorum sententia elidit rationes probabiliores; nec procedi potest contra possessorem, nisi ex certitudine, ut probat Sfrondatus.

7. R. 3. cum rationes sunt æque probabiles, in causa civili favendum est possessori ex c. *liter. de prob.*, in causa vero criminali favendum est reo; quia nemo damnandus est, nisi constet de ipsius crimine ex l. *si absentem ff. de pœnis*. Quod si jura sint æqualia in rebus Civilibus, communiter dicunt Auctores, rem esse ex æquo dividendam. Atque idem censeo, cum est in opinione, cuinam partium jus faveat. Judex enim non est rerum dominus, sed distributor juxta partium jura; proindeque cum ea sunt æqualia, non potest uni præ altera rem adjudicare. Ita Suarez, Salmant. alii contra Sotum, & alios, dicentes, posse judicem se conformare cum ea opinione, quam maluerit, sine injuria alterius.

8. Quæst. 5. Quid judici servandum circa inquisitionem? R. 1. Via inquisitionis ex triplex. 1. generalis, cum in genere quæritur, an leges serventur, 2. specialis, quando quæritur de certo crimine & persona. 3. mixta, quando vel sola persona, vel crimen solum est speciale,

ut si quærat, quis Cajum occiderit? R. 2. Judex ratione sui officii potest semper instituere inquisitionem generalem; sed ubi nulla data est occasio, non potest in particulari occulta elicere, alias maxima orirentur incommoda. Ut autem faciat inquisitionem specialem, præcedere debet infamia, vel quid simile, præbens inquirendi justam causam. Excipe casus aliquos graviores, in quibus id exigit Reipublicæ bonum.

9. *Quæst. 7.* Quid liceat judici circa quæstionem, sive torturam? R. 1. ad torquendum reum requiruntur gravis criminis ea saltem indicia, quæ faciant semiplenam probationem: talia sunt testis unus, omni exceptione major, rei confessio extra judicium, assertio duorum, vel trium testium criminis sociorum in criminibus exceptis, imo & in causa veneficii sola denuntiatio complicum, fama publica a viris honestis exorta, ac per testes probata cum adminiculo alterius indicii. Nam tortura instituta est ad subsidium probationis, ita ut ex indicii valde efficacibus, & confessione rei fiat plena probatio. Itaque adhiberi tortura non potest, nisi prius aliæ viæ mitiores tentatæ sint ad detegendam veritatem, aut nisi grave sit delictum, & indicia gravia, uti & quando aliunde plena criminis est probatio.

10. R. 2. Nisi in criminibus exceptis torqueri non possunt personæ nobiles, & in dignitate constitutæ, neque impuberes, senes, aut ita debiles, ut sine certo vitæ periculo moraliter tormenta ferre non possint. Semel autem tortus, si nihil est fassus, iterum torqueri non debet,

nisi nova criminis indicia superveniant, quia per torturam priora elisit. Si vero crimen in tortura confessus est, confessio vim non habet, nisi ratam habeat extra torturam, maneatque in ea usque ad sequentem diem. Quodsi tertio totus, ac confessus, confessionem tertio retractet extra quæstionem, absolvendus est, quia præsumendum est confessionem vi tormentorum fuisse coactam.

11. *Quæst. 7.* Ad quid tenetur judex, qui sententiam injustam tulit? R. si dolo, vel culpa id fecit, tenetur parti læse damnum restituere. Si vero absque ulla culpa theologica, debet revocare sententiam, quoad fieri possit. Judex autem, qui pecunia corruptus inique judicat, dicitur baratriam committere, & si sit secularis, a legibus dignitate privatur, inhabilis redditur ad judicandum, & relegatione punitur. Insuper reputatur infamis, & tenetur restituere triplum pro pœna, & omnia damna parti læsæ. Hoc quidem in causa civili; in criminali vero si innocentem damnasset ad mortem, capitis pœna mulctatur. Atque eadem pœna punitur is, qui judicem corrumpit. Judex autem Ecclesiasticus suspenditur ab Officio per annum, aliisque pœnis mulctari potest.

## CAPUT II.

## De Officio Advocati.

12. *Quæst. 1.* Quænam requiruntur in avvocato? R. requiri scientiam muneri suo conve-

nientem, justitiam causæ, fidelitatem in exequendo munere, & justitiam in accipiendo pretio; ita ut non possit accipere ultra id, quod sit præscriptum a lege, vel si non sit præscriptum, ultra id, quod justum a prudentibus æstimatur secundum regionis usum. Hinc non potest advocatus tueri eam, quam scit esse injustam; potest autem suscipere causam, etiam minus probabilem, modo partem moneat de minori probabilitate. Peccat etiam, si utrique parti patrocinetur, aut ab utraque premium accipiat. 2. si ob illicitas dilaciones, te tium subornationes, & similia officiat adversario. 3. si in eadem causa, in qua est iudex, agat simul ad vocatum. 4. si producat etiam in causa justa falsas Scripturas, testes falsos, vel instrumenta; vel adducat leges jam abrogatas, vel falsas, aut bonas in falsum sensum detorqueat. Denique si contractum usurarium, vel aliter iniquum probet, aut suadeat.

15. *Quæst. 2.* Quibusnam prohibetur munus advocati? R. impotentibus, infamia notatis, Monachis nisi in causa Monasterii cum facultate Prælati ex c. *ex parte, de postulando*. Item Sacerdotibus sive in foro laicali, sive Ecclesiastico ex c. *ex Sacerdotibus*. Nisi in causa ipsorum propria, vel Ecclesiæ propriæ; in causa pauperum, vel consanguineorum infra 4. gradum, modo isti alium advocatum ita idoneum non inveniunt; nunquam tamen in causa criminali coram Iudice sæculari. Clerici autem minores, si Beneficiati sint, prohibentur ex instituto advocatos agere, nisi careant patrimonio ad victum; sed

permittitur non habentibus beneficium. An autem possint in causa criminali, non est certum; sed probabilius negandum, nisi forte ad defendendum reum. In quocumque autem foro licet Sacerdoti advocare pro rebus Ecclesiasticis, ut constat ex c. 1. *de postul.*

14. *Quæst. 3.* Ad quid teneatur Advocatus, qui patrocinatur causæ injustæ? R. si sciens causam esse injustam, aut per culpam ignorans illam tuetur, tenetur ad compensationem damni consequentis, tum adversario, cui injuste adversatur, tum clienti, quem monere debuit de causæ injustitia. Verum si ille prius admonitus voluit litigare; peccavit sane advocatus, patrocinando injustam causam, nullam tamen clienti injuriam intulit, adeoque nihil ei compensare debet. Tenetur tamen ad compensationem advocatus, qui falsa spe victoriæ decipit clientem, aut causam dubiam dicat esse certo justam. Pariter is, qui cum res non sit dubia, suadet compositionem, aut vi, metu, ac deceptione inducit ad transactionem; non vero, si eam persuadeat sine dolo, nec damno alterius.

## CAPUT III.

De Officiis Referentis, Secretarii, Notarii,  
& Procuratoris.

15. *Quæst. 1.* Quænam est obligatio referentis? R. Debet scire ea, quæ ad suum officium spectant, debitamque diligentiam adhibere juxta ea, quæ debita sunt muneri suo, tum ex officio,

tum ex juramento. Unde peccat. 1. si ex ignorantia sui officii, vel ex incuria male referat, vel aliquid substantiale prætermittat. 2. si conetur magis unius partis justitiam, quam alterius explicare. 3. si sententiam alterutri parti manifestet, priusquam evulgetur, unde possint gravia incommoda sequi, v. g. judex recusari, cet.

16. *Quest. 2.* Ad quid tenetur Secretarius? R. præter scientiam muneris suo necessarium, debet servare juramentum, & secretum, non manifestando sententiam, priusquam evulgetur, nec ostendendo litigantibus processum, vel sententiam sine præscripto judicis. Debet testimonia fideliter transcribere, adeoque peccare graviter potest vel augendo, vel imminuendo, immutando, vel invertendo in re substantiali.

17. *Quest. 3.* Quænam sunt obligationes tabellionis publici, seu notarii? R. præter sufficientem peritiam requiritur in tabellione fidelitas, & diligentia. Itaque peccat graviter, & ad restitutionem tenetur, si ex officii ignorantia, vel negligentia, vel ex malitia testimonia, vel solemnitates necessarias omittat; si juramentum violat, aut secretum necessarium; si in depositione testium aliquid addat, vel detrahat magni momenti; si ministro transcriptori cum periculo erroris examen committat; si protocolla, & acta negligenter custodiat, si differat sine justa ratione expeditionem causæ; si testimonium aliquod necessarium per malitiam non exhibeat: si conficiat instrumentum falsum, vel usurarium; si faciat, ut processus, & causa deveniant ad alios judices, vel referentes, quam ordo tribunalis

postulat; si acta occultet, vel parti petenti trasumptum processum neget; si omisso instrumento antiquo publico, vel testamento, aliud simile contingat.

18. Præterea notandum est. 1. nulla esse, & infirma instrumenta, facta a notario infami, sive infamia juris, sive facti. 2. Clericos in Sacris, vel Beneficium habentes non posse exercere munus notarii, nec etiam in foro Ecclesiastico publico. 3. Tabelliones non posse aliquid recipere ultra pretium justum a litigantibus; quæ lex certe obligat in conscientia; sed Lugo excipit, nisi tenuis adeo sit taxa præscripta, ut stando ipsi Tabelliones ex stipendiis propriis vivere nequeant: addunt Salmant. extraordinarium ab ipsis pretium accipi posse, si extraordinarium præstent laborem.

19. *Quest. 4.* Quænam sit obligatio Procuratoris? R. in eo, ut de avvocato diximus, requiri scientiam, fidelitatem, & diligentiam. Unde peccat. 1. si litem suscipiat injustam, vel plures causas procuret, quam possit opportune expedire. 2. si plus mercedis accipiat, quam justum. 3. si suadeat reo, vel actori, ut veritatem neget injuste. 4. si sua incuria, vel culpa sit in causa, ut lis perdat. 5. Si nomine alicujus juret sine particulari instructione cum perjuriis periculo. 6. si non adsit tribunali, cum debet, metu incommodi futuri, vel alia de causa non justa. 7. si litigantes adducat ad concordiam injustam. 8. Si differat causam, vel pervertat judicem, vel petat terminos superfluos; denique si falsos testes adhibeat.

## CAPUT IV.

## De Accusatore.

20. *Quest. 1.* Quænam requiruntur ad legitimam accusationem? R. quinque. 1. ut fiat in scriptis, vel saltem a tabellione scribatur. 2. ut ibi exprimat nomen accusatoris, & rei. 3. ut exprimat species delicti, & etiam nomen socii, si sit crimen adulterii, sodomix, & similis. 4. ut exprimat tempus, locus delicti, & etiam hora, si reus id postulet. 5. ut accusator subscribat, ut ita obligatus sit ad crimen probandum, vel ad pœnam subeundam. In quo differt accusatio a juridica denunciaione, quæ fit iudici, ut reus puniatur; sed absque onere probandi delictum, neque opus est ut fiat in scriptis. Multo minus id opus est in denunciaione paterna, quæ fit Superiori, tanquam patri, ut reus emendetur.

21. *Quest. 2.* Quis teneatur alterum accusare, vel denunciare? R. 1. Fiscales, custodes agrorum, & alii, qui a Republica, vel dominis ad id finis stipendium accipiunt; alias tenentur compensare damna ex eorum negligentia Reipublicæ, vel dominis illata. R. 2. etiam privatus ad id tenetur, cum agitur de communi damno vitando, & crimen probari potest; tunc enim docet S. Th. 2. 2. q. 63. art. 1. obligationem esse accusandi; quod si delictum satis probari nequeat, sufficit ut reus denunciatur; imo ut plurimum satis est reum denunciari, ne ob metum pœnæ subeundæ deterreantur homines a

delatione criminum cum communi detrimento. Verum, excepto crimine hæresis, non est obligatio denunciandi, quoties delictum est emendatum, nec grave periculum imminet Reipublicæ.

22. *Quest. 3.* Quinam prohibentur in iudicio accusare? R. Excommunicati, infames, feminae, impuberes, nisi in causa propria, aut crimen cedat in grave damnum commune. Filii, servi parentes, vel dominos nequeunt accusare, nisi de crimine hæresis, aut læsæ Majestatis. Clerici in causa sanguinis; nec laici Clericos, nisi isti sint hæretici, sacrilegi, simoniaci, vel dilapidatores bonorum. Monachi nequeunt accusare laicos sine facultate Prælati ex c. *ex parte tua*; sed possunt accusare alios monachos, atque etiam prælatos ex eodem cap. Inimicus quoque ab accusatione repellitur, præter crimen hæresis. Pariter repellitur socius criminis, nisi in delictis hæresis, sodomix, læsæ Majestatis, adulteratæ monetæ, furti famosi, & similibus, ex c. *de accus. l. final.*

23. *Quest. 4.* Quando non licet reum accusare? R. cum crimen est dubium, nec satis probari potest; cum illud notum est sub naturali arcano, nisi is, qui secretum commisit innocentem, vel Reipublicam injuste vexaret, nec monitus veller ab incepto desistere. Nec vero licet denunciare crimen, quod tibi constat emendatum, cum parti læsæ satisfactum est, nec periculum est recidendi, & aliunde non est publicum; quia sine causa proximi fama læderetur. Denique, cum speratur emendatio-

nis fructus per privatam correptionem, nec crimen cedit in commune damnum, non licet peccantem denunciare, nisi prius servato ordine correctionis fraternæ, tradito in Evangelio Matt. 18. v. 15.

24. Non peccas tamen, si accuses sine prævia monitione, quando crimen est in damnum Reipublicæ, ut conjuratio, hæresis, & similia, in quibus vix unquam ex privata correptione speratur fructus, & mora valde nocere potest. Hinc Alex. VII. damnavit hanc propositionem: *quavis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.* Unde in Religiosis Ordinibus, etsi crimen sit occultum, si Communitati sit perniciosum, statim ad Superiorem deferendum, nulla præmissa correptione fraternæ. S. Th. 2. 2. q. 33. ar. 7. Si vero occultum sit, nec Societati damnosum, servandus est ordo fraternæ correptionis. Vide alia de Correct. fraternæ Tom. 1, lib. 2. Tract. 3. de præc. Charit. c. 5.

## CAPUT V.

### De Testibus.

25. *Quæst. 1.* Quot testes, & quales requirantur ad legitimam judicium? R. exceptis quibusdam delictis, ad plenam probationem necessarii sunt saltem duo testes, qui exterius perceperint id, de quo testantur; idemque crimen, atque in iisdem circumstantiis deponant; aliter erunt tantum singulares, ut vocant, tes-

tes, qui non faciunt plenam probationem. Præterea debent esse omni exceptione majores, in quibus nulla desit conditio, quæ ad testandum requiritur. Unde excluduntur 1. servi. 2. mulieres, saltem in causis capitalibus. 3. impuberes etiam in causis civilibus, & in criminalibus minores 20. annis. 4. inimici, etiam in delictis læsæ majestatis. 5. Sanguine conjuncti usque ad 4. gradum, nisi crimen sit hæresis; & domestici, ut famuli, coloni, exceptis gravioribus quibusdam casibus. 6. infames. 7. perjuri. 8. Socii criminis, nisi crimen sit hæresis, vel maleficium, vel tale, ut non possit sine socio patrari. 9. inopes, & viles, nisi sint probatæ vitæ. Denique deliri, & semifarui, ex quibus tamen ii, qui solo jure positivo sunt inhabiles, possunt admitti in criminibus exceptis.

26. *Quæst. 2.* Quando unus testis ad probandum sufficit, & quando requiritur major numerus testium. R. 1. unus testis sufficit ad impediendum matrimonium, si juratus sciat, & non de solo auditu, nisi impedimentum sit consanguinitatis, & adsit alius testis de certa scientia, licet hic deponat sine juramento. Sufficit etiam testimonium solius Episcopi, suo sigillo scripturam signantis in judicialibus ad munus suum pertinentibus. Pariter testimonium publici Officialis de crimine levi, non ita de gravi. Idem dicunt de perito in sua arte, v. g. Medico testante mortem aliquam naturalem esse. Unicus quoque testis probat, quando agitur de læsione minoris, aut in testamento, quando Testator voluit, ut alicui personæ fides haberetur. R. 2. Tom. II. 6

aliquando duo testes non sufficiunt, ut in testamento, in quo septem a jure requiruntur, in causa Episcoporum, & Sacerdotum, ac Clericorum.

27. *Quæst. 3.* An, & quando quis testari debeat? R. tenetur unusquisque testari, quoties id caritas exigit ad avertendum malum Reipublicæ, vel privati innocentis, & ex præcepto judicis, vel superioris legitime interrogantis; judex autem legitime interrogare dicitur, quando criminis est saltem semiplena probatio per unum testem, vel per infamiam, vel indicia manifesta. Cum enim hæc omnia desunt, judex non habet jus ad interrogandos testes, nec isti tenentur fateri veritatem, ut ait S. Th. 2. 2. q. 66. ar. 1. *Non tenetur accusatus respondere, sed potest vel per appellationem, vel aliter subterfugere, respondendo scilicet se nescire.*

28. Etiam legitime interrogatus non tenetur testari, qui scit rem ex Confessione, aut sub fide arcani, ut Consiliarius, Advocatus, Medicus, quia præceptum naturale præferendum est præcepto Judicis, ut docet S. Th. 2. 2. q. 20. ar. 1. Isti tamen tenentur detegere rem sub arcano commissam, quando imminet grave damnum Reipublicæ, vel innocentis, quod aliunde averti non possit. Nec tenetur testari quisvis cum gravi suo, vel suorum damno, nisi majus prævaleat malum alienum, vel publicum; nec cum rem accepit a viris fide non dignis, vel eam injusto modo intellexit, v. g. aperiendo litteras, cogendo alium ad revelandum, cet. nec qui scit, eum, de quo inquiritur, immunem esse a

culpa propter ignorantiam, vel aliam causam.

29. *Quæst. 4.* An peccet contra justitiam, qui ante citationem fugit, an qui fugit citatus? R. communis sententia docet, eum, qui fugit, ne a judice citetur, peccare quidem posse contra caritatem, si testimonium ejus necessarium sit ad avertendum aliquod grave damnum; sed non peccare contra justitiam, quia si quod jus nascitur alteri ex tuo testimonio, id oritur ex præcepto judicis: nulla igitur injustitia esse potest antequam præceptum imponatur. Imo multi docent, etiam citatum a judice, si fugiat, non peccare contra justitiam, sed contra obedientiam tantum, quia citatio nullam inducit obligationem justitiæ. Aliud est de iis, qui occultant, lacerant, vel subtrahunt scripturam, vel instrumenta, quibus aliquis jus suum probare posset; hi enim gravis damni sunt efficax causa, quod tenentur resarcire. Idem dico de eo, qui interrogatus a judice veritatem occultat, unde damnum grave proximo oriretur, præsertim si fraude, aut mendacio sit causa positiva alieni damni; aliqui enim ab obligatione restituendi excusant eum, qui solum fuit causa negativa, tacendo veritatem, licet peccarit contra obedientiam, charitatem, & juramenti religionem. Quo pacto judex interrogare debeat testes, vide apud auctorem, si vacat.



## CAPUT VI.

## De Reo.

30. *Quest. 1.* Quando reus non teneatur crimen suum fateri? R. cum iudex non est legitimus, aut legitime non interrogat, potest reus iudicem eludere, veritatem occultando, juxta dicta de ambiguitate verborum. Ait tamen S. Th. 2. 2. q. 69. ar. 1. *Aliud est veritatem tacere, aliud falsitatem disponere. Quorum primum in alicuo casu licet, non enim aliquis tenetur omnem veritatem confiteri, sed illam solam, quam ab eo potest requirere iudex, puta, cum præcessit probatio semiplena.* Nunquam tamen licet falsum profiteri, cum mendacium sit ab intrinseco malum. An autem reus teneatur respondere, si dubitet de legitima interrogatione, affirmant S. Antoninus, Paludanus, & alii; negant vero Sotus, Navarrus, De Lugo, & alii permulti, reum ad id teneri cum gravi suo damno, quia possidet suam vitam, & famam; unde in dubio habet jus conservandi eam, donec constet de legitima interrogatione. Idem docet S. Th. q. 66. art. 1. quando iudex rite interrogat ex præsumptione delicti, si revera delictum non est.

31. *Quest. 2.* An reus teneatur iudici legitime interroganti fateri crimen suum cum periculo mortis, aut alterius gravis poenæ? R. Certum est ad id teneri, quandiu non agitur de causa capitali, vel simili, sed de poena medicinali, ut in causis mere Ecclesiasticis. Certum

id est etiam, cum nulla superest spes evadendi, etiamsi celetur veritas, aut inde grave damnum Reipublicæ timeatur. Extra hos casus aliqui volunt neminem obligat in conscientia ad aperendum crimen suum; quia lex humana communiter non obligat cum tanto periculo, v. g. mortis, trirremium, aut perpetui carceris; tum quia in humanum videtur, ut qui convinci non potest, præbeat arma contra se, quibus occidatur, aut gravi poena afficiatur. Hanc doctrinam valde probabilem censet Lugo, & in praxi tutam. Nihilominus verior, & probabilior mihi est opinio contraria, quam tenent Lessius, Toletus, Suarez, aliique cum S. Th. 2. 2. q. 69. art. 1. Ratio est, quia iudex habet jus exigendi a reo veritatem, & si opus sit, eum tormentis adigendi ad confitendam veritatem in causa capitali, idque postulat bonum commune Reipublicæ: ergo reus agit contra jus legitimi iudicis & contra commune bonum, si rite a iudice rogatus celet veritatem. Præterea: tenetur obedire iudici præcipienti aperire verum, licet inde sibi mors, aut grave malum immineat, hoc enim postulat ordo justitiæ, ne scelera maneant impunita. Unde Cathec. R. de octavo præcepto ait: *de reis autem, & sordibus vult eos Deus verum confiteri, cum ex iudicii formula interrogantur.*

32. Qui tamen crimen suum injuste negavit, illud tenetur confiteri, donec proferatur sententia; tandiu enim durare censetur præceptum iudicis, ut justum servetur iudicium. Post latam vero sententiam amplius non tenetur, quia

finito iudicio, finitur quoque rei obligatio. Si quis autem ad vitanda tormenta falsum sibi crimen imposuit, licet nonnulli eum a gravi culpa excusent, modo non sit perjurium, verior tamen, & probabilior sententia tenet eum graviter peccare; quia licet nemo obligetur vitam suam tueri adhibendo remedium ipsa morte durius; at nemo potest positive cooperari injustæ suæ morti, cum non sit vitæ suæ dominus. Unde, si res sit integra, debet confessionem suam retractare ad avertendam mortem, ne pergit influere in ipsam mortem.

33. *Quest. 3.* An reus ad sui defensionem possit revelare crimina occulta testium, vel accusatoris? R. certum est eum sine culpa gravi non posse falsa eis crimina imponere, etiamsi reus sit innocens, & injuste alias damnandus ad mortem; tum quia injusta læsio famæ alienæ intrinsece mala est, & nunquam licet; tum quia sic perverteretur omnis ordo justitiæ, qui præferendus est privato bono etiam propriæ vitæ. Unde ab Innoc. XI. damnata est prop. 44. dicens: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit alteri falsum crimen, ut suam justitiam, & honorem defendat.* His positus, respondeo, licere reo innocenti ad propriam vitam tuendam revelare crimen verum, licet occultum, sive accusatoris, sive testium. Quilibet enim jus habet defendendi innocentem vitam suam, etiam cum damno alterius famæ, ejus solum est causa indirecta. Utrum autem id possit reus, cum accusatur criminis veri, sed occulti, quod minime probari possit? affirmant aliqui; si necessa-

rium id fuerit ad sui defensionem, quia delictum omnino occultum censetur in jure quasi nullum, & falso afflictum. Ita habet Glossa in c. cum dilectus de calumn. his verbis: *si renuntians non probat, quod intendit, calumniari præsumitur.* V. Milante, & Viva.

34. *Quest. 4.* An, & quando reus teneatur revelare criminis sui socios? R. si contra eos stent indicia, & testimonia, vel infamia; secus vero si eorum crimen sit occultum, nisi exceptum sit, aut cedat in grave damnum Reipublicæ, alias nolens confiteri, inquit Navarrus, non est resolvendus.

*Quest. 5.* Quandonam liceat Reo fugere, & resistere? R. 1. si sententia est omnino justa, quia crimen vere fuit patratum, & satis probatum, non licet reo positive resistere iudicii; quia sententia cum sit justa, reum ad obediendum obligat. S. Th. 2. 2. q. 69. art. 4. Imo etsi reus sit injuste damnatus, quia re vera crimen non admisit, si tamen lata sit sententia secundum allegata, & probata, non licet reo vim vi repellere, & positive iudici resistere; aliter facile sibi rei persuaderent sese injuste damnari, proindeque magnæ orientur perturbationes, & scandala. Atque ideo damnata est ab Alex. VII. hæc prop. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* Quod vero si quis contra justitiæ ordinem damnatus sit omnino innocens? S. Th. loco cit. ait, licere tunc resistere iudici, sicut licet resistere latronibus; intellige, modo

non oriatur scandalum, & perturbatio publica.

35. R. 2. Reus potest e carcere fugere ante sententiam prolatam, idque etiam si vere nocens sit. S. Th. ibidem, & cum eo TT. fere omnes; quia utitur jure sibi a natura dato ad vitandam mortem, aut aliud grave damnum, quod sibi imminet. Multo magis licet fugere, ne capiatur; non tamen licet vin ministris, aut satellitibus inferre, vulnerando, percutiendo, ut manus eorum effugiat. Licet quoque carcerem effringere, & decipere custodes, licet ipsis inde damnum eveniat; reus enim utitur jure suo, nec damnum ipsi imputandum. An autem licitum sit custodes pecunia corrumpere, ut fores aperiant, non convenit inter DD. Affirmat Roncaglia cum Salmant. quibus tamen ego non acquiesco; quia reus induceret custodes ad actionem intrinsecè malam, qualis est apertio januæ contra ipsorum officium. Qui autem custodes non sunt, aut ministri justitiæ, non peccant, si juvent reum consilio suo, aut suppeditando instrumenta, quibus carcerem effringat, nisi ille sit grassator viarum, aut sicarius, a quo damnum Reipublicæ timeri possit. Sed non licet juvare ipsum in effractione carceris; hæc enim ocrio soli reo permittitur ad conservationem propriæ vitæ.

36. R. 3. Damnatu ad carcerem, etiam perpetuum, non potest fugere, eo quod illa sententia cum justa sit, locum habet legitimi præcepti, cui reus tenetur obedire. Ita communis sententia cum Navarro, & Salmanticensibus, qui tamen excusant reum fugientem si in carcere non dentur necessaria ad victum. Imo etsi

dentur, eum posse sine vi, & resistentia fugere, censent aliqui, eo modo, quo damnatus ut fame pereat, licite cibum sumit secundum D. Th. 2. 2. q. 69. a. 4. Nec aliter loquuntur multi de damnato ad triremes, si ab ipsis fugiat. Ita de Lugo, Navarrus, Roncaglia contra Vazquez, & alios.

37. Quod attinet ad eum, qui juste ad mortem sit damnatus, communiter docent TT. cum S. Th. eum non peccare, si fugiat, posse tamen manere in vinculis, etiamsi locus esset fugæ. Quamvis enim non liceant actiones immediate ad mortem tendentes, ut membrorum mutilatio, dejectio e furca, & similia, licent tamen ei illæ actiones mediatæ, quæ non sunt proxime cum morte connexæ, ut ad locum supplicii contendere, patibulum ascendere, collum extendere carnifici, cet.

38. Quæst. 5. Quando reo licet appellare ad judicem superiorem? R. non licet appellare, cum sententia judicis certo justa est, tum quoad rem quæ judicatur, tum quoad ordinem in judicio servandum, quia id esset judici calumniam inferre; licet tamen supplicare supremum judicem. Quod si sententia sit injusta, aut Reus pro se nova instrumenta habeat, appellatio erit justa. Pariter justa est appellatio in causa criminali, cum reus pro se rationes habet probabiles, etiam si contrariæ sint probabiliores; secus autem in causa civili in qua judex reo favore nequit, si contra ipsum stet ratio magis probabilis ex prop. damnata ab Innoc. XI. nisi res sit obscura, & spes sit judicem superiorem for-

te probabiliorem esse habiturum rei causam, quæ inferiori, ut sunt hominum mentes diversæ, visa est minus probabilis. Ita Salmant. cum aliis, atque ita ferre videtur praxis appellantium ad superiorem.

## CAPUT VII.

De obligationibus Medici, Chirurgi,  
& Pharmacopolæ.

39. *Quæst. 1.* Ad quid prædicti ex officio tenentur? R. 1. scientiam habere eorum muneri necessariam; 2. remedia adhibere, certo profutura, si adsint, vel saltem probabiliora, relictis dubiis, & incertis, nisi alia omnia desint, nec ulla spes sit de valetudine infirmi; tunc enim dubium applicari potest, & vero debet juxta multos, ut quo fieri possit modo ægroti saluti consulatur, quod tamen Medicus per alium potest facere. In upe ex Lat. Conc. IV. c. *infirmis* tenentur Medici, priusquam curationem ægri aggrediantur, monere, & inducere, ut *Medicos advocet animarum*. Quam legem innovavit S. Pius V. Const. 2. præcipiens, ne Medici ultra tertium diem visant ægrotum, gravi morbo laborantem, nisi de illius confessione sibi constet.

40. Hinc peccabunt graviter tam Chirurgus, quam Medicus, si absque sufficienti peritia gravem morbum curare tentent, aut occurrente morbo insolito speciali studio operam non impendant, 2. si nova remedia explorandi gratia

adhibeant cum periculo gravis damni, cum alia subsunt, vel probabilia tantum applicent, relictis tutioribus. 3. si opportunis temporibus secundum variam ægroti necessitatem ipsum non visitent, nec sinant alios medicos, ubi opus est, adhibere. 4. Si utantur medicamentis, superstitionem involventibus, vel ægroti suadeant remedium, quo nequit uti sine peccato. 5. si pauperem ægotantem in gravi periculo constitutum contempnant, aut necessarias ei medicinas non præscribant. Denique si divulgent ægritudines, quæ ægroti possint infamiam adducere.

41. Peccat autem pharmacopola si absque peritia, & diligentia medicamenta conficiat. 2. si unum pro alio medicamentum porrigat absque medici præscripto, nisi sit æque bonum. 3. si pretii justam æstimationem non servet. 4. si pharmaca vendat noxia, aut inutilia; præsertim venena, nisi ex medicorum præscripto, & ad usus ab eis indictos. Denique si vendat medicamenta ad foetus impediendos, vel expellendos. Tenetur quoque arcano uti, ubi opus est.

De obligationibus mercatorum, opificum, aliorumque satis dictum est, ubi de septimo præcepto, & aliis Tractatibus.

## LIBER V.

DE ACTIBUS HUMANIS, ET DE PECCATIS.

## TRACTATUS PRIMUS.

DE ACTIBUS HUMANIS.

## CAPUT PRIMUM.

*De natura, & divisione humanorum actuum.*1. *Quæst. 1.* Quid est actus humanus?

R. Quamvis omnis actus, ab homine procedens, dici late possit actus humanus, usus tamen obtinuit, ut actiones, quæ oriuntur ab homine sine deliberatione voluntatis, dicantur actus hominis; quæ vero procedunt a deliberata voluntate, dicantur actiones humanæ. Ita S. Th. 1. 2. q. 1. a. 1. Ut enim actio aliqua sit proprie humana, & moralis, debet procedere ab homine, qua homo est, scilicet, ut liber est, & intelligens; quod si alterum horum desit, vel propter ignorantiam involuntariam, vel propter coercionem, mechanica potius actio, quam moralis, & humana dicenda est.

2. *Quæst. 2.* Quotuplex est actus humanus?

R. alii dicuntur elicitii, alii imperati: ex his quidam sunt boni, quidam vero mali. Rursus ex bonis alii naturales sunt, alii supernaturales, ex quibus alii meritorii sunt *de condigno*, ut ajunt,

alii *de congruo*. Denique alii actus humani sunt interiores, alii vero exteriores; de quibus si agillatim.

3. Actus humanus dicitur *elicitus*, qui immediate a voluntate procedit: hujusmodi sunt amor, & odium. *Imperatos* vero dicitur, qui non nisi mediate a voluntate proficiscitur, ut ambulare, loqui, scribere, cet. quæ ortum habent a voluntate, imperante alias potentias, nempe motrices ad hujusmodi actiones elicendas. Hi actus sive elicitii, sive imperati, eo ipso, quod libere procedunt a voluntate, dicuntur actus morales, sive boni, sive mali. Boni quidem, si consentanei sunt rectæ rationi, mali autem, si eadem non sint consentanei. Actus boni naturales sunt, qui solis naturæ viribus fieri possunt; supernaturales vero, qui non nisi auxilio supernæ gratiæ possunt elici, ut actus fidei, spei, amoris, cet. Meritorii *de condigno* dicuntur, quibus ex justitia merces debetur; *de congruo*, quibus solum ex quadam congruitate merces convenit. Postremo actus interiores nullo sensibili signo patefiunt; exteriores vero patent exterius. His positus sit.

4. *Quæst. 3.* Quænam sunt principia interna humanorum actuum? R. tria, nempe intellectus, voluntas, & libertas. Et quidem intellectus influit in actionem moralem per conscientiam, sive cognitionem actionis, & legis, de qua satis multa dicta sunt in Tractatu de conscientia. Reliquum est, ut agamus de voluntate, & libertate, quæ potiora sunt principia humanarum actionum.

5. *Quæst. 4.* Quid est *voluntarium*? R. aliquando confundi solet cum *spontaneo*, atque ita dicitur *voluntarium*, quod fit sponte, & ex inclinatione voluntatis, nullo cogente præcepto, nulla vi, dolo, aut metu, impellente. Sed re vera aliud est *voluntarium*, aliud *spontaneum*, cum omne *voluntarium* sit *spontaneum*, non tamen contra. Aliquando *voluntarium* accipitur pro *libero*; quamquam non omne *voluntarium* sit *liberum*, licet omne *liberum* sit *voluntarium*. Hic ergo *voluntarium* pressius a nobis sumitur, ac definitur ex D. Th. *Actus procedens a principio intrinseco, seu a voluntate cum cognitione finis.* Sic Ang. D. 1. 2. q. 6. a. 1. post Greg. Nyssenum, & Damascenum, quos ipse laudat.

6. Duo igitur necessaria sunt ad rationem *voluntarii*; nempe quod sit a principio intrinseco, & cum aliqua cognitione finis. Hinc actiones, quæ vi, & coacte fiunt, non sunt *voluntariæ*, cum non procedant ab intrinseco principio; nec *voluntariæ*, dici possunt, quæ oriuntur a principio intrinseco, sed absque ulla cogitatione intellectus. Imo ut actio dicatur *voluntaria* quod omnes sui partes, opus est, ut quoad omnes dignoscatur; ita ut si aliqua circumstantia sine culpa ignoretur, quoad illam evadat actio involuntaria. Sic qui accedit ad mulierem, quam nescit esse nuptam, non censetur perpetrare adulterium, sed fornicationem tantum. Unde colliges, ubi nulla est omnino advertentia, ibi nullum esse *voluntarium*, nullum peccatum, ut in actionibus dormientium. Ubi vero semi plena est tantum advertentia, non esse nisi ve-

niale peccatum; ut contingit semidormientibus.

*Quæst. 7.* Quotuplex sit *voluntarium*? R. 1. dividitur in *voluntarium simpliciter* & *secundum quid*. Illud procedit ex plena voluntatis inclinatione sine ulla repugnantia. Hoc vero ex consensione voluntatis, sed cum repugnantia: huiusmodi est projectio mercium in mare ex timore naufragii. Dividitur 2. in *liberum*, seu contingens, & *necessarium*. Primum fit a voluntate, quæ, operatur cum indifferentia ad volendum, et nolendum: talis est amor viatoris in Deum: secundum a voluntate determinata ad unum, ut est amor Beatorum in Cælo. Dividitur 3. in *voluntarium in se*, seu expressum, & in *causa*, seu implicitum, & virtuale. *Voluntarium in se* illud dicitur, quod est volitum in se ipso, & immediate, ut cum quis aliquid furatur, quia in se habet furandi voluntatem. *Voluntarium in causa* quod est volitum non in se, sed in alio, quod apprehenditur saltem confusse velut causa alicujus effectus. Sic dicitur *voluntaria* hominis occisio, patrata ab eo, qui se voluntarie inebriavit, prævidens saltem in confuso huiusmodi occisionem.

8. Quarta *voluntarii* divisio est in *directum*, & *indirectum*. Illud directe a voluntate procedit, tanquam a causa immediate efficiente. Hoc vero solum remote, & media alia causa procedit a voluntate. Sed nemo non videt, hanc *voluntarii* divisionem ad tertiam facile posse revocari.

Ubi advertere oportet, tria necessaria esse, ut aliquis effectus dicatur *voluntarius indirecte*, & *in causa*, atque ad meritum, vel ad culpam

imputetur. 1. ut qui ponit causam, animadvertat saltem confuse, & in genere, talem effectum ex ea causa secuturum. 2. ut possit effectum impedire; causam ejus tollendo. 3. ut teneatur causam impedire, vel omittere. Ita S. Th. 1. 2. q. 20. a. 5. ajens: *eventus sequens, si est præcogitans, manifestum est, quod addit ad bonitatem, vel malitiam actus.* Quod vocabulum, nempe *præcogitatus*, inquit Silvius, ab Angelico usurpatur pro eodem ac *prævisus*, & *intensus*; ut ipse docet q. 73. ita ut effectus ad culpam imputetur, sive in se ipso prævisus fuerit, sive in causa, quæ potuerit, ac debuerit evitari; quia tunc effectus *virtualiter* & *interpretative* voluntarius est. Neque aliter de omissione voluntaria disserendum est.

9. *Quæst. 6.* Quid, & quotuplex est *involuntarium*? R. ex dictis de natura voluntarii liquido descendit, illud esse *involuntarium*, quod vel procedit ab *extrinseco* principio contra propensionem voluntatis, ut accidit agenti ex vi, vel metu; vel si ab *intrinseco* fiat, fit sine cognitione intellectus, quæ tollitur, aut ligatur, ut accidit operanti ex ignorantia, vel passione. Multiplex est *involuntarium*: aliud *privative*, quando solum deest actus volendi id, quod quis potest velle. Aliud *positive*, & *contrarie*: talis est actus, qui fit ab eo, qui positive non vult, & repugnat. Rursum *involuntarium contrarie* duplex est: aliud *simpliciter*, aliud *secundum quid*. Primum est, quod ita displicet voluntati, ut nullo modo, nullaque ratione illud velit: secundum est, quod licet sub aliquo respectu displicat

ceat voluntati, sub alia tamen ratione ei placet, & ab ea admittitur: talis est projectio mercium in mare, imminente naufragio.

10. Ex dictis facile solvuntur plura, quæ ad praxim pertinere possunt; ut 1. Confessarium non debere facilem adhibere fidem poenitenti, qui se excusat pejerasse, blasphemasse, aut turpia protulisse sine advertentia, proindeque verba illa ex habitu prolata fuisse involuntaria. Nam si pravum habitum extirpare non curavit, ille censetur voluntarius in causa, nec a culpa excusatur; contra vero si adhibita serio diligentia, aliquando in verba illa effundatur. 2. si quis forte se primo mane inebriavit, non prævidens inde a se Missam omittendam, non peccat sacro non assistens, cum ea omisio prævisa non sit nec in se, nec in causa. 3. qui ex justa, & necessaria causa aliquid operatur, quod eventum malum inducit, non peccat, licet illud prævideat. Sic Chirurgo non imputatur pollutio, licet prævisa, ex necessario aspectu turpium, siquidem eam non intenderit. Idem dico de studente doctrinæ Morali circa sextum præceptum ex honesto fine. Quoad in universum dictum volo de omni effectu, secuto ex causa honesta, & licita; effectus enim, qui accidentarius est, non imputatur ad culpam ex S. Th. 1. 2. q. 20. art. 5. (R)

## CAPUT II.

## De vi, metu, &amp; concupiscentia.

11. *Quæst. 1.* Quid est violentum, & quotu-plex? *Violentum* definitur id, quod est a principio extrinseco, repugnans eo, qui vim patitur. Ita Damascenus, Nyssenus, S. Th. & cum eo DD. fere reliqui. Hinc ad naturam violenti duo requiruntur. 1. quod sit a principio extrinseco. 2. quod patiens resistat pro viribus etiam positive, & contrarie agenti extrinseco. Non enim sufficit, quod negative se gerat, alioquin justificatio parvulorum esset violenta. Ita S. Th. 1. 2. q. 6. art. 5. ad 2. Unde *violentia* alia dicitur absoluta, & simpliciter talis; alia minus propria, & secundum quid. Prima est, quando quis omni modo, quo potest resistit; secunda, dum licet aliquantulum resistat, sed non pro viribus.

12. Jam vero statuendum est 1. *violentia absoluta*, & simpliciter dicta causat involuntarium. Ratio est, quia quando voluntas patientis externo agenti omnino resistit, nulla ratione ei potest adscribi agentis actio, utpote contra omnem illius inclinationem, proindeque ipsi omnino involuntaria. S. Th. ibidem Itaque femina pro viribus resistens aggredienti virginitatem suam, non peccat, si forte stuprum patiatur invita. Unde Aug. de Civ. Dei c. 17. loquens de mulieribus Christianis, quæ Roma a Gothis captam vim perpeßæ fuerant, ait: *quidquid aliud de corpore, vel in corpore fecerit, quod sine pecca-*

to proprio non valeat evitari, præter culpam fit patientis.

13. Statuo 2. *violentia minus propria*, & secundum quid non tollit, sed dumtaxat minuit voluntarium. Ita DD. omnes; quia dum voluntas non resistit, quantum potest, semper ex parte aliqua remanet ratio voluntarii. Et secundum majorem, vel minorem, quam adhibuit resistantiam, ejus actio erit magis, vel minus voluntaria, & culpabilis. Nota ex S. Th. loco citato voluntati non posse inferri violentiam quoad actus elicitos; nam ut ait Anselm. de lib. arb. c. 6. *invitus nemo potest velle, quia non potest velle, nolens velle.* Concedunt tamen TT. voluntatem pati violentiam posse quoad actus imperatos, qui non procedunt proxime a voluntate.

14. *Quæst. 2.* Quid est metus, & quotu-plex? R. in lege ait Prætor dicitur metus *trepidatio mentis instantis, vel futuri periculi causa.* Si leve sit malum, quod timetur, levis erit metus, & gravis si timeatur grave malum; quamquam etiam metus gravis mali potest dici levis, si ex levi causa procedat. Gravi autem mala in se dicuntur, quæ virum constantem commovere solent, ut mors, mutilatio membrorum, exilium, & similia. De cetero quæ in se levia sunt, possunt esse gravia respectu alicujus secundum diversam indolem, & personarum qualitatem; pueros enim, & feminas vehementer concutit id, quod viros ne leviter quidem tangit.

15. *Quæst. 3.* An metus causet involuntarium? Nota, aliud esse agere cum metu, aliud agere ex metu: primum est agere ex aliquo fine,



sed cum aliquo timore, finem comitante: secundum est, moveri ex metu, tanquam ex causa ad operandum. Quoad 1. certum est non tollere voluntarium, cum non sit causa actionis. Circa 2. autem, de quo est questio, breviter respondeo, metum non causare involuntarium absolutum, & simpliciter, ut vocant, sed tantum secundum quid. D. Th. 1. 2. q. 6. a. 6. Ratio est potissima, quia quod ex metu facimus, illud re ipsa volumus, licet rem abstracte considerantes, & secundum aliquem respectum facere repugnemus. Exemplum habes in mercatore, qui ex metu mortis projicit merces in mare; siquidem ille in præsentis periculo constitutus absolute vult projectionem mercium, ut vitam servet, licet illa displiceat voluntati.

16. Ex dictis colliges 1. Contractus, qui fiunt ex gravi metu, jure naturali sunt validi, cum sint voluntarii. 2. Hi contractus, si metus sit injuste incussus, rescindi possunt ab eo, qui metum est passus. 3. Jus positivum declarat nullos plures contractus, factos per metum inique incussum, ut contractus matrimoniale, dotis promissiones, vota solemnia, cet.

17. Quæst. 4. Utrum concupiscentia tollat, vel minuatur voluntarium? Ante solutionem præmitto 1. nomine concupiscentiæ intelligi motum appetitus sensitivi, qui tendit in bonum delectabile. 2. concupiscentiam aliam antevertere consensum voluntatis, eamque allicere ad agendum, aliam subsequi voluntatis consensum, vel ex eo oriri, & dicitur consequens. 3. concupiscentiam consequentem adeo non tollere, nec minuere

voluntarium, ut illud magis augeat. Audiatur S. Th. 1. 2. q. 77. a. 6. *Passio consequens non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus, in quantum demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati.* His præjactis....

18. R. 1. Concupiscentia, antecedens voluntatem, per se non tollit voluntarium, quin & illud sæpe auget ratione majoris propensionis. Ita expresse D. Th. 1. 2. q. 6. ad 7. Rationem autem affert D. Angelicus, quia voluntarium importat inclinationem voluntatis in objectum cum aliqua cognitione finis. Jam vero per concupiscentiam non tollitur ex se cognitio finis, & aliunde majori quidem propensione fertur in objectum, quod concupiscit. R. 2. nihilominus concupiscentia antecedens minuit sæpe voluntarium, & aliquando illud tollit omnino. Ratio 1. partis est, quia minuit cognitionem finis, quæ necessaria est ad naturam voluntarii, ut per se patet. Ratio 2. quia sæpe ita anteverit omne iudicium, & consensum voluntatis, ut deliberationi, & libertati locum non relinquat. Est doctrina D. Th. loco nuper laudato, ubi ait: *si concupiscentia totaliter cognitionem auferret, sicut contigit illis, qui propter concupiscentiam sunt amentes, sequeretur, quod concupiscentia voluntarium tolleretur.*

19. Hinc motus concupiscentiæ, qui a Theologis dicuntur primo primi, quique omnem prorsum voluntatis consensum, & libertatem anteverunt, sunt omnino involuntarii, & innoxii; motus vero secundi primi, qui stant cum semi-

pleno consensu voluntatis, non tollunt omnino voluntarium, sed illud minuunt. De involuntario ex ignorantia dictum est satis in Tract. de conscientia.

## CAPUT III.

## De libertate humanorum actuum.

20. Actum liberum vocamus eum, vel qui nullo cogente fit, vel qui omitti potest ad libitum. Duplicem enim libertatem distinguunt TT. in actibus humanis, nempe libertatem a *coactione*, seu spontaneitatis; & libertatem a necessitate *intrinseca*, seu *naturali*; quæ vocatur etiam libertas electionis, indifferentiæ, & arbitrii. Libertas a *coactione* est immunitas ab omni violentia contra voluntatis inclinationem. Hac libertate Beati Deum amant, & nos bonum in communi. Hinc fit omnem actum voluntatis esse liberum a coactione.

21. Libertas vero a *necessitate* est ea, quæ excludit necessitatem omnem, tum interiorem, & naturæ, tum exteriorè, & coactionis. Hoc modo dicitur liber, qui potest agere, vel non agere, eligere, vel non eligere. Unde liberum arbitrium definitur *vis electiva*, seu facultas eligendi unum præ alio. Libertas a *necessitate* rursus dividitur in libertatem *contradictionis*, qua quis potest agere, vel non agere; in libertatem *contrarietatis*; qua potest agere, & contrarium agere, v. g. amare, & odio habere; & in libertatem *disparitatis*, qua nempe quis potest agere

hoc, vel aliud, sed non oppositum, v. g. scribere, vel ambulare.

22. Libertati opponitur necessitas, quæ multiplex est. Alia *coactionis*, quæ idem est, ac *violentia*. Alia *naturæ*, seu naturalis inclinationis, quæ consistit in quadam propensione, a natura insita voluntati ad aliquid necessario prosequendum, vel fugiendum. *Coactio* est a principio externo, & tollit tum voluntarium, tum etiam liberum: necessitas vero *naturalis* est a principio interno, & aufert liberum, non vero voluntarium. Rursus necessitas vel est *absoluta*, & *antecedens*, vel *consequens*, & *hypothetica*. 1. antecedit usum rationis, & voluntatis; vel ita consensum exprimit, ut non possit illum denegare. 2. consequitur liberum consensum, & determinationem voluntatis, nec lædit liberum arbitrium, v. g. necesse est, me loqui, si jam ad loquendum me determinaverim. Mitto alias necessitatis divisiones, quas Scholæ Theologi afferre solent.

23. His positis sit quæstio 1. in quo consistit essentia liberi arbitrii? R. in potentia agendi & non agendi, immuni tum a coactione, tum a necessitate simplici, antecedente, intrinseca. Constat 1. ex Trid. Sess. 6. *Can. 5.* & ex constitutionibus Innoc. X. & Alex. VII. damnantibus tertiam Jansenii propositionem, quæ statuebat ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri libertatem a necessitate, seu indifferentiæ. Constat etiam ex Const. S. Pii V. damnante propositionem Baji 67. *Homo etiam damnabiliter peccat in eo, quod necessario facit.* Constat etiam doctrina hæc nostra ex pluribus Scrip-

turæ locis, & testimoniis SS. PP. quæ vide, si vacat, apud Scholæ Doctores.

24. *Quæst. 2.* In quo posita est bonitas, & malitia moralis humanorum actuum? R. omissis variis Theologorum opinionibus, censeo, bonitatem moralem actus humani consistere in quadam conformitate, & convenientia actus liberi cum recta ratione, & lege; ita ut illa dicatur actio bona, quæ sit consentanea legi, & rationi; mala autem quæ a recta ratione discrepat. Unde Aug. lib. de util. cred. c. 12. ait: *rectum factum nullo modo esse potest, quod non a recta ratione profiscitur.* Itaque regula humanorum actuum petenda est ab utraque hac ratione, nimirum di-  
 cramine rationis, & legis æternæ, saltem naturalis. Hinc etsi libertas sit velut fundamentum moralitatis, in ea tamen sola non est constituenta ratio moralitatis; sed etiam in consonantia, vel discrepantia actionis a lege, & ratione.

#### CAPUT IV.

##### De principiis Moralitatis.

25. *Quæst. 1.* Quænam requiruntur, ut actio aliqua sit moraliter bona? R. ut sit consentanea rectæ rationi, & legi, tum ex parte *objecti*, tum ex parte *finis externi*, tum ex adjectis, seu *circumstantiis*, cum non sit bonum nisi ex integra causa. Primum igitur principium, unde actio sumit bonitatem, est *objectum*, in quod fertur: illud autem debet esse bonum, sive in se ipso, & ab intrinseco, ut Deus ipse, sive extrinseco tantum, & vi legis positivæ, ut jejunium, quod

ratione præcepti bonum est, sed aliquando malum potest evadere ex circumstantiis.

26. Alterum principium est *finis operantis*, qui bonus, vel malus dicitur, quatenus convenit, vel repugnat legi, & rationi. Hinc si bonum sit *objectum*, finis vero agentis sit pravus, actio evadit simpliciter mala, eo quod malitia finis evertat omnem bonitatem. Quare D. Th. 2. 2. dist. 38. q. 1. a. 4. ad 4. ait: *Cum quis vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, & hic actus totus est malus, licet non ab eo omni, quod in eo est, malitiam sumat.* Finis enim malus facit actum ex bono malum, & ex malo pejorem, sicut finis bonus bonitatem addit *objecto* ex se bono, ut dare eleemosynam in satisfactionem peccatorum. S. Th. q. 18. a. 4. Quod si *objectum* sit indifferens, ut ambulare, caleferi, cet. actio in illud tendens erit bona, vel mala, prout finis bonus, vel malus fuerit. Utrum autem *objectum* ex se malum possit ratione finis honesti evadere aliquando bonum, diximus in Tract. de Conscientia.

27. Tertium moralitatis principium sunt *adjecta*, vel *circumstantiæ*, quæ dare solent actui bonitatem, vel malitiam accidentalem, quia hujusmodi bonitas, vel malitia supervenit actui jam constituto in genere moris. S. Th. ibidem. *Circumstantiæ* autem vel sunt personæ, vel loci, & aliquando malitiam augent intra eandem speciem, aliquando novam malitiæ speciem addunt. Quod præculis habere debet Confessarius ad interrogandum penitentem, v. g. an persona, quæ fornicationem commiserit, fuerit libera,

vel conjugata, vel voto castitatis adstricta; an furtum perpetratum sit in loco sacro, & similia.

28. *Quæst. 2.* An actus externus addat aliquam bonitatem, vel malitiam actui interno? Affirmat Scotus, & ejus assectæ; communis tamen sententia cum S. Th. in 2. dist. 40. q. 1. a. 3. docet, externam actionem nihil per se, & ex natura sua addere bonitatis, vel malitiæ actui interno; quia externus actus nullam habet imputabilitatem sibi propriam distinctam ab imputabilitate actus interni. Nihilominus actio externa sæpissime auget bonitatem, & malitiam actus interni; est enim occasio, & causa, ut actus internus fiat melior, vel pejor, vel quia multiplicentur actus interni, vel diutius durant, vel sunt magis intensi, & requirunt sæpe majorem vim, & arduitatem ad perficiendum opus externum.

29. *Quæst. 3.* An sint actus indifferentes in individuo? Nota, esse quasdam actiones secundum se bonas, alias ex se, & natura sua malas. Primi generis sunt actus fidei, spei, charitatis, cet. Secundi autem generis sunt furtum, mendacium, fornicatio, cet. Est vero aliud genus actionum, quæ in se, & secundum speciem suam consideratæ nec malæ sunt, nec bonæ, ut ambulare, legere, & similia, quæ ex fine bono, vel malo evadunt justæ, vel injustæ. De his quidem solet quæri, an sit aliqua actio, quæ non solum secundum se, & secundum speciem spectata sit indifferens, sed etiam in individuo, attentis omnibus circumstantiis finis, temporis, modi, cet.

30. R. Cum S. Th. Suario, Bellarmino con-

tra Scotum, S. Bonavent. Vasquium, & alios, nullos esse actus indifferentes in individuo. Ratio præcipua S. Th. 1. 2. q. 18. a. 9. est ejusmodi: *Actus moralis non solum habet bonitatem ex objecto, sed etiam ex circumstantiis ... oportet, quod quilibet actus individualis habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum, vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non ad debitum finem ordinatur, ex ipso repugnat rationi, & habet rationem mali; si vero ordinatur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni.* Hæc Angelicus Doctor.

31. Huc accedit, hominem debere omnes actiones suas ad Deum referre, si deliberate agat, dicente Apost. 1. Cor. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quibus verbis non contineri consilium tantum, sed præceptum, agnoverunt SS. PP. Agustinus, Cælest. I., S. Maximus, & S. Th. lect. 3. in c. 3. ep. ad Coloss. Hinc maxime oportet, sæpius in die, & præsertim primo mane offerre Deo actiones omnes illius diei, ut ita impleatur Apostoli præceptum, & omnis actio nostra evadat meritoria. Neque enim opus est, ut mystici DD. notant, singula nostra opera singillatim Deo offerre, sed ea saltem in genere referre ad Deum, ita ut sancta illa intentio moraliter, atque in virtute perseveret. Qui plura de hac quæstione scire velit, legat Continuatores Tournely c. 6. *Tract. de Actibus Humanis.* Hæc enim ad praxim dicta sufficiunt.

## TRACTATUS II.

## DE PECCATIS.

## CAPUT PRIMUM.

*De peccato in genere.*

1. *Quest. 1.* Quid est peccatum, & quænam conditiones requiruntur ad peccandum? R. 1. est transgressio legis, sive, ut ait Tole- tus, est voluntarius recessus a regula Divina. Nomine Divinæ regulæ intelligitur præceptum tam naturale, & humanam, quam Divinum; per recessum autem intelligitur actus, vel ejus omis- sio, qui non sit tantum voluntarium, sed etiam liber cum aliqua advertentia malitiæ. Hinc. resp. 2. ad peccatum tria omnino requiri. 1. ut sit vo- luntarium, id est, ut fiat a voluntate consentien- te. 2. ut sit liberum, hoc est, ut sit in potestate voluntatis illud agere, vel non agere. 3. ut ad- vertatur malitia; nam si nulla sit advertentia nullum est peccatum, deficiente sufficienti deli- berationis principio. Quod si advertentia non sit plena, ut evenit semidormientibus, vel alio di- stractis, non erit libertas perfecta, adeoque peccatum solum evadet veniale, licet aliqui obiectum sit graviter malum.

2. *Quest. 2.* Quenam advertentia sufficiat ad mortale peccatum? R. Multi, præsertim re- centiores contendunt, ad lethale peccatum mi- nime requiri advertentiam actualem, sed satis

esse virtualem, & interpretativam, quæ in hoc consistit, quod homo teneatur, & possit mali- tiam actionis agnoscere, quamvis actualiter non advertat; alias, ut ajunt, essent innunes a cul- pa sceleratissimi homines, qui ab affectuibus suis, & pravis consuetudinibus obcæcati plura, eaque gravissima mala patrant, nihil mali ani- madvertentes. Secunda vero sententia commu- nior affirmat requiri ad peccatum aliquam actua- lem advertentiam malitiæ, aut periculi illius, aut saltem obligationis illud advertendi; quam- vis necesse non sit, ut illa permaneat, quamdiu peccatum durat, sed maneat in virtute, ita ut cum advertentia sit actus inchoatus, vel saltem illius causa. Ita præter Suarium, Vasquium, Salmanticensis docent Isambertus, Du-Val, Tos- tatus, & alii; quia nequit malitia imputari ad culpam, nisi præcedat aliqua ipsius cognitio, saltem confusa, & in causa, cum nihil volitum sit, nisi præcognitum.

3. Hæc duplex sententia facile conciliari posse videtur. Nam primo certum mihi est, non re- quiri ad mortale actualem, & expressam adver- tentiam malitiæ illius, cum plura mala perpetra- ri soleant, quorum ignorantia, vel inadvertentia sit aliquo modo voluntaria. Id quod evenire pot- est. 1. ob negligentiam investigandi veritatem, dum quis non vult inquirere id, quod eum retra- here posset a peccato, vel ut non impediatur li- bere operari, vel ob laborem vitandum in inqui- rendo; & sic ignorantia est a voluntate quodam- modo imperata, inquit D. Th. 1. 2. q. 76. a. 3. 2. modo est voluntaria ob passionem, quam

quis vult deliberate sequi, & saltem confuse prævidet effectus pravos, qui exinde oriri possunt, ac solent. D. Th. 1. 2. q. 6. a. 8.

4. Tertio est voluntaria ratione pravi habitus, ut ibidem docet S. Doctor, & tunc pravæ actiones, ex illo provenientes, sunt voluntariæ, vel in sua causa, cum in principio prava consuetudo voluntarie contrahitur; vel potius, ut animadvertit Antoine, quia peccata hominis malo habitu irretiti secum ferunt aliquam cognitionem malitiæ, etsi minus expeditam, sed sufficientem ad reddendos actus deliberatos, & mortales. Sed quoniam ipsi parvi faciunt peccatum, hinc evenit non remanere in eorum memoria vestigium cognitionis, quam habuerunt de peccato, ut accidit in iis quoque, qui passione obæcati operantur. Denique ignorantia fit voluntaria, si homo in agendo advertenter negligat considerare quantum opus est ad cognoscendum peccatum, sed vult præcipitanter operari. S. Anton. & D. Th. ibidem.

5. Contra vero, si ignorantia nullo ex his modis sit voluntaria, nec præcedat in operante aliqua advertentia malitiæ, neque directa, neque indirecta, nec in se, nec in causa, non potest in peccatum imputari. Ratio autem est, quia ut aliqui effectus causæ tribuantur, oportet præcedere saltem in principio cognitionem aliquam actualem, & expressam malitiæ objecti. Cogitio enim, & advertentia interpretativa, ut ajunt Salmant. fundatur super aliquam advertentiam expressam, sicut voluntarium indirectum super voluntarium directum. Præterea, advertentia in-

terpretativa supponit obligationem, & potentiam advertendi; deficiente autem omni advertentia expressa, nec potentia ulla est, nec ulla obligatio, cum nulla obligatio liget, nisi cognoscatur.

6. Atque hæc doctrina communis est apud auctores, non solum probabilitas, sed etiam antiprobabilitas, ut Saint Beure, Doctorem Sorbonicum, Cardinalem Gotti, Wiganium, & alios. Quibus favet S. Antoninus, qui ad peccatum mortale in delectatione morosa requirit non solum deliberationem, sed etiam animadversionem periculi. Ait enim p. 2. tit. 5. c. 5. in fine: *aut ergo manet talis complacentia post sufficientem deliberationem, & animadversionem periculi, & tunc est mortale.* De cetero nullo modo probari potest opinio eorum (si forte adsunt) qui dicant, operanti adversum leges adscribendos esse errores omnes, quos committit, etiamsi nulla unquam advertentia præcesserit nec in se, nec in causa, saltem in confuso, modo ipse habuerit advertentiam interpretativam, quæ posita est in eo, quod quis potuerit, & debuerit malitiam advertere, potentia scilicet physica, & remota.

7. Hæc quidem opinio, si ita explicetur, omnino debet improbari, ne reos faciamus homines gravissimorum delictorum, quorum nec cognitionem, nec suspicionem habuerunt. Dices. saltem habere potuerunt, & vero debuerunt: R. id verum esse de potentia physica, & remota, quæ tamen non sufficit ad peccatum, sed requiritur potentia moralis, & proxima, quæ ne-

quit stare sine cognitione actionis malæ, qua mala est. Audiatur Card. Gotti. 2. Tract. 4. de Vitiis q. 1. dub. 4. Dico 2. ad peccatum mortale sufficere advertentium implicitum, seu virtuale malitiæ actionis, vel ejus periculi. Et enim eo ipso, quod quis dubitat, aut suspicatur de malitia sue actionis, vel malitiæ periculo, & tamen rei veritatem inquirere negligens actionem ponit, censetur interpretative & ipsam malitiam velle. Requiritur ergo ad peccatum aliqua advertentia, saltem in confuso malitiæ, qualem habent, ii, qui in causa malum agnoscunt, vel ejus periculum suspiciantur, vel saltem obligationem, veritatem investigandi.

8. *Quæst. 3.* Qualis consensus requiritur ad mortale? R. cum omne peccatum voluntate committatur, ut docent omnes cum S. Aug. & Th. 1. 2. q. 74. ar. 1. ad peccatum mortale requiri perfectum consensum, seu plenam deliberationem voluntatis. Ita DD. omnes cum S. Th. S. Antonino, & alii: quia motus nostri eatenus sunt culpabiles, quatenus sunt voluntarii, nec aliter voluntati sunt, nisi quatenus sunt deliberati: ad plenam ergo culpam, & consummatam, quale mortale peccatum est, requiritur plena, & perfecta deliberatio voluntatis: *Potest quod est mortale, esse veniale propter imperfectionem actus, quia non plene pertingit ad perfectionem actus mortalis, cum non sit deliberatus, sed subitus, inquit D. Th. 1. 2. q. 88. a. 6.* Imo concupiscentiæ motus ne veniale quidem esse peccatum, si sint omnino indeliberati, & repugnet voluntas, docet Trid. Ses. 5. de pec. Originali.

9. *Quæst. 4.* An graviter peccet qui solum negative se habet, & positive non resistit motui appetitus sensitivi circa objectum, sub mortali prohibito? R. cum communi sententia, cessante periculo consensus, solum esse veniale motibus illicitis positive non resistere. Quod videtur consonum doctrinæ D. Th. dicentis 2. 2. q. 74. a. 4. *peccatum mortale non potest esse in sensualitate, sed in ratione;* ubi ergo voluntas non consentit, nec proximum est consentiendi periculum, non potest esse culpa gravis; alias teneremur sub gravi ad coercendos positive motus omnes inordinatos, adeoque ad impossibile morale, ut Cajetanus animadvertit. R. 2. cum adest periculum proximum consensus, gravis est obligatio positive resistendi, cum quisque debeat efficaciter procurare, ne motus inordinatus trahat ad se consensum voluntatis. Unde supervenienti delectationi veneræ sub gravi tenemur resistere, & quidem positive, sive per piam, & sanctam meditationem, sive per orationem ad Deum, aut B. Virginem, aliosve Sanctos, sive per actum amoris Dei; vel saltem per actum simplicis displicentiæ, aut animum ad alia divertendo, cum hoc etiam sit positive resistere, ut notant Tournelyus, & alii. Imo & sæpe tutius est eos contemnere cum firmo proposito nunquam consentiendi.

10. *Quæst. 5.* Quo pacto committitur peccatum omissionis? R. grave peccatum omissionis committitur, quoties omittitur aliquid sub gravi præceptum, sed per actum positivum voluntatis, ut cum S. Th. doceretur ab AA. No-  
Tom. II. 8

tandum tamen est, 1. actus omissionem comitantes, ut ludere, edere, & cet. dum relinquitur Sacrum, non esse peccaminosos, nisi sint causa omissionis, puta, cum lusus est causa, ut Missa non audiatur. Tunc autem actus influentes eandem malitiam omissionis induunt, non diversam: quare sufficit confiteri tantum omissionem Sacri. Quod si actio, quæ est causa omissionis, sit etiam grave peccatum, ut si quis omittat Sacrum ob furandum, debet confiteri utrumque peccatum, furti scilicet, & omissionis Sacri, sed furtum potest exprimi seorsim ac omissione Sacri, cum non mutet speciem peccati circa Sacri auditionem.

11. Nota 2. Peccatum omissionis incipit imputari a tempore, quo advertenter ponitur illius causa. Imo ipsa ommissio voluntaria in causa imputatur ad peccatum, etiam si postea effectus non sequatur. Unde sese inebrians, prævidens postea se ommissurum Sacrum, tenetur confiteri tum ebrietatem, tum Sacri omissionem. Verum si voluntas ante effectum secutum retraheretur, valde probabiliter a multis docetur, opus non esse confiteri effectum, sed illius causam.

12. Quæst. 6. An peccatum veniale sit contra legem Divinam? Negare videtur S. Th. 1. 2. q. 88. art. 1. ad 1. dicens, *non esse contra, sed præter legem, quia non observat modum rationis, quem lex intendit.* Affirmant tamen Estius, Sorus, & Vazquez, quia peccatum veniale revera est a Deo prohibitum, ut Eccl. c. 7. *Non velle mentiri.* Matth. 5. *Non jurare omnino.* Nec id negatur ab Ang. Doctore, qui, ut explicat

Salmant. distinguit substantiam legis, & modum legis, aitque, veniale quidem peccatum non adversari legis substantiæ, sed ipsius modo; qui tamen modus, cum rectæ rationi contrarius sit, etiam a lege prohibetur.

13. Nota, damnatam esse ab Alex. VIII. propositionem dicentem: *quod in eo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, sit grave peccatum, sed non sit offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Quæ doctrina admittens peccatum philosophicum, a Theologico distinctum merito damnatur; quia nemo potest agnoscere opus suum adversari rectæ rationi, quia simul saltem confuse agnoscat illud esse contrarium Deo, ut supremo auctori naturæ rationalis.

## CAPUT II.

## De peccatis desiderii, &amp; delectationis.

14 Quæst. 1. Quale peccatum sit desiderium mali operis? R. desiderium, hoc est, intentio, propositum, vel voluntas perpetrandi operis mali est peccatum ejusdem speciei, & malitiæ ejusdem, ac sit opus, in quod fertur. Constat ex Matt. 5. *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo.* Ratio autem est, quia actus interior sumit bonitatem suam, vel malitiam ab objecto. Hinc desiderium, licet inefficax, furandi rem gravem, occidendi, & fornicandi, est grave peccatum; desiderium vero levis nocendi proximo, non est nisi veniale.



15 *Quaest. 2.* An, & quale sit peccatum desiderium conditionatum rei vetitæ? R. 1. non est peccatum, saltem mortale, concupiscere rem prohibitam sub conditione, quæ tollat vel totam, vel saltem gravem malitiam objecti. Ratio est, quia consensus ille non est graviter inordinatus nec in se, nec in objecto, a quo omnis malitia per conditionem excluditur. Hinc in vetitis jure positivo non peccat graviter desiderans, v. g. carnes edere in quadragesima, nisi Ecclesia prohiberet. Atque etiam in prohibitis jure naturali, si conditio fertur in objectum sub statu, quo licitum est, v. g. si Deus permetteret, Titio pecuniam auferrem; nisi essem Sacerdos, uxorem ducerem, quod tamen desiderium raro caret veniali culpa, utpote otiosum, nec carens omni periculo.

16. R. 2. Grave peccatum est desiderare conditionate malum aliquod grave, quando conditio non aufert gravem malitiam objecti. Ita evenit in iis rebus jure naturæ prohibitis, in quibus malitia nequit separari ab objecto: ut desiderare, v. g. peccare, si non esset infernus, occidere inimicum, si ferret occasio; fornicari, si non esset peccatum, & similia, quæ sunt intrinsecus mala, & nunquam a peccato sunt immunia. Quamquam multi probabiliter excusant eos, qui hæc habent desideria conditionata mali impossibilibus, quando illud efficaciter non optant, nec vere desiderant, sed solum naturalem propensionem ostendunt. Intellige, nisi aliunde sit periculum consensus, aut pravæ complacentiæ.

17. *Quaest. 3.* Quando peccatum sit delec-

tari de re mala? R. certum est delectationem omnem deliberatam, seu morosam de objecto graviter malo; esse grave peccatum. Ita omnes, quia rectæ rationi repugnat, ut quis gratum habeat id quod Deo, & rationi contrarium est. Hinc Proverb. 2. dicitur: *qui lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Et Sap. 1. *Perversæ cogitationes a Deo.* Hinc graviter peccat contra justitiam, qui delectatur de furto, aut homicidio, a se, vel ab aliis patrato, contra castitatem, qui delectatur, vel sibi complacet de objecto turpi, etiamsi non habeat desiderium illud exequendi. Explicanda autem est in confessione circumstantia objecti complacentiæ, v. g. an fuerit de copula cum nupta, vel cum libera, ejusdem, vel diversi sexus, cet. Delectatio enim contrahit malitiam objecti, in quo voluntas, veluti præsentem delectatur. Item, an persona, quæ delectatur, sit voto castitatis obstricta, cet. Quamquam aliqui sentiant non committi adulterium ab eo, qui sibi complacet de nupta, modo non sit desiderium habendi cum ea copulam, aut gaudium de copula prius habita. Sed contraria sententia mihi magis arridet, eo quod nunquam in praxi desit periculum proximum concupiscendi nuptam, ut opportune Hoffman animadvertit.

18. *Quaest. 4.* An sit peccatum delectatio de cogitatione objecti mali? R. hæc nullum erit peccatum, si adsit justa causa cogitandi, v. g. studii, medicinæ, consilii, cet. modo non sit periculum consensus, vel delectationis circa objectum ipsum. Erit autem veniale peccatum, si

fiat ex curiositate, vel alio fine vano, & inutili. Potest autem esse graviter mala, si adsit periculum proximum consensus. S. Th. 1. 2. q. 74. art. 8. dicens: *Si igitur aliquis de fornicatione cogitans, potest delectari de ipsa cogitatione, vel de ipsa fornicatione cogitata... Delectatio de cogitatione fornicationis (sicut cum vult quis de ea predicare, vel disputare) non est de genere peccati mortalis, sed quandoque est veniale, quandoque nullum.*

19. *Quæst. 5.* An liceat delectatio de modo male operationis, aut de effectu bono ex ea proveniente? R. 1. non est per se malum gaudere de modo insolito, vel artificioso male operationis. Quis enim vitio vertat ridentes de modo incedendi in ebrio, & temulento, de artificio furantium, cet. Potest autem esse malum, si modus ipse malus sit, aut sit periculum gaudendi de ipso objecto pravo, vel denique aliqua intercedat affectio inordinata. R. 2. licitum est gaudere de effectu bono, secuto ex opere malo, quia delectatio non fertur in objectum malum. Sic Ecclesia gaudet de redemptione per Christum secuta ex peccato Adami: *O felix culpa*, cet.

20. Quamvis autem peccatum non sit gaudere de effectu bono, qui oriatur ex causa non bona; nunquam tamen licet gaudere de opere objective malo ob bonum effectum inde exortum; hoc enim esset delectari de ipso opere malo. Unde ab Innoc. XI. damnata est hæc propositio: *licitum est filio gaudere de parricidio parentis, a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutus.* An autem,

& quando liceat gaudere de malo proximi ob bonum illius, vel alterius, diximus Tom. 1. lib. 2. Tract. 3. de præc. Charitatis. c. 3.

## CAPUT III.

## De distinctione peccatorum.

21. *Quæst. 1.* Unde petenda est specifica peccatorum distinctio? R. cum sententia communi, ex duplici radice. 1. ex oppositione ad diversas virtutes. 2. ex diversa difformitate contra eandem virtutem, prout accidit in perjuro, & violatione voti, sive blasphemia; licet enim hæc peccata sint contra eandem virtutem, specie tamen sunt diversa. Quoad hanc secundam radicem conveniunt Doctores. Quod attinet ad primam, quæstio magna est inter S. Thomam, & Scotum, an distinctio specifica desumenda sit proxime ab objectis diversis peccatorum, vel a diversis virtutibus, quibus peccata opponuntur. S. Thomas affirmat eam proxime oriri ex diversitate objectorum. Sic 1. 2. q. 72. ar. 1. Scotus vero, cui non pauci adsentiuntur, eam proxime desumit ex diversis virtutibus, quibus opponuntur peccata. Utraque sententia est probabilis, & fere in idem recidit. Ex utroque enim capite oriri potest distinctio specifica peccatorum, si aut diversis virtutibus opponantur, ut accidit in peccatis commissionis; aut diversum habeant objectum, ut in peccatis omissionis. Ita Roncaglia Tract. 20. de peccatis, c. 2. q. 1.

22. Nota vero, diversa præcepta non inducere distinctionem specificam peccatorum, quan-

do præcepta solum distinguuntur ex parte Legislatorum, ut in furto, quod divina, & humana lege prohibetur. Secus vero si præcepta sint distincta ex parte motivi prohibendi, quia tunc diversæ virtutes læduntur. Sic qui voto obstrictus ad jejunium, illud frangit in Quadragesima, duas lædit virtutes, scilicet temperantiam, ex qua oritur Ecclesiæ præceptum, & Religionem, unde exoritur voti obligatio. Sic qui occidit Sacerdotem non solum peccat contra iustitiam, sed etiam contra Religionem, ex cuius motivo Ecclesia vetat Sacerdotes læsionem.

23. Hinc fieri potest, ut peccatum ex objecto minus grave, evadat gravius ex adjunctis, sive circumstantiis, ut contra Durandum affirmant S. Thom. Suarius, Azor, & alii; quia etsi ut plurimum gravius peccatum sit, quod perfectiori virtuti opponitur, ut docet S. Th. 1. 2. q. 73. a. 4., attamen nihil prohibet, quominus peccatum specie inferius, sin minus physice, saltem moraliter excedat malitiam peccati superioris. Hinc sodomia, & bestialitas sunt graviora peccata, quam perjurium, teste S. Th. 2. 2. q. 144. ar. 2.

24. *Quæst. 2.* Unde petenda sit numerica distinctio peccatorum? R. ex duabus radicibus, nempe ex diversis objectis, non tantum physice, sed moraliter distinctis; & ex morali actuum interruptione. Quod ad primam radicem attinet, gravis est quæstio inter Doctores, an in una tantum actione peccata multiplicentur ex diversitate objectorum totalium. Negant Navarrus, Suarez, Anacletus, Layman, & alii, qui docent unum numero peccatum committi ab eo, qui

pluribus personis detrahit, aut plures occidit; quia etsi objecta sint physice distincta, formaliter tamen sunt unum objectum morale, quatenus in uno actu conjunguntur. Fatentur isti tamen, gravius esse peccatum pluribus, quam uni detrahere, decem, quam unum occidere, adeoque id esse in confessione explicandum, cum licet unum sit peccatum, decem tamen peccatis æquivalens, ut notat Suarez de Pœn. d. 22. S. 5.

Alii vero communius, & ut puto verius sentiunt, diversa objecta totalia diversa numero peccata constituere. Nam sicut unus actus, respiciens plura objecta specie diversa, includit plura specie peccata distincta, ita actus respiciens plura objecta numero distincta, includit plura numero distincta peccata. Sed ad praxim parum refert, utrum ea plura numero peccata dicantur, an unum pluribus æquivalens, & in Confessione explicandum. Quæstiones varias, quæ ex hoc capite oriri possunt, vide apud auctorem.

25. Quod ad secundam radicem attinet, quæ in morali actuum interruptione consistit, sit *Quæst. 3.* Quando nam actus moraliter interrumpantur? R. 1. actus mere internos, qui in solo corde consistunt, ut sunt odia, hæreses, desideria, & delectationes turpes, cet. statim ac multiplicantur, moraliter interrumpi, ita ut tot sint peccata cordis, quot sint actus voluntatis, illis consentientis. Ratio est, quia tales sunt illi actus interni, ut unus ab alio non dependeat, proindeque nequeant moraliter continuari. Ita Suarez, Vazquez, Salmant. aliique contra Canum, Lugo, & alios, censentes non interrumpi

nisi per contrariam voluntatem, aut tempus longe diuturnum. Itaque explicare debet Pœnitens, si possit, quoties voluntate consenserit; aut si id sine magna difficultate nequit, quantum temporis in prava voluntate duraverit.

26. R. 2. Actus interni, qui solo corde non perficiuntur, sed exterius ore, aut opere consummantur, moraliter censentur interrumpi. 1. per retractionem voluntatis. 2. per liberam cessationem, sive voluntariam, sive involuntariam, ut per somnum, distractionem, cet. quæ diuturna sit, quæque ad continuationem actus nova indigeat determinatione voluntatis. Hic tamen est notandum, actus voluntatis, qui ex primo proposito procedunt, & moraliter permanent in aliquo effectu, qui deservit ad consummandum peccatum externum, non nisi unum constituere peccatum, quantumcumque duret prava voluntas. Sic qui statuit hominem occidere, & in hunc finem arma parat, viam arripit, & inimicum occidit, unum tantum peccatum committit, licet per dies aliquos illum quæserit. Rationem dat S. Th. in 2. dist. 42. q. 2. ar. 1. quia omnes hi actus non habent rationem peccati, nisi secundum quod per unam voluntatem in perversum finem ordinantur.

27. Quod ad externos actus pertinet, servanda est hæc regula. Actus externi moraliter interrumpuntur, quando unusquisque in se completus est, nec subordinatur ad consummationem unius operis, seu finis. Hinc qui tactus, vel oscula impudica habuerit sine animo copulæ, plura peccata committit, etsi postea copula sub-

sequatur. Idem dicit Suarez de tactibus, & osculis, quæ copulam statim subsequuntur, licet alii cum Navarro censeant, unum tantum esse peccatum, si adeo, proxima sint, ut censi possint copulæ complementum. Addendum hic etiam cum La-Croix, eum, qui ex animo furandi centum aureos, centenis vicibus moraliter interruptis eos subripiat, centum perpetrare peccata cum singulæ actiones habeant in se malitiam consummatam, Tria etiam sacrilegia committit. Sacerdos, in die Nativitatis tres Missas celebrans in peccato mortali. Vide alia apud auctorem.

## CAPUT IV.

## De peccato mortali, &amp; veniali.

28. Quæst. 1. Quid mortale sit, quid veniale, & quomodo inter se differant? R. peccatum mortale est gravis transgressio Divinæ legis, quæ privat hominem gratia sanctificante, & amicitia Dei, illumque reddit dignum æterna pœna. Veniale est levis transgressio legis Dei, minuens fervorem charitatis, & reddens hominem dignum pœna temporali, licet non tollat Dei amicitiam, nec æternam pœnam mereatur. Atque hinc patet inter utrumque discrimen. Nam mortale ex genere suo est contemptus Dei, saltem virtualis, & interpretativus, & aversio a Deo, tanquam a fine ultimo, & conversio ad Creaturam, ipsam practice preferendo Dei amicitia, adeoque meretur odium Dei, & æternum supplicium. Quæ omnia non conveniunt veniali peccato, quod solum est levis offensa Dei, adeoque non privat Dei

nisi per contrariam voluntatem, aut tempus longe diuturnum. Itaque explicare debet Pœnitens, si possit, quoties voluntate consenserit; aut si id sine magna difficultate nequit, quantum temporis in prava voluntate duraverit.

26. R. 2. Actus interni, qui solo corde non perficiuntur, sed exterius ore, aut opere consummantur, moraliter censentur interrumpi. 1. per retractionem voluntatis. 2. per liberam cessationem, sive voluntariam, sive involuntariam, ut per somnum, distractionem, cet. quæ diuturna sit, quæque ad continuationem actus nova indigeat determinatione voluntatis. Hic tamen est notandum, actus voluntatis, qui ex primo proposito procedunt, & moraliter permanent in aliquo effectu, qui deservit ad consummandum peccatum externum, non nisi unum constituere peccatum, quantumcumque duret prava voluntas. Sic qui statuit hominem occidere, & in hunc finem arma parat, viam arripit, & inimicum occidit, unum tantum peccatum committit, licet per dies aliquos illum quæsierit. Rationem dat S. Th. in 2. dist. 42. q. 2. ar. 1. quia omnes hi actus non habent rationem peccati, nisi secundum quod per unam voluntatem in perversum finem ordinantur.

27. Quod ad externos actus pertinet, servanda est hæc regula. Actus externi moraliter interrumpuntur, quando unusquisque in se completus est, nec subordinatur ad consummationem unius operis, seu finis. Hinc qui tactus, vel oscula impudica habuerit sine animo copulæ, plura peccata committit, etsi postea copula sub-

sequatur. Idem dicit Suarez de tactibus, & osculis, quæ copulam statim subsequuntur, licet alii cum Navarro censeant, unum tantum esse peccatum, si adeo, proxima sint, ut censi possint copulæ complementum. Addendum hic etiam cum La-Croix, eum, qui ex animo furandi centum aureos, centenis vicibus moraliter interruptis eos subripiat, centum perpetrare peccata cum singulæ actiones habeant in se malitiam consummatam, Tria etiam sacrilegia committit. Sacerdos, in die Nativitatis tres Missas celebrans in peccato mortali. Vide alia apud auctorem.

## CAPUT IV.

## De peccato mortali, &amp; veniali.

28. Quæst. 1. Quid mortale sit, quid veniale, & quomodo inter se differant? R. peccatum mortale est gravis transgressio Divinæ legis, quæ privat hominem gratia sanctificante, & amicitia Dei, illumque reddit dignum æterna pœna. Veniale est levis transgressio legis Dei, minuens fervorem charitatis, & reddens hominem dignum pœna temporali, licet non tollat Dei amicitiam, nec æternam pœnam mereatur. Atque hinc patet inter utrumque discrimen. Nam mortale ex genere suo est contemptus Dei, saltem virtualis, & interpretativus, & aversio a Deo, tanquam a fine ultimo, & conversio ad Creaturam, ipsam practice preferendo Dei amicitia, adeoque meretur odium Dei, & æternum supplicium. Quæ omnia non conveniunt veniali peccato, quod solum est levis offensa Dei, adeoque non privat Dei

gratia, & jure ad hæreditatem æternam.

29. Hinc mortale, & veniale semper differunt inter se specie morali, licet aliquando convenient in specie physica, ut furtum grave, & leve, quæ eidem præcepto, & ex eadem fine opponuntur, & solum differunt penes majorem, vel minorem quantitatem. Unde aliud est peccatum ex genere suo mortale, aliud, quod solum ex accidenti evadit mortale. Peccata ex genere suo gravia sunt ea, quæ transgrediuntur virtutes Theologicas, utpote contraria bono alicui interno Dei, v. g. veracitati, misericordiæ, justitiæ. Item ea fere omnia, quæ fiunt contra Decalogi præcepta, & lædunt honorem Dei, vel jura proximi. Peccata, quæ dicuntur capitalia, non omnia sunt ex genere suo mortalia, quia non omnia graviter lædunt bonum Dei, vel proximi.

30. *Quæst. 2.* Peccatum ex genere suo mortale quo pacto evadere potest veniale? R. Tribus de causis nimirum ex parte intellectus, ex parte voluntatis, & ex parte materiæ. Ac primo ex parte intellectus, si non sit nisi imperfecta deliberatio; ex parte voluntatis, si non sit plenus consensus; & ex parte materiæ, si res sit parvi momenti. Non est autem parvitas materiæ, ubi ob parvitatem non excusatur ratio offensionis, ut accidit in infidelitate, odio Dei, simonia, perjurio, & blasphemia. Pariter neque in delectatione venerea, deliberate quæsitæ, vel admissa, ut dictum est in Tract. de sexto Decalogi præcepto.

31. *Quæst. 3.* Quibus modis peccatum ex se leve evadere possit mortale? R. quinque modis id fieri pss. 1. ratione finis adjuncti. 2. ratione

finis ultimi. 3. ratione contemptus. 4. ratione scandali. 5. ratione periculi. De singulis dicam breviter. Ac primo ratione finis adjuncti, ut si quis mentiatur ad extorquendam copulam. Non est tamen gravis obligatio exprimendi in confessione illud mendacium, sed satis est exprimere desiderium, vel si hæc adfuit, sollicitationem ad fornicationem, quia seclusa finis malitia, manet veniale. 2. veniale potest transire in mortale, si ita in rem aliquam sis affectus, ut in ea finem ultimum constituas. Sic graviter peccant, qui lusus gratia, v. g. parati sunt omittere sacrum in die festo.

32. Tertio ratione contemptus *absoluti*, & *formalis*, puta, cum præceptum, etiam leve violatur ex contemptu formali legis, vel legislatoris, qua talis. Primum est peccatum superbiæ consummatæ, secundum vero inobedientiæ. Quod si præceptum frangas ex indignatione, malitia, aut prava consuetudine, non contempta potestate Superioris, aut justitiæ legis, non est contemptus formalis, & expressus, sed tantum virtualis, qui solum est leve peccatum, si materia sit levis. 4. opus, leviter malum, imo & indifferens, atque etiam bonum, habens mali speciem, potest esse grave peccatum ratione scandali, ut alibi diximus. 5. etiam tale potest evadere ratione periculi proximi indicendi in mortale; nam qui amat periculum, peribit in illo. Nec possunt excusari a mortali, qui sine justa causa se exponunt periculo probabili peccandi mortaliter. Secus autem si causa sit justa, ut in Medicis, Chirurgis, Parochis, aliisque, modo debitæ cautiones adhi-

beantur ad vitandum peccatum. Vide dicta de scandalo, & de occasione proxima peccati. Tom. I. Lib. II. Tract. III. c. VI.

## CAPUT V.

*De peccatis capitalibus, ac primo de superbia, & avaritia.*

33. Septem vulgo numerantur peccata mortalia, seu capitalia; quia licet non omnia gravia sint ex genere suo, sunt tamen radix, & caput omnium mortalium. In his primum locum obtinet superbia, quæ definitur: *appetitus inordinatus propriæ excellentiæ*. Dicitur *inordinatus*, quia propriam celsitudinem amare quis potest sine peccato, imo & cum merito, si eam ordinatè quærat, scilicet ob finem honestum, & per vias item honestas. Peccatum superbiæ ex natura sua grave est, si superbia sit perfecta, & consummata, ut si quis ita excellere appetat, ut Deo, Superioribus, eorumque legibus subjici renuat.

34. *Quæst. 1.* Quot sunt filiæ superbiæ? R. tres, scilicet præsumptio, ambitio, & vanagloria. *Præsumptio* est appetitus aggrediendi aliquid supra vires, qui ut plurimum est culpa venialis, nisi præsumas id, ex quo gravis Deo injuria, vel proximo damnum afferatur; ut qui præsumat jurisdictionem Ecclesiasticam, aut potestatem Ordinis, quam non habet, item officium Medici, Advocati, Confessarii, cet. sine peritia. *Ambitio* est inordinatus appetitus dignitatis, vel honoris non debiti, vel debito majoris. Est veniale tantum, nisi exinde damnum proximo inferatur, aut

via sit graviter prohibita, ut si quæras Beneficium per simoniam. Denique *vana gloria*, seu cupiditas inanis gloriæ est peccatum per se veniale, potest autem esse mortale ex accidenti, ut dictum est de ambitione.

35. Dupliciter peccari potest ex vanæ gloriæ cupiditate, *directe* scilicet, vel *indirecte*, ut docet D. Th. 1. 2. q. 13. *Directe*, idque vel per verba, vel per opera. Per verba nempe jactantiæ, quæ ex natura sua sunt venialia; erunt tamen mortalia si cedant in grave damnum proximi, aut in Dei injuriam, vel contumeliam. Pariter jactantia de rebus graviter malis est mortale; cum approbatio operis eandem cum illo speciem habeat. Per facta committitur peccatum vanæ gloriæ, cum res sunt novæ, aut peregrinæ ad captandam vulgi auram, & dicitur inventio novitatum; quæ si ad mores corrumpendos adjuvet, potest esse grave peccatum; secus erit veniale. Ad hanc refertur *hypocrisis*, dum quis simulat sanctitatem, quam non habet, quæ sæpe venialis est culpa; sæpe tamen mortalis, quia intercedit injuria Dei, vel contemptus, & damnum proximi.

36. *Indirecte* peccatur, dum quis alteri non vult esse inferior, nec videri. Atque hinc oritur *pertinacia* intellectus, qua quis mordicus adhæret suæ opinioni; quæ mortalis erit, si oppugnetur veritas magni momenti, vel ex ea oriatur damnum proximi, v. g. si Medicus cum periculo ægroti maneat in sententia. 2. *discordia* voluntatis, qua peccatur lethaliter, si læditur graviter bonum Dei, vel proximi. 3. *Contentio* verborum, quæ gravis erit, aut levis, prout graviter, aut

leviter charitas lædatur. 4. *inobedientia*, qua quis non vult exequi, quod ex præcepto debet. His superbix filiabus opponitur vitium *pusillanimitatis*, qua quis nimium sibi diffidens, detrectat honorem, officium, vel dignitatem, qua dignus est. Est ex sua natura veniale peccatum, nisi id, quod detrectatur, tale sit, ut ad illud graviter quis teneatur ex charitate, vel ex alio titulo.

37. *Quæst. 2.* Quid est avaritia, & quot sunt ejus filix? R. est inordinata cupiditas rerum temporalium. Ex genere suo venialis est, si *intra hoc sistat, ut scilicet homo quantumvis superflue divitias amet, non tamen præfert earum amorem amoris divino, ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum, & proximum.* S. Th. 2. 2. q. 118. art. 4. Erit tamen mortale, cum in divitiis constituitur finis ultimus, aut ad eas acquirendas adhibentur media graviter illicita; vel denique homo paratus est peccare potius graviter, quam divitias amittere. Hinc ad Eph. 5. dicitur: *Avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi.* Et 1. ad Timoth. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas.*

38. Ex ea sane tanquam filix nascuntur, Greg. teste, 1. obduratio cordis, egenis, & pauperibus non miserentis, debita nimis duriter exigentis ab eo, qui solvendo est impar, cet. 2. inquietudo cordis ex nimio amore divitias acquirendi, aut timore eas amittendi, quæ si retrahit ab spiritualibus, aut aliis ex gravi peccato debitis, erit mortale; aliter non nisi veniale. 3. Violentia, qua res aliena contra justitiam usurpatur, & est peccatum lethale, nisi excuset materia

levitas. 4. fallacia, seu dolus in verbis, quæ potest esse mortalis, si finis, aut media sint graviter prohibita. 5. fraus, & dolus in opere, v. g. in contractibus, quæ sæpe grave peccatum est contra justitiam. 6. denique proditio contra fidem datam, aut debitam sive personæ, sive rei sibi commissæ, sive arcani sibi crediti, quæ si cedat in grave damnum alterius, est mortale.

39. Unde grave peccatum est aperire alterius litteras, nisi præsumatur consensus domini, aut prudenter credi possit in eis nihil contineri, quod sit gravis momenti, aut intercedat auctoritas legitima. Erit tamen solum leve peccatum curiositatis, si nullum inde damnum domino obvenire possit. V. A.

## CAPUT VI.

## De aliis quinque peccatis capitalibus.

40. *Quæst. 1.* Quid est luxuria, & quale peccatum? R. est inordinatus appetitus rei venereæ, qui ex genere suo mortalis est ex Ap. ad Galat. 5. *Opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria... quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Vide dicta de sexto Decalogi præcepto, ubi variæ luxuriæ species recensentur. Ejus filix a S. Greg. & Th. octo numerantur; quatuor ex parte intellectus, nimirum cæcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, & inconstantia; & quatuor ex parte voluntatis, nempe, amor sui inordinatus, odium Dei, tanquam vindicis, affectus præsentis sæculi, &



horror futuri. Priores quatuor veniales sunt, nisi præceptum aliquod grave frangatur: posteriores autem ex se mortales sunt, sed aliquando ex in-deliberatione, vel alia actuum imperfectione pos-sunt esse veniales.

41. *Quæst. 2.* Quid est invidia? R. est tristitia de alterius bono, quatenus videtur immi-nuere propriam excellentiam. Ad eam revocatur gaudium de malo alterius, quatenus id nobis bonum æstimatur. Est ex genere suo mortale contra charitatem, cujus proprium est gaudere de bono proximi, tanquam nostro, & de ipsius malo dolere. Est peccatum vere diabolicum, quia ut habetur Sap. 2. *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Quod si invidia versetur circa gratiam, vel auxilium Dei, est peccatum contra Spiritum S. Notandum vero ex S. Th. 2. 2. q. 136. art. 2. non esse invidiam dolere de bono alterius, quia exinde damnum tibi, vel alteri times. Ne-que est invidia, sed æmulatio, dolere de bono alterius, non quia illud alter habet, ita ut cu-piamus ille deesse; sed quia in nobis illud non est. Quæ quidem æmulatio circa spiritualia lau-danda est; circa temporalia potest esse honesta, vel non, prout res, quam quis æmulatur, est sibi, vel non est consentanea. Neque est invidia tritari de bono alterius, quo ille est indignus. Erit tamen peccatum, & quidem blasphemia, providentiam Dei accusare, quasi indignis pros-pere largientis. Invidus proprie talis est, cum quis dolet de bono alterius, in quantum alter æquat, aut superat ipsum in excellentia, quam ut proprium malum apprehendit.

42. *Quæst. 3.* Quænam sunt filiæ invidiæ? R. 1. odium proximi. 2. detractio. 3. gaudium de malo ipsius. 4. susurratio, quæ est sermo, quo injuste proximo tollitur, vel tolli procuratur ami-citia cum aliis. Estque gravissimum peccatum contra justitiam ex Prov. 6.: *sex sunt quæ odit specialiter Dominus, & septimum detestatur ani-ma ejus, qui seminat inter fratres discordias.*

43. *Quæst. 4.* Quid est gula? R. est inordi-natus appetitus cibi, & potus, & opponitur abs-tinentiæ, & sobrietati. Potest autem per gulam peccari quinque modis, ut notat S. Greg. 1. e-dendo ante tempus, citra necessitatem. 2. nimis exquisita, hoc est, non convenientia conditioni, & necessitati personæ. 3. plus justo. 4. voraciter. 5. nimis exquisitæ præparata. Hoc vitium ex ge-nere suo veniale est, sed aliquando potest esse mortale; ut si quis gulæ causa violet præcepta Ecclesiæ, vel se reddat ineptum ad gravia Officii sui ministeria vel edat, quæ valetudini suæ gra-viter nocere solent. Pariter erit mortale, bibere, aut edere humanum sanguinem, vel carnem, nisi forte ex medicina, aut extrema necessitate.

44. Peccatum item est, edere, aut bibere ob solam voluptatem; cum non sit finis honestus, ad quem usus cibi a natura est institutus. Hinc damnata est ab Innoc. XI. propositio dicens: *comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum.* Erit tamen id solum veniale, secluso scandalo, & periculo nocendi valetudini. Qui autem sponte evomunt, quod sumpserunt, ut iterum edant, aut bibant, vix excusantur a mortali propter gravem rei de-

formitatem. Ita probabiliter Holzman, & Wiggand cum Sa, & aliis contra Navarrum, & alios.

45. *Quæst. 5. Quænam sunt filix gulæ? R. 1. hebetudo mentis; 2. inepta lætitia. 3. multiloquium. 4. scurrilitas non solum in verbis, sed etiam in gestibus. 5. immunditia, & seminis effusio, quæ si voluntaria sit, erit mortale, ut alibi diximus. De quantitate cibi, & potus non potest dari una certa regula, inquit S. Anton. p. 2. tit. 6. c. 1. Sed plus, & minus exigitur secundum varietatem complexionum, & fatigationum..... Tantum ergo potest, & debet quis comedere, & bibere, quantum credit se indigere ad sustentationem, & executionem eorum, quæ sibi incumbit agenda.*

46. *Quæst. 6. Quale peccatum sit ebrietas? R. si perfecta sit, & privet hominem usu rationis, est ex genere suo peccatum mortale. Constat inter omnes ex illo Apost. ad Cor. 6. Neque ebriosi regnum Dei possidebunt, & ex aliis Scripturæ locis. Constat item ratione; gravis enim est difformitas contra naturam, imaginem Dei deturpare, & ob solam potus delectationem privare se usu rationis. Non erit tamen mortale, si ebrietas sit tantum imperfecta, quæ nimirum hominem omnino non privet usu rationis, licet eam perturbet aliquantulum. An autem liceat se inebriare ex Medicorum præscripto ad conservandam valetudinem, si opus fuerit, disputant auctores. Negant multi, præsertim recentiores, eo quod ebrietas sit intrinsece mala, adeoque nunquam liceat nec ad vitandam mortem. Alii tamen satis probabiliter, imo & probabilius affirmant,*

si potus solum adhibeatur ad expellendos, vel corrigendos humores, licet indirecte, & accidentario sequatur ebrietas; id enim non tam est ebrietatem velle, quam permittere. Sic licitum est matri sumere pharmacum directe tendens ad conservationem vitæ, quamvis indirecte oriatur expulsio foetus. Non licet tamen potum directe sumere ad se inebriandum, hoc enim esset intrinsece malum. V. D. Th. 1. 2. q. 88. a. 5.

47. *Quæst. 7. An liceat se inebriare ad vitandam mortem, quam quis ei minuitur, nisi inebrietur? R. neg. quia id esset privare se directe usu rationis, quod natura sua, & ab intrinseco malum est. Neque tunc adest causa excusans, sicut in quæstione præcedenti; ibi enim vinum est medium per se ordinatum ad expellendum morbum, sed non in nostra hypothesi. Præterea in illo casu periculum vitæ est ab intrinseco, nempe a morbo vexante, quem ideo licet expellere per vini potationem; hic autem periculum est ab intrinseco, quod nequit licite vitari per ebrietatem. Sicut licet matri expellere foetum inanimatum usu medicinæ ad servandam vitam, sed id non licet ad defendendam vitam a propinquis, mortem minitantibus, nisi sumat pharmacum. Nostra sententia confirmatur auctoritate D. Ang. serm. 232. de temp. dicentis: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: aut bibas, aut morieris, melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.**

48. *Quæst. 8. An sit peccatum alium inebriare, vel provocare ad se inebriandum? R.*

Certum est esse mortale per se loquendo, provocare alium ad haustus, prævidendo ipsum fore inebriandum; cum sit causa moralis ebrietatis. Idem dico de eo, qui vinum alteri præbet fortissimum cum periculo probabili ebrietatis. An autem licitum sit aliquem ad ebrietatem inducere, ut ille impediatur a majori malo, puta homicidio, sacrilegio, cet. ? Tres sunt DD. sententiæ. 1. absolute negat id ullo casu licere, cum sit cooperari ebrietati, quæ intrinsece mala est. Ita Tournelyus, Hozman, alii. Secunda id solum licere dicit, quando is, qui inebriatur, id sine peccato faciat, puta ex potu vini fortissimi aut medicati; hoc enim solum esset inducere aliquem ad ebrietatem materiale, vel potius eam permittere ad vitandum majus malum. Ita Layman, Salmant. Denique alii absolute affirmant, quia licitum est ei, qui paratus est committere majus malum, suadere minus malum, si aliter illud vitari nequeat. Medina, Lessius, alii. Prima sententia tutior est, sed aliæ sunt satis probabiles.

49. *Quæst. 9.* Quale peccatum sint mala in ebrietate commissa? R. ea culpa vacant, si prævisa non sint, saltem confuse, & in causa. Verum si prævisa sint, saltem in genere, & confuse, imputantur ad culpam, cum sint voluntaria in causa. Ita S. Th. 1. 2. q. 77. a. 7. Imo etsi ea mala postea non sequantur, coram Deo imputantur, si se inebrians prævideat ea probabiliter ex ebrietate secutura. *Vide dicta de ratione voluntarii.*

50. *Quæst. 10.* Quid est ira, & quando sit

peccatum? R. ira generatim accepta est appetitus vindictæ, qui si ordinatus sit non est peccatum, imo & potest esse laudabilis secundum illud psalmi 4. *irascimini, & nolite peccare.* Si tamen sit inordinatus, est unum ex peccatis capitalibus; ira siquidem numeratur ab *Ap. ad Gal. 5.* inter opera carnis, a regno Dei excludentia. Hæc autem inordinatio duplici modo evenire potest, ut ait D. Th. 1. ex parte modi irascendi, v. g. si ultra modum interius exardescas, vel exterius signa iracundiæ exhibeas, 2. ex parte objecti, ut si vindictam appetas justo majorem, vel sine justa causa, vel ob finem injustum, vel per viam injustam. Ita priori modo inordinata solet esse veniale, nisi accedat blasphemia, maledictio, vel scandalum. 2. modo est mortale ex genere suo contra charitatem.

51. *Quæst. 11.* Quænam sunt iræ filiæ? R. ex parte cordis sunt tumor mentis, & indignatio, quæ venialia sunt, nisi crescant, usque ad odium & gravem contemptum alterius. 2. Ex parte oris sunt clamor, blasphemia, & maledictio, quarum clamor ex genere suo venialis est, alia mortalia, si cum deliberatione procedant. 3. ex parte operis sunt rixæ, pugnæ; seditiones, quæ prout leves sint, aut graves, possunt evadere peccata venialia, vel mortalia. Circa maledictionem, qua quis alteri malum imprecatur docet D. Th. 2. 2. q. 76. a. 3. quod secundum suum genus est peccatum mortale, & tanto gravius, quanto personam, cui maledicimus, magis amare, & revereri tenemur. Contingit tamen, verbum maledictionis prolatum esse

veniale vel propter parvitatem mali, quod quis alteri imprecatur, vel etiam propter affectum proferentis, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex subreptione talia verba profert; quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur.

52. *Quest. 12.* Quid est acedia, & quale peccatum? R. acedia late sumpta est animi tedium, seu remissio in exercitatione virtutum ob laborem ipsius adjunctum. Estque tunc peccatum, cum ob eam omittitur aliquid præceptum, aut aliquid vetitum committitur. Stricte sumpta est tristitia, & tedium de divina amicitia, quæ apprehenditur ut mala, eo quod ad sui conservationem laborem exigit. Estque natura sua peccatum mortale, quia repugnat charitati Dei. Ejus filix sunt malitia, qua quis odio habet bona spiritualia, & vellet ea non esse, aut pœnitet ipsum bene fecisse, aut Dei beneficium contemnit, v. g. desiderando non fuisse natum, non agnovisse Christum, cet. Est autem ex genere suo mortale. 2. pusillanimitas, & desperatio de salute æterna, quæ mortale quoque est. 3. rancor, quo nobis fastidio sunt, qui spiritualia persuadent; estque per se veniale, nisi conjugatur cum odio adversus ipsos.

53. Tertio: torpor, cum bona fiunt, sed absque debito fervore, estque solum veniale. 4. evagatio mentis in oratione, & exercitationibus spiritualibus; quæ natura sua venialis est. Erit autem mortalis, si diuturna sit, & voluntaria in oratione graviter præcepta, ut in Sacrificio Missæ in die festo, & horis Canonicis, ut suo loco diximus.

\*\*\*\*\*

## LIBER VI.

### DE SACRAMENTIS.

### TRACTATUS PRIMUS.

#### DE SACRAMENTIS IN GENERE.

#### CAPUT I.

##### De natura Sacramenti novæ legis.

1. *Quest. 1.* Quid, & quotuplex ex Sacramentum? R. Sacramentum, novæ legis definitur: *signum sensibile, sacrum, permanens interioris gratiæ, institutum a Christo ad nostram sanctificationem.* Quæ definitio congruit Tridentino Sess. 13. c. 3. ubi Sacramenta vocantur *symbolum rei sacræ, & in visibilis gratiæ visibilis forma.* Sacramenta legis veteris proprie non erant Sacramenta, quamvis enim significarent gratiam, illam non causabant ex opere operato, sed significabant nobis dandam per Christi passionem, ut docet Florentinum. Nec ipsa Circumcisio, quæ a multis verum dicitur Sacramentum, tollebat per se originale peccatum, nisi quatenus fides ministrantis respiciebat Christum venturum, ut tradit D. Th. p. 3. q. 70. art. 4.

2. Sacramenta novæ legis, a Christo D. instituta sunt septem, nec plura, nec pauciora.

veniale vel propter parvitatem mali, quod quis alteri imprecatur, vel etiam propter affectum proferentis, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex subreptione talia verba profert; quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur.

52. *Quest. 12.* Quid est acedia, & quale peccatum? R. acedia late sumpta est animi tedium, seu remissio in exercitatione virtutum ob laborem ipsius adjunctum. Estque tunc peccatum, cum ob eam omittitur aliquid præceptum, aut aliquid vetitum committitur. Stricte sumpta est tristitia, & tedium de divina amicitia, quæ apprehenditur ut mala, eo quod ad sui conservationem laborem exigit. Estque natura sua peccatum mortale, quia repugnat charitati Dei. Ejus filix sunt malitia, qua quis odio habet bona spiritualia, & vellet ea non esse, aut pœnitet ipsum bene fecisse, aut Dei beneficium contemnit, v. g. desiderando non fuisse natum, non agnovisse Christum, cet. Est autem ex genere suo mortale. 2. pusillanimitas, & desperatio de salute æterna, quæ mortale quoque est. 3. rancor, quo nobis fastidio sunt, qui spiritualia persuadent; estque per se veniale, nisi conjugatur cum odio adversus ipsos.

53. Tertio: torpor, cum bona fiunt, sed absque debito fervore, estque solum veniale. 4. evagatio mentis in oratione, & exercitationibus spiritualibus; quæ natura sua venialis est. Erit autem mortalis, si diuturna sit, & voluntaria in oratione graviter præcepta, ut in Sacrificio Missæ in die festo, & horis Canonicis, ut suo loco diximus.

\*\*\*\*\*

## LIBER VI.

### DE SACRAMENTIS.

### TRACTATUS PRIMUS.

#### DE SACRAMENTIS IN GENERE.

#### CAPUT I.

##### De natura Sacramenti novæ legis.

1. *Quest. 1.* Quid, & quotuplex ex Sacramento? R. Sacramentum, novæ legis definitur: *signum sensibile, sacrum, permanens interioris gratiæ, institutum a Christo ad nostram sanctificationem.* Quæ definitio congruit Tridentino Sess. 13. c. 3. ubi Sacramenta vocantur *symbolum rei sacræ, & in visibilis gratiæ visibilis forma.* Sacramenta legis veteris proprie non erant Sacramenta, quamvis enim significarent gratiam, illam non causabant ex opere operato, sed significabant nobis dandam per Christi passionem, ut docet Florentinum. Nec ipsa Circumcisio, quæ a multis verum dicitur Sacramentum, tollebat per se originale peccatum, nisi quatenus fides ministrantis respiciebat Christum venturum, ut tradit D. Th. p. 3. q. 70. art. 4.

2. Sacramenta novæ legis, a Christo D. instituta sunt septem, nec plura, nec pauciora.

Trid. Sess. 6. Can. 1. Ex his alia dicuntur Sacramenta *mortuorum*, ut Baptismus, & Pœnitentia, quæ causant primam gratiam, & ideo etiam a peccatore suscipi possunt. Alia *vivorum*, quæ solum ex se conferunt augmentum gratiæ, nec recipi possunt, nisi ab existentibus in statu gratiæ. Quamquam etiam Sacramenta vivorum aliquando primam gratiam conferre possunt, ut docet expresse S. Th. de eo, qui putans se non esse in statu peccati mortalis, vel existimans se contritum, accedat attritus ad Sacramentum Eucharistiæ, qui *consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati*. Ita 3. p. q. 7. art. 3. de Euch. idemque confirmat q. 72. art. 7. ad 3. & in 4. dist. 23. q. 1. a. 2.

3. *Quæst. 2.* Quibusnam Sacramenta conficiuntur? R. ex Florent. & Tridentina Synodo omnia Sacramenta tribus perfici, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quodcumque ex his desit, deficit essentia Sacramenti. Porro materia Sacramenti alia dicitur proxima, alia remota: ut in Baptismo, & Extrema Unctione aqua, & oleum sunt materia remota; actio vero unguendi, & lavandi materia proxima; verba autem Ministri sunt forma, aut quod verborum locum supplet, ut in matrimonio signa consensus juxta opinionem magis receptam.

4. *Quæst. 3.* Quænam debeat esse conjunctio inter materiam, & formam Sacramenti, ut

sit validum? R. talem, ut in prudenti hominum æstimatione verba censeantur cadere supra materiam, & cum ea unum morale signum constituere. Hinc pro varietate Sacramentorum major requiritur conjunctio. In Eucharistia v. g. requiritur simultas physica, cum pronomen demonstrativum, *hoc & hic* non possit veram significationem habere, nisi materia sit præsens. In baptismo licet sufficiat simultas moralis, major tamen requiritur conjunctio, quam in Sacramento Pœnitentiæ, quod institutum est ad instar sententiæ judicialis. In matrimonio satis est, quod consensus unius alterius consensum ita sequatur, ut uterque moraliter perseveret.

5. *Quæst. 4.* Quænam mutatio materiæ, vel formæ nullum reddit Sacramentum? R. mutatio substantialis circa materiam, vel formam reddit Sacramentum invalidum, non ita mutatio accidentalis, quamvis sæpe sit illicita. Porro dicitur *substantialis* mutatio materiæ, quæ materiam secundum communem æstimationem reddit aliam ab ea, quam Christus præscripsit; pariter erit substantialis mutatio formæ, quæ sensum mutat primævæ suæ institutionis. Exemplum esto in Eucharistia, pro cujus materia si cruda omnino massa apponatur, etiam si a pane in substantia non differat, nullum est Sacramentum, quia in communi æstimatione panis non censetur. Pariter non sunt materia apta. Baptismo aquæ artificiales, cum non habeant nomen, & usum communem aquæ elementaris, esto physice ab illa non discrepent. E contrario solum erit mutatio accidentalis, si aqua baptismi sit

calida, panis fermentatus. Alia circa valorem materiæ, & formæ Sacramentorum tradentur suis quæque locis.

6. *Quest. 5.* Quid requiritur ex parte ministri ad valorem Sacramentorum? R. 1. ad valorem Sacramenti non requiritur neque fides neque probitas in Ministro conferente. Constat ex Trident. Sess. 7. Can. 11. quia Sacramenta operantur non ex dispositione Ministri, sed virtute Divina secundum institutionem, & merita Christi. R. 2. in Ministro requiri intentionem conficiendi Sacramentum, vel saltem faciendi id, quod facit Ecclesia. Ita definitum est ab eodem Trid. Can. 11., etenim per illam intentionem verba, & actiones determinantur ad rationem Sacramenti. Nec satis est animus ponendi ritum externum, qui ad alios fines, v. g. ad ludum dirigi potest; licet aliqui Theologi cum Catherino docuerint sufficere intentionem apponendi ritum externum. Quæ opinio vix forte est probabilis; circa eam tamen nulla usque adhuc emanavit expressa Apostolicæ sedis definitio, ut docet Bened. XIV. de Syn. Dioc. lib. VII. c. 4.

7. *Quest. 6.* Quamnam intentio sufficiat in Ministro ad valorem Sacramenti? R. 1. non sufficere intentionem *habitualem*, quam scilicet quis habuit aliquando, sed non revocavit, nec tamen in aliquo effectu permaneat. Ita communis TT. cum Suarez; quia hujusmodi intentio non facit, ut actio sit elicitæ more humano, ut requiritur in Ministro, a quo procedunt Sacramenta, tanquam a causa operante. Multo minus erit intentio, quæ dicitur *interpretativa*,

cum quis nullam habet, nec habuit unquam intentionem actualem, sed eam haberet, si animadverteret. Non est tamen necessaria actualis intentio; quia hoc, inquit S. Th. 3. p. q. 64. a. 8. ad 3. non totaliter positum est in hominis potestate, quia præter intentionem, cum vult multum intendere, incipit alia cogitare.

8. R. 2. Ad valorem Sacramenti sufficere intentionem *virtualem*, cum quis licet non cogitet de Sacramento conficiendo, aliquando tamen cogitavit, nec revocavit, sed operatur in virtute intentionis, quam olim habuit. Hoc enim satis est, ut Minister humano more operetur, atque ejus intentio sit vera causa Sacramenti. Est communis cum D. Th. loco citato, Suarez, & alii. Atque hinc deducunt 1. non nisi imprudenter dubitari de intentione a Ministro, qui de more ponit actiones ad Sacramentum prævias, v. g. Sacerdote ad eunte Ecclesiam ad celebrandum, sacris se vestibus induente, ad altare accedente, cet. nisi debitam intentionem positive excludat.

9. Secundo: opus non esse, ut notat Bellarminus, ore, vel corde reflexe dici a Ministro talem habere intentionem, sed sufficere, ut animo paratus sit, & attente faciat id quod facit. 3. sufficere ad valorem Sacramenti intentionem, etiam coactam, & metu extortam, quia metus non tollit voluntarium. Excipe Matrimonium, a quo vis, & metus abesse debet ex definitione Ecclesiæ. Ita pariter validum est Sacramentum (excepto Matrimonio) etiamsi in Ministro forte error intersit circa personam susci-

pianti, nisi Minister intentionem suam alliget circa personam aliquam determinatam, quod evenire non solet nisi in Matrimonio. 4. non requiri ad valorem Sacramenti intentionem explicitam conficiendi Sacramentum, sed sufficere animum faciendi id, quod facit Ecclesia Christi, 5. nec requiri intentionem explicitam celebrandi ritum externum, ut formaliter, & absolute sacrum; alias nullus fuisset baptismus a paganis collatus, contra ac declaravit Nicolaus I. consultus a Bulgaris. Vide alia apud Auctorem.

10. *Quest. 7.* Si minister habet duas intentiones contrarias, quænam debeat prævalere? R. si voluntatem utramque simul habeat, valet prædominans, nempe quæ eligeretur ab eo si cognosceret utramque consistere non posse. Quod si una succedat alteri, valet posterior, nisi prior revocaverit, saltem virtute, voluntatem omnem subsequentem; tunc enim prior voluntas, modo expresse non revocetur, certæ prævalet. In his autem, si adhuc remanet dubitatio, dubius erit valor Sacramenti, ad quem certo habendum debet esse præsumptio moraliter certa, excludens omnem formidinem, saltem prudentem. Hinc, qui matrimonium contraheret, putans esse solubile, si eo animo contraheret, ut si sciret esse insolubile, nullo modo contraheret, invalide nuberet. Secus vero qui contrahit, putans per errorem matrimonium esse solubile, quia privatus error non tollit intentionem generalem debito modo contrahendi. Valide quoque contrahit & baptizat hæreticus, et

si non credat Baptismum, & Matrimonium esse Sacramenta, modo generalem habeat intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia.

11. *Quest. 8.* An validum sit Sacramentum sub conditione collatum? R. esse validum, si conditio sit de re præsentis, vel præterita, non vero si conditio sit de futuro; nullum enim est Sacramentum, nisi forma applicetur materiæ præsentis, ut est certum. Quando autem licitum sit conferre Sacramenta sub conditione, dicemus ubi de Sacramentis singulatim.

## CAPUT II.

### *De necessariis, ut Minister licite conficiat Sacramenta.*

12. *Quest. 1.* An status gratiæ requiratur in eo, qui conficit, vel ministrat Sacramenta? R. is, qui conficit vel ministrat Sacramentum in mortali, mortaliter peccat, si id facit tanquam Minister ad id ordinatus. Pariter Sacerdos, ministrans Eucharistiam, etsi non conficiat, peccat mortaliter. Est communis DD. tum quia id exigat reverentia debita Sacramento; tum quia Christo, cujus est Minister, debet se quodammodo conformare, & ad hoc gratia peculiari donatur, dum ordinatur. V. D. Th. 3. p. q. 64. ar. 6. Imo toties graviter peccat, quoties in mortali conficit, aut ministrat. Idem dicunt aliqui de ministrante pluribus simul Eucharistiam, scilicet, tot ab eo peccata committi, quod sunt



personæ, quibus cœlestis panis impertitur. Alii tamen probabilius affirmant unum esse peccatum tantum, eo quod una sit actio moralis, unumque convivium. Unde Rituale præscribit; *ubi omnes communicaverint, Sacerdos dicere poterit: o Sacrum convivium, cet.*

13. R. 2. Sacramenta administrans, ad quæ non est ordinatus, ut laicus in necessitate baptizans, & contrahentes matrimonium, satis probabiliter non peccat mortaliter: quia non agit tanquam Minister: Christi, & Ecclesiæ. Hanc sententiam veram, & communem vocat Concina eamque tuetur cum Suarez, Valentia, Gonet, & aliis, estque doctrina expressa D. Th. 3. p. q. 64. art. 6. ad 3. Verum attenda sola ratione naturali, mihi quidem videtur probabilior contraria sententia docens, laicum, vel Sacerdotem sine solemnitate ministrantem per se loquendo peccare mortaliter, si conscientiam habeat peccati lethalis. Ita Vazquez, De Lugo, Antoine, Continuator Tournely, quorum hæc est ratio. Peccatum ministrantis Sacramentum indigne stat in irreverentia, quæ irrogatur Deo, & Sacramento, ut docet expresse D. Th. loco cit. At vero quis neget hanc irreverentiam Deo, & Sacramento inferri a Ministro, etiam non solemniter ministrante? Quamvis enim Ecclesiæ Ministrum non agat, agit tamen nomine Christi, & ut minister ejus. Deinde sancta sanete sunt tractanda, & quidem sub gravi, si gravis sit materia; actio autem administrandi Sacramenta eximie sancta est, tum quia fit nomine Christi, tum quia proxime cooperatur in sanctificationem

animæ, Unde a quocumque exerceatur, ipsius sanctitatem requirit.

14. Dixi *per se loquendo*; fieri enim quandoque poterit, ut a peccato Minister excusetur, dum nempe in moribundo urget necessitas baptismi, aut poenitentiae ob periculum moriendi absque absolutione, vel baptismo, si Minister non possit tam cito contritionem elicere. Extra hos casus necesse est Ministrum saltem contritum accedere ad ministrandum Sacramentum. An autem Sacerdos tenentur non solum prius conteri, sed etiam confiteri, dubitant TT. Certe confessio necessaria est ad confectionem Eucharistiæ, ut docet Trid. & postea dicemus. Quoad alia Sacramenta, etsi *conveniens sit*, ut Minister non accedat, nisi prius confessione expiatus, ut monet Rituale Romanum, nullubi tamen confessio præcipitur, adeoque necessaria non est confessio ex sententia communi, & probabiliori cum Suarez, Navarro, Roncaglia, Sporer, aliis.

15. *Quest. 2.* An Minister exercens ex officio sacras functiones, quæ non sunt Sacramenta, peccet mortaliter, si eas exerceat in mortali? R. Affirmant aliqui, omnes ex officio exercentes functiones ordinis suscepti ab Episcopo usque ad Ostiarium in statu mortalis, culpam gravem committere. Atque id sensisse videtur D. Th. in 4. dist. 24. qu. 1. art. 3. cujus hæc sunt verba: *Quicumque autem cum peccato mortali aliquod sacram officium pertracta, non est dubium, quin illud indigne faciat; unde patet, quod peccat mortaliter.* Nihilominus sententia communior id negat cum Soto, Suarez, Mas-

trio, Holzmano, Salmant. & aliis. Ratio 1. est; quia omnia alia exercitia Ordinum, præter confectionem, & administrationem Sacramentorum, cum non sint proxime ordinata ad sanctificationem animæ, non videntur exigere sub gravi exercentium sanctitatem. 2. quia ubi non constat de præcepto, non est imponenda obligatio sub mortali; in his autem functionibus certe de hoc præcepto non constat. Aliunde autem neque constat materiam esse ita gravem, ut eam non sancte exercere, excedat culpam venialem. Docet tamen Suarez, ea munera in mortali frequenter exercentes non posse excusari a culpa gravi, quia frequentia arguit contemptum rei sacræ; sed neque id alii admittunt, licet putent sæpe esse mortale ratione scandali, ut si populus hominem perditæ famæ audiat concionantem.

16. *Quæst. 3.* An, & quo modo teneatur Minister, conferens, vel conficiens Sacramenta, ritus Ecclesiæ servare? R. Certum est curanda esse non solum quæ ad essentiam pertinent Sacramentorum, sed etiam ea, quæ ad decorem, & majestatem spectant, adeoque servandos esse ritus, & cæremonias ab Ecclesia præscriptas. Constat ex definitione Trid. Ses. 7. cap. 14. Itaque illos ex contemptu omittere semper est mortale; sine contemptu vero ex neglectu relinquere erit veniale, nisi materia sit gravis, ut v. g. circa materiam, & formam Sacramentorum.

17. *Quæst. 4.* Quale sit peccatum indignis Sacramenta ministrare? R. certum est peccari graviter a Ministro, *per se loquendo*, qui scienter ministrat Sacramenta indigno. Constat ex illo

Matth. 7. v. 6. *nolite sancta dare canibus.* Et ex 1. ad Cor. 4. *hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Non est autem fidelis, qui indigno scienter dispensat, adeoque peccat contra fidelitatem, muneris sui propriam. 2. quia Sacramentum indigne, & irreverenter tractat, & agit contra ipsius institutionem, quæ exigit, ne defraudetur suo effectum. Denique Minister ita conferens Sacramentum, cooperatur peccato sacrilege suscipientis, nisi justa causa excuset, ut postea dicemus. Itaque Minister tenetur providere, ut Sacramentum digne suscipiatur, sed non est eadem obligatio in omnibus Sacramentis.

18. Nam in Sacramento Pœnitentiæ Minister, tanquam judex debet esse moraliter certus de Pœnitentis dispositione, cum hæc sit necessaria ad valorem Sacramenti. In Baptismo conferendo adultis debet inquirere consensum, & dispositionem baptizandi. Episcopus quoque Ordinem collaturus debet certam habere scientiam de dignitate ordinandi, cum nemo jus habeat ad suscipiendos sacros Ordines, nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Quod atinet ad Matrimonium, Sacerdos assistens tenetur inquirere impedimenta, cum in hunc finem constituatur ab Ecclesia. In aliis vero Sacramentis, quicquid Antoine dicat, censeo, ea non esse deneganda iis, qui catholice vivunt, nisi constet de indignitate petentis. Ita Soto, Suarez, Lugo, Elbel, aliique communiter. Etenim unusquisque jus habet ad suscipienda hæc Sacramenta; nec Ministri sunt judices, sed dispensatores tantum: unde eis non convenit jus inquirendi, sed tan-

tum debitum dispensandi iis, qui petunt, modo non sint positive indigni, quisque enim *naturaliter præsumitur bonus* ex c. dudum de præsen-  
*nisi malus certo probetur.*

19. Hinc deduces 1. peccatori occulto, publice petenti negandam non esse Eucharistiam, ut probat Eugenius Papa in c. *placuit* exemplo Christi, qui Judæ communionem porrexit. Sed nullo modo ministranda est peccatori occulto, occulte petenti, ut ait S. Th. 3. p. q. 81. art. 6. nisi crimen cognitum esset tantum ex Confessione; quo casu quomodo se gerere Minister debeat, dicemus infra, dum agetur de Sacramento Pœnitentiæ. Deduces 2., publico peccatori, sive palam, sive occulte petenti negandam esse Eucharistiam, nisi sufficientia dederit conversionis indicia, & scandalum abstulerit. Quod si peccatum in uno loco sit notum, in alio sit occultum, adhuc illi negandam esse Eucharistiam in eo loco, ubi peccatum non constat, censent multi cum Suarez, nisi prudenter emendatus præsumatur. Alii tamen multi, quibus adhæreo, negant Sacramentum illi posse denegari, cum ex una parte, ministrando ipsi, nullum sit scandalum, & ex alia negando, ea incommoda orientur, quæ oriuntur, negando Eucharistiam peccatori occulto, publice petenti. Quod intelligo, nisi notitia criminis facile sit illuc perventura. Atque ob eandem rationem neganda non est Eucharistia peccatori, cujus crimen notum non est iis, coram quibus eam petit, vel solum eorum paucis sit notum.

20. Quæst. 5. Quid agendum in dubio de crimine, vel de pœnitentia? R. Si crimen est certum, & pœnitentia dubia, Sacramentum certe est denegandum, donec constet de pœnitentia; quia possidet infamia. Et hoc dicendum docent Suarez, Arr. & alii, si de crimine sit vehemens suspicio, quæ æquivalet morali certitudi-  
dini. Si autem dubitatur de crimine, petenti modo supra dicto Sacramentum nequit denegari, quia fama possidet. Habendum est præ oculis, quod in Rit. Rom. præscribitur de Euch. *Ar-  
cendi sunt* (a communione) *publice indigni; quales sunt excommunicati, interdicti, manifestique infames; ut meretrices, concubinarij, feneratores, magi, sortilegi, blasphemi, & alij ejus generis publici peccatores; nisi de eorum pœnitentia, & emendatione constet, & publico scandalo prius satisfecerint. Occultos vero peccatores, si occulte petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem si publice petant, & sine scandalo ipsos præterire nequeat.*

21. An autem metus mortis, vel infamiae possit Ministrum excusare a conferendo Sacramentum indigno, gravis est inter DD. controversia. Affirmant multi, & graves TT. nam si infamia peccatoris publice petentis est ratio sufficiens, ut Minister conferat ipsi Sacramentum, cur mors; vel infamia a Ministro subeunda eum non excusabit? Negant tamen alii, quibus adhæreo, quia ratio præcipua excusans Ministrum conferentem Eucharistiam publice petenti peccatori sunt gravia incommoda, & scandalum aliorum præsentium; quæ certe non habent locum

in Ministro, qui morti se exponeret ad reverentiam Sacramento servandam, negando illud indignis.

22. *Quæst. 6.* An denegandum Sacramentum Ordinis peccatori occulto publice petenti? R. 1. si sit indignus ex irregularitate, vel alia simili de causa, rejiciendum esse nemo dubitat. R. 2. etiam si indignus sit, quia in aliquo vitio occulto, sed gravi versatur, omnino est arcendus, quicquid alii reclament. Pater ex Trid. sess. 14. c. de Reform. ubi dicitur, Episcopum posse Clericum prohibere, ne ascendat ad superiores ordines, & Clericum tenere Episcopo obedire, etiam si ascensus a Prælato suo ex quacumque causa ob occultum crimen extra judicialiter fuerit interdictus. Et additur, quod nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, ei suffragetur. Nec vero tenetur Episcopus manifestare causam, cur repellat illum ab ordinatione juxta declarationes S. C. Concilii, editas 21. Martii 1642. & 21. Apr. 1668. quas late refert Bened. XIV. in lib. 1. de Syn. c. 71. n. 4. Quod autem Episcopus non solum possit, sed etiam debeat repellere indignos, quamvis occultos, constat ex Trident. Sess. 23. de Ref. cap. 4. & 7. diserte præcipiente mores Clericorum investigare, & examinare diligenter. Quorsum autem hæc? nisi ut indignos repellat ex Apostolo 1. ad Tim. 5. *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* An autem absolvi possit ordinandus, qui habitum contraxit lascivæ, & statim post poeniten-

tiam, sine experientia continentia, velit Subdiaconatum suscipere? Legesis doctam auctoris disertationem ad calcem hujus capituli.

23. *Quæst. 7.* An Parochus possit assistere matrimonio eorum, qui sunt publici peccatores? R. 1. teneri Parochum eos arcere a matrimonio, qui nesciunt doctrinæ Christianæ rudimenta, ut constat ex Rit. Rom. & decretum est a summis Pontificibus Innoc. XII. Clem. XI. & Bened. XIV. 2., non posse suam denegare assistentiam peccatoribus occultis, publice peccantibus ex dictis supra. Utrum autem assistere debeat, aut possit iis, qui sunt publice indigni? affirmant aliqui, modo prius conatus fuerit reddere dignos sponso ad contrahendum. Negans tamen sententia mihi magis probatur, eamque tuetur Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib. 7. c. 29. ubi ait: *Quamvis juxta communem, magisque receptam sententiam non sit (Parochus) Matrimonii Minister, tamen in multis comparatur Ministro, nec licite sua præsentia firmare potest contractum, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri.* Ratio est, quia Parochus cooperaretur peccato proximi, & quia ei ex officio incumbit avertere oves suas a peccatis. Excusari tamen potest Parochus, si ejus assistentia necessaria sit ad vitandum grave ipsius malum, vel Communitalis, vel ipsorum contrahentium. Atque ob eandem rationem a peccato excusatur innocens sponsus, qui contrahit cum indigno, modo non sit excommunicatus, vel alio nomine vitandus.

24. *Quæst. 8.* An liceat aliquando simulare

administrationem Sacramenti? R. Nego id unquam licere, etiam timore mortis intercedente. Constat ex prop. damnata ab Innoc. XI. dicente: *urgens metus gravis est causa Sacramenti administrationem simulandi*. Ratio autem est quia simulatio injuriam, & quidem gravem irrogat Sacramento. Hinc grave peccatum est proferre sine intentione verba consecrationis super panem, aut absolutionis super poenitentem non rite dispositum, & similia. Licet tamen confessario, deneganti absolutionem, orare aliquantulum, & cruce efformata benedicere confitentem, quamvis alii putent absolutionem impertiri. Hoc enim non est proprie simulare absolutionem, sed uti verbis, & forma indifferenti. Imo potius hoc solum est occultare veritatem, quam confessarius nec debet, nec vero potest manifestare; sed non potest intendere alterius deceptionem, quamvis possit illam permittere.

25. Atque ex eadem ratione irreverentiæ graviter peccaret, qui simularet suscipere Sacramentum, modo vera esset simulatio Sacramenti. Talis autem non esset, si quis accederet v. g. ad locum Confessionis destinatum, & genuflexus Confessarium de re alia consullet, vel loqueretur. Quod se intenderet adstantes decipere, ut putarent, se ad confitendum accessisse, esset quidem reus mendacii, sed non sacrilegii, cum non esset simulatio vera Sacramenti, deficiente materiali illius, & forma. Hinc non esse illicitum ob gravem metum simulare celebrationem matrimonii, docent mul-

ti DD. nec repugnant Concina, & Milante. Imo non desunt, qui asserant, ad vitandam infamiam posse aliquem cum Parocho convenire, ut super ipso dicat verba illa in Communionem usitata *Corpus Domini N. &c.* hostiam non præbendo; scilicet cum ille non potest sese patrare ad communionem, & imminet scandalum. Nunquam tamen ipsi porrigere hostiam non consecratam cum periculo adorationis, ut docent S. Th. Suarez, & alii.

26. Nota denique 1. grave sacrilegium ab eo perpetrari, qui tentat conficere Sacramentum, cujus conficiendi potestate caret; est enim gravis in Christum irreverentia, velle personam ejus gerere, cum non sit ab eo designatus. Hæc quidem locum habent in Sacramentis, quæ ad sui valorem exigunt jurisdictionem, puta Ordinem, Eucharistiam, Poenitentiam, cet. Qui autem sine necessitate laicus baptizaret, graviter quidem peccaret, sed non ideo sacrilegus haberetur. 2. non licere petere, vel accipere Sacramentum a Ministro non tolerato, hæc est, excommunicato, suspenso, aut aperte oratorio. Intellige extra casum extremæ necessitatis, ut baptismum in necessitate, aut poenitentiam in articulo mortis. A Ministro vero Catholico, vel tolerato cum justa causa licitum est & petere, & accipere; sine causa vero non licet; charitas enim exigit, ut vitetur peccatum Ministri, quem moraliter creditur in peccato Sacramenta conferre, ut alibi diximus.

## CAPUT III.

## De suscipiente Sacramentum.

27. *Quest. 1.* Quid requiritur, ut valide suscipiatur Sacramentum? Præmitto 1. solum hominem viatorem esse capacem Sacramentorum, cum solus viator sit capax primæ gratiæ, & ejus augmenti. 2. baptismum præire necessario oportere, ut cetera Sacramenta valide suscipiantur; cum Sacramenta sint instituta pro sola Ecclesia, nec homines sint de corpore Ecclesiæ, nisi per baptismum. 3. infantes valide baptizari, etsi intentionem habere nequeant, supplente Ecclesia, ut definitum est a Trid. *Sess. 7. de Sacram. Can. 13.* Idem dicendum de perpetuo amentibus, ut docent omnes TT. cum S. Th. Validum est etiam Sacramentum Confirmationis, imo & Ordinis, collatum infantibus, aut perpetuo amentibus, ut constat ex bulla Bened. XIV. *inter sollicitas*, edita 4. Maji 1745. His positus...

28. R. In adultis ad valorem Sacramenti requiri intentionem illud suscipiendi. Sed non sufficit intentio neutralis, qualem Cajetanus adstruit, scilicet qua homo nec consentiat, nec dissentiat; quæ opinio & contraria est D. Thomæ, & ab omnibus merito improbat, nominatim vero a Bened. XIV. in *Instruct. de Bap.* ubi docet cum communi TT. sententia, non requiri in suscipiente Sacramenta intentionem actualem, aut virtualem, sed sufficere habitualement, id est, ali-

quando habitam, & non retractatam. Idque probat universalis Ecclesiæ praxis, quæ non reiterat Sacramenta Baptismi, & ordinis iis, qui ea suscipiuntur ex voluntate prius habita. Et hoc procedit in omnibus Sacramentis præter pœnitentiam, & Matrimonium, ut postea dicemus.

29. Unde validum est Sacramentum, collatum ebriis, vel dormientibus, vel amentibus, qui prius habuerunt intentionem recipiendi Sacramentum, ut docet ipse Bened. XIV. cum D. Th. Suario, & communi TT. contra paucos alios. Nam Innoc. III. inc. *major* postquam dixit, eos non suscipere Sacramentum, si contrariam habuerint voluntatem, addit: *secus si habuissent propositum baptizandi; tunc enim characterem operatio imprimi Sacramentalis.* Apposite tamen animadvertit Suarez illicitum esse iis conferre Sacramenta, nisi in probabili periculo mortis, vel quando impedimentum usus rationis censetur perpetuum; alias expectandum est tempus, in quo suscipiens fiat compos rationis.

30. *Quest. 2.* An aliquando sufficiat intentio interpretativa. R. affirm. circa suscipientes Sacramentum Extremæ Unctionis, ut docet communis sententia, & est consona Rituali Rom. de *Ext. Unct.* dicenti: *Hoc Sacramentum est præbendum sensibus destitutis, qui antea illud petierunt, seu verosimiliter petiissent.* Pariter conferendum esse Sacramentum Confirmationis usu loquelæ, & sensuum destituto, affirmant Lugo, Sporer, alique multi; quod & de Eucharistia asserunt quoque multi cum Sua-

rez, Sporerio, & aliis. Sacramentum autem Baptismi, & Ordinis invalide confertur habentibus solum intentionem interpretativam, licet nonnulli conseant ad suscipiendum baptismum sufficere intentionem implicitam, contentam in contritione, vel attritione, suscipientis. Sed hæc sententia solum habere locum potest in infideli, qui semper invincibiliter fidem ignoraverit. Ad Sacramentum autem Pœnitentiæ requiritur intentio actualis, vel saltem virtualis, cum actus pœnitentis sint materia illius. Ad Matrimonium nem requiritur virtualis saltem intentio, cum uterque conjux sit Minister Sacramenti in opinione magis recepta. Cum autem matrimonium fit per procuratorem, adest virtualis intentio, quia Procurator contrahit in virtute principalis.

31. *Quest. 3.* Quid opus est in suscipiente, ut cum fructu recipiat Sacramentum? R. 1. effectum, quem Sacramenta in suscipiente produciunt, esse duplicem. Primus est gratia sanctificans, seu habitualis: 2. gratiæ actuales, seu auxilia Divinæ gratiæ ad obtinendum finem proprium cujusque Sacramenti. Utraque gratia uberior est pro majori dispositione subjecti, cui confertur Sacramentum. Præter hos effectus communes omnibus Sacramentis, Baptismus, Confirmatio, Ordo imprimunt characterem, & ideo iterari non possunt. Poro ad suscipiendum characterem sufficit voluntas accipiendi Sacramenti in adultis, nam in infantibus nulla intentio requiritur.

32. R. 2. Ad effectum Baptismi, & Pœ-

nitentiæ requiritur præter voluntatem suscipiendi Sacramentum, actus fidei, & spei, saltem virtualis, ut omnes docent cum D. Th. item actus contritionis, vel attritionis, si baptizandus sit in gravi peccato ex Trid. Sess. 14. c. 1. Ad reliqua Sacramenta, quæ dicuntur *vivorum*, requiritur status gratiæ, eaque in mortali suscipere, est grave peccatum. Hinc qui gravis culpæ sibi est conscius, tenetur confiteri, antequam Eucaristiam suscipiat, ut præcipit Trid. Sess. 13. c. 7. Ad alia vero Sacramenta satis est, ut præcedat contritio, cum nullum extet confessionis præceptum. Ita communis TT. contra paucos alios.

33. *Quest. 4.* An Sacramenta *ficte* suscepta, remoto obice reviviscant? R. nullum esse Sacramentum, si *ficte* suscipiatur, ita ut deficiat intentio illud suscipiendi, ut nemo dubitat. Nomine ergo *fictionis* hic solum intelligitur defectus dispositionis necessariæ, ut licite, & cum fructu suscipiatur: scilicet an Sacramentum, remoto peccato per Pœnitentiam, suum effectum consequatur? De Baptismo conveniunt omnes, si Scotum excipias. Estque doctrina expressa SS. Augustini, & Thomæ. Nam Aug. lib. de bapt. contra Donat. c. 12. ait; *in illo, qui fictus (ad baptismum) accesserat, tunc valere incipiet, cum illa fictio in veraci confessione recesserit.* Angelicus autem 3. p. q. 96. ar. 10. ait: *impeditur autem quandoque per fictionem; unde oportet, quod remota ea per pœnitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum.* Idem docet D. Th. de Sa-

cramento Pœnitentiæ valido, sed informi.

34. *Quest. 5.* Quid sunt Sacramentalia, & quomodo gratiam conferunt? R. sunt ritus seu actus externi Religionis, ad colendum Deum accommodati. Tales vocari solent oratio Dominica, aqua benedicta, usus eulogiarum, confessio generalis, benedictio Episcopi, eleemosyna. Ad hæc etiam revocantur tussio pectoris, exorcismi, insufflationes sacræ, & similia, partim ab Apostolis, partim ab Ecclesia postea instituta, quæ vim habent remittendi peccata venialia, ut docent TT. omnes cum S. Thoma 3. p. q. 87. Utrum autem per Sacramentalia condonentur venialia *ex opere operato*; an solum, prout nobis excitant pios motus doloris, aut caritatis, non convenit inter DD. licet hæc ultima sententia communior sit, & D. Thomæ doctrinæ magis consona. Suarez, Lugo, & alii.

35. Quandoque Sacramentalia, operantur beneficia corporalia, v. g. sanitatem, fugam Dæmonis, & similia, sive id fiat per modum impetrationis, sive per specialem virtutem eis a Deo collatam. Inter Sacramentalia numerantur *Agnus Dei* ex cera a Papa benedicta, quos inaurare, aut pingere, vetitum esse sub excommunicatione, ait Azorius. Vendere autem eos ratione materiæ licitum est; erit autem simonia, vendere eos carius, quia sunt benedicti. Non licet uti candelis, & aqua benedicta ad usum profanum; cum sint res sacræ, & sancte sint tractandæ. Non erit tamen peccatum, quicquid dicat Gretserus, ossa agni benedicta, &

putamina ovorum canibus projicere, modo non sit contemptus rei sacræ. Missalia, Biblia sacra, sic ut & sacræ imagines non sunt adhibendæ ad usus profanos. Secus verò de aliis chartis, in quibus forte scripta sint nomina sacra. Ita-Gobat, & La-Croix.

## TRACTATUS II.

### DE BAPTISMO, ET CONFIRMATIONE.

#### CAPUT PRIMUM.

##### De Baptismi essentia, & conditionibus.

1. **B**aptismus græce ablutionem, sive immersionem in aqua significat. Triplex autem distingui solet; *fluminis* de quo postea; *fluminis*, & *sanguinis*. Baptismus *fluminis* est perfecta conversio ad Deum per contritionem, vel amorem Dei super omnia cum voto, vel desiderio suscipiendi baptismum aquæ. Supplet hujus vicem secundum Trident. *Sess. 14. cap. 4.* quoad remissionem culpæ, licet non imprimat characterem, nec tollat omnem reatum pœnæ. Dicitur autem *fluminis*, quia fit per Spiritus S. impulsus, qui dicitur *flumen*. Fides autem docet, per illum homines etiam salvos fieri ex Trid. *Sess. 6. c. 4.* dicente, neminem salvari posse sine *lavacro regenerationis, aut ejus voto.*

2. Jam vero baptismus *sanguinis* est mors,



cramento Pœnitentiæ valido, sed informi.

34. *Quest. 5.* Quid sunt Sacramentalia, & quomodo gratiam conferunt? R. sunt ritus seu actus externi Religionis, ad colendum Deum accommodati. Tales vocari solent oratio Dominica, aqua benedicta, usus eulogiarum, confessio generalis, benedictio Episcopi, eleemosyna. Ad hæc etiam revocantur tussio pectoris, exorcismi, insufflationes sacræ, & similia, partim ab Apostolis, partim ab Ecclesia postea instituta, quæ vim habent remittendi peccata venialia, ut docent TT. omnes cum S. Thoma 3. p. q. 87. Utrum autem per Sacramentalia condonentur venialia *ex opere operato*; an solum, prout nobis excitant pios motus doloris, aut caritatis, non convenit inter DD. licet hæc ultima sententia communior sit, & D. Thomæ doctrinæ magis consona. Suarez, Lugo, & alii.

35. Quandoque Sacramentalia, operantur beneficia corporalia, v. g. sanitatem, fugam Dæmonis, & similia, sive id fiat per modum impetrationis, sive per specialem virtutem eis a Deo collatam. Inter Sacramentalia numerantur *Agnus Dei* ex cera a Papa benedicta, quos inaurare, aut pingere, vetitum esse sub excommunicatione, ait Azorius. Vendere autem eos ratione materiæ licitum est; erit autem simonia, vendere eos carius, quia sunt benedicti. Non licet uti candelis, & aqua benedicta ad usum profanum; cum sint res sacræ, & sancte sint tractandæ. Non erit tamen peccatum, quicquid dicat Gretserus, ossa agni benedicta, &

putamina ovorum canibus projicere, modo non sit contemptus rei sacræ. Missalia, Biblia sacra, sic ut & Sacræ imagines non sunt adhibendæ ad usus profanos. Secus verò de aliis chartis, in quibus forte scripta sint nomina sacra. Ita-Gobat, & La-Croix.

## TRACTATUS II.

### DE BAPTISMO, ET CONFIRMATIONE.

#### CAPUT PRIMUM.

##### De Baptismi essentia, & conditionibus.

1. **B**aptismus græce ablutionem, sive immersionem in aqua significat. Triplex autem distingui solet; *fluminis* de quo postea; *fluminis*, & *sanguinis*. Baptismus *fluminis* est perfecta conversio ad Deum per contritionem, vel amorem Dei super omnia cum voto, vel desiderio suscipiendi baptismum aquæ. Supplet hujus vicem secundum Trident. *Sess. 14. cap. 4.* quoad remissionem culpæ, licet non imprimat characterem, nec tollat omnem reatum pœnæ. Dicitur autem *fluminis*, quia fit per Spiritus S. impulsus, qui dicitur *flumen*. Fides autem docet, per illum homines etiam salvos fieri ex Trid. *Sess. 6. c. 4.* dicente, neminem salvari posse sine *lavacro regenerationis, aut ejus voto.*

2. Jam vero baptismus *sanguinis* est mors,

tolerata pro Christi fide, vel pro alia virtute Christiana, ut docet *S. Th. 2. 2. q. 124. a. 5.* In multis autem comparatur cum baptismo, quia ad instar illius remittit culpam, & poenam, etsi non ita stricte ex opere operato, ut Sacramentum, sed ex quodam privilegio ratione imitationis passionis Christi. Ideo Martyrium prodest etiam infantibus, & Ecclesia colit ut veros Martyres SS. Innocentes; contrarium autem docere, inquit Suarez, saltem est temerarium. In adultis autem requiritur acceptio martyrii, saltem habitualiter ex motivo supernaturali, contra ac pauci sentiunt, qui nullam requirunt acceptationem. *Effusio vero sanguinis, inquit D. Th. 3. p. q. 66. a. 12. non habet rationem baptismi, si sit sine caritate.* Utrum autem sufficiat attritio ad remissionem culpæ per martyrium, an contrito sit quoque necessaria, disputant, TT.

3. Baptismus fluminis, qui magis proprie baptismus dicitur, est: *Sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum ad spiritualem regenerationem, per ablutionem corporis externam sub præscripta forma verborum.* Hinc materia remota baptismi est aqua naturalis, sive elementaris ex 1. Joan. 3. *nisi qui renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest introire in regnum celorum.* Materia proxima est ablutio corporis per aquam naturalem. Forma baptismi sunt illa verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. A* quibus non differt quoad substantiam illa Græcorum forma; *baptizetur servus Christi in nomine Pa-*

tris, &c. Damnata autem fuit ab Alex. VIII. propositio dicens: *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: in nomine Patris &c. prætermissis illis: Ego te baptizo, &c.* Hactenus in universum de materia, & forma baptismi: de illis nonnulla speciatim scire, oportet.

4. *Quest. 1.* Quænam est materia certe valida, quænam dubia baptismi? R. loquendo de materia remota, omnis aqua naturalis, quæ proprie speciem aquæ retineat, sive fontium sit, sive fluminum, sive putei, sive cisternæ, sive calida, sive frigida certo valida est. Item aqua resoluta ex nive, vel grandine. Aqua item sulphurea, sive *materialis*, ut loquuntur D. Thoma, S. Antonius, & alii. Aqua defluens nimbo tempore ex arborum foliis, parietibus, &c. etiam si turbida sit, vel mixta cum alia materia, modo aqua sit prædominans. Denique ros, & vapor densatus, collectus v. g. ex olla, ut notat La-Croix, & adhæret Concina; non vero succus expressus ex floribus, herbis, & radicibus, ut monet S. Th. Multo minus lac, vinum, sanguis, urina & similia, quæ communiter non censentur aqua naturalis. Textum autem Stephani II. ubi videtur approbare baptismum in vino collatum, supposititium censent Gonet, Tournely, & alii.

5. R. 2. Materia dubia baptismi est 1. jus, & lixivium, quamvis multi cum S. Th. q. 66. ar. 4. dicant esse materiam aptam baptismi, modo non habeant plus de aliena substantia, quam de aqua. 2. aqua ex sale soluta. 3. Cere-

visa tenuis, & tenue atramentum. Idem dicunt multi de aqua per alchimiā expressa ex radicibus, herbis, & floribus, quæ saltem est materia dubia baptismi; etsi alii id negent cum D. Th. eo quod sit aqua artificialis, & non naturalis. De saliva autem, sudore, & lacrymis dicendum, esse materiam omnino ineptam, ut constat ex declaratione Innoc. III. quoad salivam, & ex jure Can. c. in quadam de celeb. Misæ quoad phlegma, accepto hoc nomine tam pro sudore quam pro lacrymis. Inter dubiam autem materiam numeratur aqua fluens ex vite, aliisque arboribus, atque idem aliqui dicunt de glacie, & nive non soluta, quæ in necessitate adhiberi possunt sub conditione.

6. Atque hic sedulo notandum, in extrema necessitate, si nequit haberi materia certa, adhibendam esse dubiam sub conditione. Quod verum est, etiam si opinio pro valore Sacramenti non sit nisi tenuiter probabilis, ut monent Holzman, Antoine, & alii; quia conditio, sub qua ministratur Sacramentum, tollit injuriam Sacramenti, & aliunde necessitas est justa causa ita ministrandi, quæ obligat sub gravi Ministrum ex præcepto charitatis. Aqua ex præcepto Ecclesiæ debet esse benedicta, adeoque extra necessitatem uti aqua non consecrata mortale est ob Sacramenti reverentiam. Excusant tamen multi a mortali baptizantem privatim sine aqua benedicta.

7. *Quæst. 2.* Quænam requiritur ablutio corporis ad valorem baptismi? R. sufficit quæ-

vis ablutio corporis, sive fiat per immersionem, sive per aspersionem, vel per infusionem; servanda tamen est praxis uniuscujusque Ecclesiæ. Et quamvis trina immersio, vel infusio necessaria non sit, ut constat ex Tolet. Concilio, ubi tamen hæc viget consuetudo, graviter peccaret, qui aliter baptizaret, ut docet D. Th. q. 56. art. 8. Aliquando in Ecclesia una tantum immersio fuit adhibita. Hodie apud nos trina infusio est in usu, atque ita præscribitur in Rituali Rom. & quidem cum gravis sit materia, sub gravi ritu obligat. Curandum autem est, ut forma non perficiatur, antequam trina fiat ablutio; nec ter, sed semel tantum verba sunt pronuntianda.

8. Quænam autem corporis pars sit abluenda, ut valeat baptismus, controvertitur à DD. Illud certum est, valere baptismum in toto corpore, aut saltem in capite collatum, tanquam parte principali corporis. Et quamvis communis opinio doceat valere etiam si conferatur in scapulis, humeris, aut alia corporis parte principali, non licet aliter baptizare, quam in capite extra necessitatem. Imo si quis in necessitate caput non ablueret, deberet iterare baptismum sub conditione ex D. Th. loco nuper citato, licet nonnulli contradicant. Qui absque dubio iterandus est, si ablutio fiat in aliqua ex partibus minus præcipuis, puta, digito, pede, capillis cum dubius sit saltem baptismus in illis collatus. Invalidus est autem, si aqua tantum vestes contingat, corpori contiguas.

9. *Quæst. 3.* An valeat baptismus, si quis projiciat infantem in puteum, vel flumen, & formam pronuntiet? R. Negant Scotus, & alii; affirmant Suarez, Layman, & alii multi. Certum autem est, non licere ita infantem projicere, etiam si mox absque baptismo sit decessurus, cum nunquam liceat directe innocentem occidere. Et ob eandem rationem non licet incidere ventrem matris proxime morture, ut ejus infans baptismum recipiat, ut expresse docet D. Th. qui in 3. p. qu. 68. art. 11. ait: *non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum; si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur.* Addunt aliqui, aperiendum esse viventis matris uterum, si judicio Chirurgi possit incisio fieri absque periculo mortis Matris.

10. *Quæst. 4.* An puer in periculo mortis possit baptizari in utero matris? R. 1. non valere baptismum, si conferatur puero, abluendo corpus matris. Ita omnes; quia sic infans in se non ablueretur, quod ad baptismum est omnino necesse. 2. in casu veræ necessitatis non esse expectandum, ut puer ex utero omnino egrediatur, sed in quacunque parte corporis manifestetur, esse abluendum, quamvis postea natus puer iterum sub conditione sit baptizandus, si in aliqua minus principali parte sit ablutus. 3. nondum esse ab Ecclesia decisum, an valeat baptismus, etsi nulla pueri pars in lucem prodierit, si per instrumentum puer aqua tingi possit. Unde

in re dubia Benedictus XIV. post explicatas varias hac de re opiniones, earumque fundamenta lib. 7. de Syn. c. 5. concludit: *ad Parochos pertinere obstetrices instruere, prout cum casus evenerit, in quo infantem, nulla adhuc sui parte editam, mox decessurum prudenter timeant, illum baptizent sub conditione, sub qua pariter erit iterum baptizandus, si periculum evadat, & foras prodeat.*

11. Notat tamen ad valorem baptismi non sufficere quancumque aquæ contactum, sed requiri successivum per applicationem aquæ cum motu locali circa partes corporis; vas enim licet aqua plenum non dicitur abluï, nisi ei aqua per motum applicetur. Unde extra necessitatem non licet intingere puerum per modum aquæ lustralis: neque sufficit una, vel altera gutta ipsum aspergere. Multo minus valet baptismus, si quis labatur in aquam, vel ab alio protrudatur, & alter formam pronuntiet. Idem enim debet esse Minister, qui abluat, & pronuntiet verba formæ constituentia. Si quis autem digitis, vel manu madefacta puerum abluat, valet baptismus juxta multos cum Scoto; sed Tournelyus dubitat.

12. *Quæst. 5.* Quænam est forma baptismi certa, quænam dubia? R. 1. forma necessaria ex Florentino, & Rit. R. est hæc; *ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritus S. Amen.* Quibus verbis significatur 1. persona baptizantis. 2. persona baptizati. 3. actio baptizandi. 4. unitas Divinæ naturæ, & Personarum Trinitas, idque explicite proprio

uniuscujusque nomine. Hinc valide baptizat, qui pro *baptizo* dicat *abluo*, *mergo*, cet. idem exprimentia. Pariter qui pro *Te* utatur communi nomine, vel proprio; vel reticeat personam baptizantis, cum Ecclesia in Conc. Flor. approbarit Græcorum formam: *baptizetur servus Christi* cet. quæ solum implicite baptizantem continet. Nec verbum *amen* pertinet ad essentiam baptismi; quia sine illo omnia per formam significata salvantur.

13. R. 2. Non valet hæc forma: *baptizo te in nominibus Patris, & Filii, &c.* quia multiplicatur natura, seu essentia Divina. Nec valet sub hac formula: *in Patre, & filio; vel cum Patre, & filio; vel in nomine Patris per filium, & similibus* significantibus diversitatem naturæ, aut ejus unitatem non satis explicantibus. Imo nisi explicentur singillatim personæ, adeoque invalida est forma: *ego te baptizo in nomine Dei, vel SS. Trinitatis, vel in nomine Dei unius, & Trini, vel omissa aliqua persona Divina.* Quo pacto autem intelligendum sit illud Act. c. 8. *in nomine Christi baptizabantur viri*, disputant TT. & interpretes. Scotus, & alii volunt, Apostolos valide baptizasse in nomine Christi ex speciali dispensatione. Alii probabilius intelligunt illa verba *in nomine Christi*: in virtute Christi, sive in baptismo Christi, ad differentiam baptismi Joannis, putantque ab Apostolis baptizatum fuisse sub eadem forma, qua nos utimur. Quicquid de hac controversia fuerit, hodie certum est baptismum esse invalidum, nisi confera-

tur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ut declaravit Pelagius Papa in c. *Si revera de Cons. dist. 4.* Nec obstat textus Nicolai Papæ ad Bulgaros respondentis validum esse baptismum in nomine J. Christi tantummodo collatum. Nicolaus enim solum fuit interrogatus, an valeret baptismus a Judæo collatus, responditque affirmando, atque obiter de forma baptismi Ambrosii mentem exposuit, nihil omnino ex cathedra definiendo.

14. R. 3. dubia est forma baptismi: *in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus S. item in nomine genitoris, & geniti, & ab utroque procedentis.* Quod si proferatur: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. & Mariæ Virginis*, attendenda est intentio Ministri, qui si Mariam voluit exprimere in eodem sensu, quo Personas Trinitatis, vere non baptizavit, cum ille sensus contrarius sit institutioni Christi, valet autem baptismus, si solum ipsam vocare voluit ut adjutricem. In universum vero videndum est, an mutatio fuerit accidentalis, an substantialis; prima enim non reddit baptismum invalidum, reddit vero secunda. Mutatio autem erit substantialis, cum variatur substantia sensus à Christo Domino intenti; accidentalis autem erit, cum manente eodem sensu solum variantur verba, quæ non vitiant baptismum, modo in Ministro sit animus faciendi id, quod intendit Ecclesia. Nemini autem licet aliis verbis, uti, quam in Rituali præscriptis; possunt autem proferri in lingua vernacula, & sæpe ita proferri oportet a mulieribus ob errandi periculum, si latine loquantur.

## CAPUT II.

## De Ministro Baptismi.

15. *Quæst. 1.* Quisnam sit Minister baptismi? R. omnis homo ratione utens, sive sit vir, sive femina, sive fidelis, sive infidelis valide baptizat. Sic definitum est in decreto fidei Eugenii IV. & in Conc. IV. Lateran. c. firmiter de Summ. Trin. ubi dicitur: *firmiter baptismum tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiæ a quocumque rite collatum proficere ad salutem.* Imo, urgente necessitate, quilibet potest, ac debet baptizare, ut proximi æternæ salutis subveniat. Extra necessitatem vero nemini licet baptizare, nisi Ministro ordinario, qualis est Episcopus, Parochus, Sacerdos, & Diaconus. Peccant autem Diaconus, & Sacerdos, qui absque facultate Parochi, vel Episcopi baptismum conferunt. Nec vero Episcopus, aut Parochus licite possunt ministrare baptismum in aliena Diœcesi, vel parochia, nisi cum tacita, vel expressa proprii Sacerdotis facultate, quia violarent jus Episcopi, vel Parochi.

16. *Quæst. 2.* Quis ordo servandus est inter baptismi Ministros? R. extra urgentem necessitatem Parochus primo loco baptizare debet; eo deficiente quilibet alius Sacerdos; Sacerdoti succedit Diaconus, Diacono Subdiaconus, & huic alii Clerici in minoribus ordinati, suo quisque ordine, & gradu. Mulieribus præferendi sunt viri, infidelibus fideles. Aliquando tamen oportet hunc ordinem non servare, v. g. si mulier magis perita sit, quam vir, aut pudoris gratia oporteat femi-

nam præferri. Hinc Rit. Rom. præscribit; *curare debeat Parochus, ut fideles, præsertim obstetrices rectum baptizandi ritum probe teneant, & servant.* An autem graviter peccet laicus, qui in necessitate baptizet, dum Sacerdos adest? negant aliqui apud Salmant., alii tamen plures affirmant cum Suarez, quia vere tunc usurpat jus Sacerdotis, & injuriam facit Sacramento.

17. *Quæst. 3.* An duo simul baptizare possint? R. 1. invalidus est baptismus, si unus abluat, alter verba pronuntiet; quia formam adhibet falsam, dicens, se baptizare, cum re vera non abluat. Ita omnes cum S. Th. 3. p. q. 67. Sunt tamen, qui putent, posse id fieri sub conditione in gravi necessitate, ut v. g. si mutus ablueret cæcus autem formam pronuntiaret. Ita Cajet. Suarez, alii; sed eventus hic erit certe rarissimus, & in eo, periculo elapso, debet infans iterum sub conditione baptizari.

18. *Quæst. 4.* Quo tempore infantibus baptismus sit conferendus? R. graviter peccare parentes, qui per multum temporis puerorum baptismum differunt. Est communis T. T. doctrina ex pluribus Conciliis Provincialibus, quæ decernunt pueros quam primum esse baptizandos. Et Rit. Rom. præscribit: *Parochus hortetur, ne pueris Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis.* Quale autem spatium temporis nimium censeatur, non convenit inter DD. Jueninus gravem dilationem censet, quæ unum, vel alterum diem excedat; sed hæc opinio plus justo severa est. Alii cum Suarez non esse gravem putant, si mensem non attingat. Commu-

nior tamen sententia, & probabilior cum Soto, Roncaglia, aliisque tenet, nimium non differri baptismum, modo intra 10 dies, vel undecim conferatur.

19. *Quest. 5.* An possint pueri baptizari sine solemnitatibus ad Ecclesia præscriptis? R. neg. nisi gravis causa excuset, cum Ecclesia ob honorem Sacramento debitum solennes ceremonias graviter præscribat. Quod si urgente necessitate, solemnitates omittantur debent postea rite suppleri. Nec possunt domi privatim baptizari, nisi liberi Regum, vel Principum ex Clem. unica de Bapt. Hinc Laymanus putat graviter peccare Magnates, qui extra necessitatem filios suos faciunt privatim baptizari, ut deinde cum pompa ceremoniæ in Ecclesia perticiantur. Ego tamen existimo hanc consuetudinem, ubi jamdiu sit introducta, non esse, facile damnandam. *La-Croix de bap. n. 337.*

### CAPUT III.

#### De suscipiente Baptismum.

20. *Quest. 1.* Quidnam est subjectum capax baptismi? R. omnis, & solus homo vivens, sive infans sit, sive adultus, modo nondum sit baptizatus. Perpetuo amentes, qui nunquam usi sunt ratione, valide baptizantur, quia censentur ejusdem conditionis, cum infantibus. Quod si aliquando usum rationis habuere, non valet baptismus, nisi eum ante amentiam petiverint. Nec vero validus est baptismus iteratus, nisi sub conditione, & justa de causa. Rebaptizantes autem

fiunt irregulares, & in jure civili subjacent pœnæ mortis. Quam tamen pœnam non incurruat rebaptizantes sub conditione, etiam sine causa. An autem isti evadant irregulares? Disputant DD. qui certe non negant eos gravis sacrilegii reos esse.

21. Nondum perfecte natus bantizandus est, si sit periculum; modo pars aliqua possit ablui. Imo ut probabiliter antea diximus, in imminenti periculo, potest infans sub conditione baptizari in utero matris, si per syphonem aqua tingi possit. Sunt etiam sub conditione baptizandi foetus abortivi, in quibus aliquod signum vitæ sit, licet dubium, & æquivocum, quicquid contra sentiat Natalis Alexander. Præsertim cum hodie recepta sit opinio, foetum jam tum ab initio sui conceptus, vel saltem post dies aliquot, anima informari. Sed non debet baptizari massa carnea, quæ nulla constat organorum dispositione, ut notat Tournelyus, cum a Rit. Ramano requiratur ad baptismum in parvulo, *ut indicet aliquem motum vitalem.*

22. *Quest. 2.* An sit validus baptismus uni a pluribus collatus, & an plures simul ab eodem possint baptizari? R. 1. si plures simul abluant, & formam pronuntient, erit validus baptismus, modo quisque intendat baptismum conferre, independenter ab alio; secus vero, si unusquisque baptizare intendat in consortio alterius, tanquam causa partialis, quia forma non redderet sensum verum. Ita S. Th. Suarez, & alii communiter, qui notant baptizantes priori modo graviter peccare contra ritum Ecclesiæ. R. 2. valide, sed ex-

tra necessitatem illicite plures ab eodem baptizantur sub hanc forma: *ego vos baptizo in nomine*, cet. Qua ratione solum uti licet imminente mortis periculo, cum tempus non suppetit singulo seorsim baptizandi.

Notandum est etiam validum esse baptismum puero collatum, quem forte minister putat esse puellam, vel e contrario; quia ipsius mens erat presentem baptizare.

23. *Quest. 3.* An. & quando liceat monstris baptismum ministrare? R. si capite, & pectore speciem hominis exhibeat monstrum, licet alia membra ferina sint, est absolute baptizandum; secus vero si pectus, & caput sit ferinum. Quod si caput tantum ferinum sit, certa humana, differendum est, donec melius dignoscatur, nisi mortis sit periculum, in quo baptizari debet sub conditione. Notat tamen Tournelyus cum S. Th. baptismum esse sub conditione ministrandum, cum dubitatur homine sit, an bellua, si prodierit ex congressu hominis cum foemina, vel ex illius concubitu cum bestia; non ita si ex foemina, & bruto, cum non descendat ex Adamo, utpote non conceptum ex virili semine. Quod si membra sint geminata, ut dubitetur, unane, an plures sint personae, inquit Rit. R. non baptizentur, donec id discernatur. Discerni autem potest, si habeat unum, vel plura capita, vel pectora; tunc enim totidem erunt corda, & animae, & eocasu singuli seorsim sunt baptizandi. Quando vero non est certum Ministro esse duas personas, vel quia duo capita, aut duo pectora non habet bene distincta tunc debet, primum puer

unus absolute baptizari, & postea alter sub conditione, *si non es baptizatus* cet.

24. *Quest. 4.* An, & quando baptizandi sit filii infidelium? R. 1. baptismum illis collatum, etiam invitis parentibus, validum esse. Ita DD. communiter cum S. Antonino, & Augustino, qui ep. 98. rationem affert: *Non enim scriptum est, nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, sed nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. 2.* quod si parentes fideles a fide deficiant, eorum proles, ipsis invitis, possunt baptizari. Sicut enim Ecclesiae potestas est coercendi parentes ad fidem observandam, ita ad separandos ab eis filios; id quod locum habet, si unus tantum parentum fuerit antea fidelis. Quod si proles mansura sit apud parentes haereticos, non posse baptizari ob periculum perversionis, censent Suarez, Salmant., Concina, alii. Verumtamen alii multi affirmant; tum quia perversio non est adeo certa, cum plures in infantia decendant; tum quia idem urget periculum, si proles non baptizetur, baptizatur enim ab haereticis, a quibus verum baptismum confertur. Secus vero dicendum, si baptismus invalide conferatur, ut conferri solet apud Anabaptistas, & apud Lutheranos quosdam, & Calvinianos, quia istorum proles cum filiis infidelium comparantur.

25. R. 3. filii infidelium rationis compotes, si baptismum petant, possunt, ac debent baptizari, etiam reluctantibus parentibus. Imo & baptizati debent segregari a parentibus, ut a periculo perversionis avertantur. Ita TT. com-



munitur; & novissime. Bened. XIV. ex Conc. Tolet. relato c. de Judæis. Qui docet cum Lugó, in dubio rationis puerum, qui septennium attingit, posse baptizari, cum pro rationis usu stet præsumptio: si vero nondum septennium implevit, differendum esse baptismum, donec constet de perfecto ipsius rationis usu; monet tamen sapienter, ipsum interea segregandum esse a parentibus, & in tuto loco custodiendum.

26. R. 4. posse, ac debere baptizari prolem, si versetur in proximo periculo mortis. Ita DD. laudati cum Bened. XIV. qui in hanc rem affert duo decreta S. Cong. R. 5. filium qui positus est extra potestatem parentum infidelium, posse baptizari, modo non sit prudens timor, quod ad eos postea revertatur. Idemque dicendum est cum laudato Bened. XIV. de filiis a parentibus infidelibus expositis, vel derelictis, cum eo ipso liberi sint a patria postestate ex c. 1. de infant. & lang. expos. nec illis reddendi sunt, etiamsi postea petantur. Quod alii jure extendunt ad liberos infidelium perpetuo amentes, atque etiam ad eos, qui in bello justo capti sunt, aut nati sunt ex mancipiis Christianorum, cum in utrosque Domini potestatem habeant.

27. Quod si unus parentum consentiat, altero reluctantante, potest baptizari. Imo si mortuo Patre, avus Paternus consentiat, matre reluctantante, ut declaravit Greg. XIII. Quid si uterque Parens repugnet? R. si filius manere debeat in potestate parentum, non licet eum baptizare ob certum periculum perversionis. Ita de-

crevit S. C. S. Off. an. 1703. Et licet multi cum Scoto censeant ipsos saltem auctoritate publica posse subtrahi a parentum potestate, ut baptizentur; hæc tamen sententia vix potest in praxim deduci ob gravia incommoda, quæ inde orientur. Atque hinc D. Th. ait Ecclesiam nunquam consuevisse baptismum conferre filiis infidelium, invitis parentibus. Imo pro Hebræorum filiis extat Const. Julii III. imponens, suspensionem; & pœnam mille ducatorum filios Hebræorum baptizantibus contra voluntatem Parentum. Idque confirmavit S. Cong. C. 16. Julii 1639. statuens, nullo modo baptizandos esse liberos Hebræorum sine ipsorum consensu, donec legitimam ætatem attigerint. Quod si Parentes Judæi filium offerant baptizandum, ut a morbo liberetur, baptizari debet ex dec. S. C. Off. 24. Sept. 1699. Sed rite baptizatus avelli debet a parentibus, ut christiane instituat.

Vide alia de hoc argumento apud Bened. XIV. in ep. ad Archiepiscopum Tarseensem, tum in egregio Opere de Syn. Diœces. lib. VII. c. 6.

28. Quest. 5. An baptismus iterari possit? R. 1. baptismum valide semel susceptum non posse iterari. Constat ex ep. Paoli ad Ephes. 4. Unus Deus, una fides, unum baptisma. 2. ex perpetua praxi, & traditione Ecclesiæ: 3. ex Conciliis Florent. & Trid. Sess. 7. Can. 11. Unde baptismi iteratio grave sacrilegium est tum ex parte ministrantis, tum ex parte illius, qui scienter recipit ex c. 108. de Consecr. R. 2. baptismus debet sub conditione iterari, cum prudenter dubitatur utrum valide sit collatus. Cons-

tat ex c. 2. de bapt. ubi Alex. III. ait: *de quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum es batizatus, ego te baptizo, cet.*

29. Id quod servandum est, sive dubium si positivum, sive negativum ex c. *parvulos de consec. dist. 4.* cum in utroque casu æque periclitetur salus hominis ob defectum baptismi. Pariter si constet de baptismo, sed prudens sit dubitatio de legitima materia, vel forma, vel intentione, *ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monstratur iteratum, quod non certis iudiciis ostenditur rite perractum*, ut ait S. Greg. lib. 12. ep. 34. Monet autem Bened. XIV. lib. VII. c. 6. de Syn. non esse temere adhibendum baptismum sub conditione ob merum scrupulum, vel temerariam suspensionem, sed insuper requiri, ut prudens subsit, & probabilis ratio dubitandi, qualem exigit Catechismus Roman. p. 2. de Sacram. Bapt. n. 59.

30. Ex qua doctrina colligitur 1. non esse baptizandum iterum infantem, de cuius baptismo sit saltem unus testis ocularis, fidedignus, ut docet ipse Bened. in Notif. 8. n. 8. Idque etiam si testis sit femina, modo sit exceptione major, nec sint alii testes contrarium testantes. 2. esse sub conditione baptizandos infantes expositos, qui reperiuntur sine schedula de baptismo. Idemque sentiendum cum Bened. XIV. de infantibus, licet appensum collo scriptum habeant, modo non posit haberi certitudo moralis de baptimo rite collato. Ita decretum est in Conciliis Cameracensi, Narbonensi, Aquensi,

Tolosano, & Mediolanensi, atque etiam declaravit Conc. S. Conc. 15. Jan. 1724. excipiens schedulas, in quibus esset moralis certitudo. Colligitur 3. pueros domi ab obstetricibus baptizatos non esse denuo baptizandos, nisi adsit probabilis suspicio erroris in collato baptismo. Ita censuit S. Congreg. teste docto Zacharia, & est conformis Catechismo Rom. supra laudato, & instructioni S. Caroli de Baptismo. 4. nec esse rebaptizandos ex S. Cong. declaratione pueros ab hæreticis baptizatos, nisi in locis, ubi Pseudo Ministri adhibere non solent conditiones ab Ecclesia præscriptas.

## CAPUT IV.

De effectibus Baptismi, & ritibus ab Ecclesia præscriptis.

31. *Quest. 1.* Quinam sint effectus Baptismi? R. 1. condonatur per baptismum originale peccatum, atque etiam actuale ante baptismum commissum, ut constat ex Trid. Sess. 5. § 5. & Catechismo Rom. n. 42. 2. condonatur etiam poena pro peccatis debita, ut constat ex eodem Trid. 3. infunditur Divina gratia, qua filii Dei, & regni cœlestis hæredes efficitur. 4. imprimitur character, quod signum est in anima inhærens & nunquam deletur. 5. denique baptizatus fit Ecclesie membrum, ejusque auctoritati subijcitur. Nota tamen in adulto, ut cum fructu baptismum recipiat, præter intentionem requirit fidem, & notitiam mysteriorum nostræ fidei, &

tat ex c. 2. de bapt. ubi Alex. III. ait: *de quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum es batizatus, ego te baptizo, cet.*

29. Id quod servandum est, sive dubium si positivum, sive negativum ex c. *parvulos de consec. dist. 4.* cum in utroque casu æque periclitetur salus hominis ob defectum baptismi. Pariter si constet de baptismo, sed prudens sit dubitatio de legitima materia, vel forma, vel intentione, *ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monstratur iteratum, quod non certis iudiciis ostenditur rite perractum*, ut ait S. Greg. lib. 12. ep. 34. Monet autem Bened. XIV. lib. VII. c. 6. de Syn. non esse temere adhibendum baptismum sub conditione ob merum scrupulum, vel temerariam suspensionem, sed insuper requiri, ut prudens subsit, & probabilis ratio dubitandi, qualem exigit Catechismus Roman. p. 2. de Sacram. Bapt. n. 59.

30. Ex qua doctrina colligitur 1. non esse baptizandum iterum infantem, de cuius baptismo sit saltem unus testis ocularis, fidedignus, ut docet ipse Bened. in Notif. 8. n. 8. Idque etiam si testis sit femina, modo sit exceptione major, nec sint alii testes contrarium testantes. 2. esse sub conditione baptizandos infantes expositos, qui reperiuntur sine schedula de baptismo. Idemque sentiendum cum Bened. XIV. de infantibus, licet appensum collo scriptum habeant, modo non posit haberi certitudo moralis de baptimo rite collato. Ita decretum est in Conciliis Cameracensi, Narbonensi, Aquensi,

Tolosano, & Mediolanensi, atque etiam declaravit Conc. S. Conc. 15. Jan. 1724. excipiens schedulas, in quibus esset moralis certitudo. Colligitur. 3. pueros domi ab obstetricibus baptizatos non esse denuo baptizandos, nisi adsit probabilis suspicio erroris in collato baptismo. Ita censuit S. Congreg. teste docto Zacharia, & est conformis Catechismo Rom. supra laudato, & instructioni S. Caroli de Baptismo. 4. nec esse rebaptizandos ex S. Cong. declaratione pueros ab hæreticis baptizatos, nisi in locis, ubi Pseudo Ministri adhibere non solent conditiones ab Ecclesia præscriptas.

## CAPUT IV.

De effectibus Baptismi, & ritibus ab Ecclesia præscriptis.

31. *Quest. 1.* Quinam sint effectus Baptismi? R. 1. condonatur per baptismum originale peccatum, atque etiam actuale ante baptismum commissum, ut constat ex Trid. Sess. 5. § 5. & Catechismo Rom. n. 42. 2. condonatur etiam poena pro peccatis debita, ut constat ex eodem Trid. 3. infunditur Divina gratia, qua filii Dei, & regni cœlestis hæredes efficitur. 4. imprimitur character, quod signum est in anima inhærens & nunquam deletur. 5. denique baptizatus fit Ecclesie membrum, ejusque auctoritati subijcitur. Notâ tamen in adulto, ut cum fructu baptismum recipiat, præter intentionem requirit fidem, & notitiam mysteriorum nostræ fidei, &

poenitentiam, hoc est contritionem de peccatis, sive perfectam, ut volunt aliqui, sive imperfectam, ut aliis placet probabilius cum S. Th. in 4. dist. 6. q. 1. a. 3. ab 5.

32. *Quæst.* 2. Quænam sunt cæremoniæ præcipuæ baptismi? R. 1. in unaquaque Ecclesia servandi sunt ritus, qui in ea obtinuerunt, nec eos mutare licet pro libito. In universum tamen servanda sunt sequentia extra urgentem necessitatem. 1. Baptismus conferendus est in aqua consecrata. 2. non potest solemniter conferri, nisi in Ecclesia, exceptis filiis Principum, & Magnatum. 3. baptizandum est cum unctione chris-matis, & quidem illius anni, si haberi potest. 4. adhibendæ sunt insufflationes, exorcismi, saliva, sal, alique sacri ritus, qui ab Apostolis merito creduntur originem trahere. 5. necessarii sunt ex more Patrini, qui baptizatum de fonte suscipiant 6. baptizato nomen alicujus Sancti est imponendum. Denique Parochus tenetur in libro notare nomen baptizati, & Parentum ejus, diem, & horam nativitatis & Patrilios. Item an baptismus sub conditione, vel sine cæremoniis sit collatus; an & ubi infans expositus sit repertus, cet.

33. R. 2. Cum sine cæremoniis collatus est baptismus ex gravi aliqua causa, supplendæ sunt postea cæremoniæ, cum primum opportune fieri possit. Omittere autem sine gravi causa ritus ab Ecclesia præscriptos, grave peccatum est, ut inter omnes convenit. Quod si collatum solemniter baptismum postea deprehendatur esse invalidum, alii volunt iterandas esse

cæremonias, alii id negant; quia dum suppletur baptismus, cum eo cæremoniæ prius adhibitæ moraliter conjungantur. Utraque opinio est probabilis, sed prima tutior est, & in praxi consulenda, nisi obstet periculum scandali, vel infamiæ. Ino in hæreticis vaide, sed absque cæremoniis baptizatis moris non est ritus solemnus supplere, ne videamus baptismum hæreticorum improbare, inquit Laymanus c. 8. de bapt. n. 10.

34. *Quæst.* 3. Quodnam est officium Patrini in bapismo? Nota 1. in bapismo solemnî ex perpetua Ecclesiæ traditione adhiberi debet unus altem, qui puerum de fonte suscipiat, sive sit vir, sive fœmina, nec possunt esse plures, quam duo, scilicet unus vir, & una fœmina ex Trid. Sess. 24. c. 5. In privato autem bapismo non est opus suscipiente, seu patrino. Nota 2. ut quis valide sit patrinus, debet saltem septennium complese. 2. debet esse baptizatus. 3. requiritur ut sit a parentibus, vel a Parocho ad id muneris designatus, nec licet Parocho mutare designatum a parentibus; quamvis valide mutaret, ut docet multi contra alios. 4. ut in ipso bapismo baptizatum de fonte suscipiat, vel de manu baptizantis, cum intentione, & cognitione muneris, quod præstat. His præmissis.

35. R. 1. Is qui puerum de fonte suscipit, ait D. Th. 3. p. q. 67. a. 8. assumit sibi officium Pædagogi; & ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret, sicut eo tempore, & loco, quo baptizati inter infideles nutriantur. Sed ubi nutriantur inter catholicos Christianos, satis

possunt ab hac cura excusari, præsumendo, quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium tenerentur secundum modum salutis spiritualium filiorum curam impendere. Hæc Angelicus ex cap. Vos ante de Consecr. 4. & ex variis Conciliis, quibus consonat Rituale Romanum. R. 3. patrini vicegerunt Parentum spiritualium; contrahunt enim cognationem spiritualem cum parentibus baptizati, quæ est impedimentum matrimonii. Non contrahitur tamen, si id fiat in casu necessitatis. Hinc ab officio Patrini excluduntur Patres, & mater baptizati, publice criminosi, infames, excommunicati, hæretici, nescientes doctrinam Christianam. Item prohibentur id muneri suscipere Abbas, & Monachi ex c. non licet, quo nomine probabilius veniunt etiam si alii Regulares, cum Rit. Rom. id veteri facere Regulares omnes, etiam Sanctimonialès. Ubi tamen contraria viget consuetudo, possunt admitti saltem cum Prælati facultate.

36. *Quest. 4.* An duo conjuges possint licite suscipere alienam prolem? Negat Suarez ex Constit. Urbani II. id prohibente. Affirmant tamen alii communiter cum D. Th. in 4. dist. 42. a. 3. q. 2. ad 4. dicente: nihil prohibet, quin vir, & uxor simul aliquem de sacro fonte levarent. Quæ doctrina consuetudine in multis locis inducta confirmatur. Notandum est autem, nec in baptismo privatim puero collato ob necessitatem licere parentibus Patrinos agere propriæ sobolis; tunc enim nulla est patrini necessitas. Quod si id temere faciant in privato baptismo, nullam

contrahunt cognationem spiritualem; si tamen in solemnibus faciant, cognationem ab ipsis contrahi nonnulli censent, sed alii multi contradicunt. Cum vero in necessitate patres filium baptizant nullum contrahunt impedimentum petendi debitum. Ita D. Th. in *Suppl. q. 56. art. 1.* qui censet illud revera contrahi, si citra necessitatem baptismum conferant. Sunt tamen multi; qui id negant satis probabiliter, quamvis a gravi peccato excusari nequeant. Vide alia apud auctorem.

## CAPUT V.

## De Sacramento Confirmationis.

37. *Quest. 1.* Quid est confirmatio? R. est unctio chrismatis, sub præscripta forma verborum facta ab Episcopo in fronte baptizati, qua is robur, & gratiæ augmentum accipit. Hoc Sacramentum à Christo Domino institutum fuisse nocte Cœnæ constat ex traditione Ecclesiæ, ex Trid. *Sess. 7. Can. 1.* & decreto Eug. IV. in *Instruc. ad Armenos.*

38. *Quest. 2.* Quænam est materia remota hujus Sacramenti? R. Est chrisma, confectum ex oleo olivarum, & balsamo, benedicto ab Episcopo. Et quidem certum est oleum esse de necessitate hujus Sacramenti ex c. ult. de Sac. Unct. & ex decreto Eug. IV. Et debet esse oleum olivarum, ut docet S. Th. per quod significatur Spir. S. gratia in nos diffuens a Christo, tanquam nostro capite. Certum item est ex præcep-

to Ecclesiæ necessarium quoque esse balsamum. Sunt tamen, qui nolint illud pertinere ad essentiam Sacramenti, licet contraria sententia communior sit, & probabilior cum D. Th. & Bellarmino, & confirmis sit Catechismo Romano, & omnibus Ritualibus; & Eucologiis. Ude si forte confirmatio sine balsamo peracta fuerit, debet ita confirmatus iterum sub conditione confirmari. Non est tamen necessarium balsamum Syriarum, vel Palæstinum, sed sufficit Indicum, ut affirmavit Paulus III. confirmavitque Bened. XIV. *Notif.* 183.

Benedictionem Episcopi necessariam esse saltem ex præcepto Ecclesiæ nemo dubitat. Imo sententia valde probabilis tuetur illam ad essentiam materiæ remotæ pertinere. Unde non licet confirmationem sine chrismate consecrato conferre, atque ita collata debet sub conditione iterari, cum dubium saltem sit Sacramentum.

39. *Quæst.* 3. Quænam est materia proxima Confirmationis? R. est unctio in fronte, per manum Episcopi, in formam crucis facta. Unde adequata hujus Sacramenti materia constat tum ex impositione manuum Episcopi, tum ex unctione chris-matis, atque utraque ad essentiam pertinet confirmationis. Et quidem de manuum impositione constat ex actis Apost. c. 8. ubi S. Lucas narrat de SS. Petro & Joanne, quod in Samariam missi, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Tunc imponebam manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. De unctione autem chris-matis, ait Catech. R. tum Sancta Ecclesia, & Concilia perpetuo docue-

runt; tum a S. Dionysio, & complurimis aliis gravissimis Partibus traditum est, in primisque à Fabiano Pontifice, qui in ep. ad Episc. Orientis, quæ citatur Can. Litteris vestris de Consec. dist. 31. Apostolos Chrismatis consecutionem a Domino accepisse, nobisque reliquisse, testatus est. Idem constat ex perpetua Ecclesiæ praxi, & traditione, ex Canone Innoc. III. & decreto Eugenii in Concilio Florentino.

40. Et quamvis aliqui primæ notæ Theologi velint unctionem sacram, quæ per signum Crucis fit in fronte ab Episcopo, solum esse ex institutione Ecclesiæ, nec pertinere ad essentiam Sacramenti; contraria tamen sententia est moraliter certa, atque conformis declarationi Bened. XIV. in ep. Encyclica ad Episcopos Ritus Græci, ubi hæc habet: *Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur: nimirum in Ecclesia latina confirmationis Sacramentum conferri adhibito sacro chrismate, sive oleo olivarum, balsamo commixto, & ab Episcopo benedicto, ductoque signo Crucis per Sacramenti ministrum in fronte suscipientis, dum idem Minister formæ verba pronuntiat.*

41. Hinc unctio chris-matis fieri debet in fronte ex c. unico. de S. unctione, & ex decreto Eugennii IV. & quidem in formam Crucis, ut Ritualia omnia præscribunt, & continetur in Const. Apostolicis. Præscribit etiam Rituale, ut fiat pollice manus dextræ, adeoque graviter peccaret Episcopus, qui ungeret alio digito, ageret enim contra rubricam, & usum Ecclesiæ in re gravi. Esset autem validum Sacramentum,

cum vere fieret per impositionem manus Episcopi; secus autem dicendum, si fieret penicillo, aut alio quovis instrumento; quicquid pauci contra senserint. Quantitas autem chrismatis ea debet esse, quæ satis sit ad unguendam frontem confirmandi in figuram Crucis. Denique chrisma debet esse novum, illo scilicet anno consecratum, adeoque graviter peccaret, qui extra necessitatem veteri uteretur; quamvis ab valore Sacramenti quodlibet sufficiat.

42. *Quæst. 4.* Quænam est forma Sacramenti Confirmationis? R. hæc a Flor. Concilio designatur: *higno te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Quæ verba continent integram, & perfectam Sacramenti formam, cum in illis exprimat materia idonea, & necessaria ad significandum, & conficiendum Sacramentum, sicut & illius effectus, nempe robur, per quod ad spirituales pugnam vexillo Sanctæ Crucis, & gratia S. Spiritus armamur. Itaque audiendi non sunt, qui præter illa verba ad essentialiam formæ requirunt etiam preces alias, quas ex Ritualis præscripto recitat Episcopus ad manus impositionem. Hæc enim solum ex præcepto necessarie sunt, nec pertinent ad essentialiam Sacramenti. Ita communis sententia cum S. Th. ex Flor. & Trid. & Cathech. Rom. §. 12. dicente, *hanc esse perfectam, & absolutam hujus Sacramenti formam.* Nec ab ea differt quoad substantiam forma Græcorum: *signaculum doni Spiritus S.* cum per illa verba effectus Sacramenti satis explicetur. Nec unquam illa inter Græco-

rum errores numerata est in Flor. Concilio; nec alia est in usu Romæ in templo S. Athanasii, quod est Ritus Græci, sciente, & tacente R. Pontifice.

43. *Quæst. 5.* Quinam sunt effectus confirmationis? R. tres omnino numerantur. 1. est *character*, ut docet Trid. *Sess. 7. Can. 9. 2. speciale robur ad prælianda prælia Domini.* Imo ex cap. *novissime de Consec. d. 4.* declaratur, in Confirmatione conferri S. Spiritus plenitudinem, similem illi, quam acceperunt Apostoli in die Pentecostes: ita Cathech. Romanus. Et etiam aliquando per hoc Sacramentum prima gratia confertur, ut tradit D. Th. *art. 2. ad 2.* Denique tertius effectus est cognitio spiritualis, sicut in baptismo.

44. *Quæst. 6.* Quænam sunt ceremoniæ Confirmationis? R. in Pontificali Rom. præscribitur, ut Episcopus confirmationem ministrans debeat indui amictu supra rochetum, vel superpelliceum, si sit regularis, ac stola, pluviali albi coloris, mitra, & baculo. Quæ omnia omittere certe esset mortale, cum ipsa pertineant ad reverentiam Sacramenti; non tamen si unum, vel alterum instrumentum deficiat, quia non videtur materia gravis. Baculus autem potest publice exponi, aut ab aliquo ex Clericis detineri, ut significatur ex figura in Pontificali depicta. Imo S. C. de prop. fide declaravit 7. Dec. 1726. sufficere, quod Episcopus sine mitra, adhibita tantum stola confirmet. Quoad ceremoniam alapæ, quæ infligitur confirmato, eam omittere, secluso scandalo, non

est mortale, ut tueretur Suarez cum aliis multis. Idem potiori jure dico de omissione cerei, quæ cæremonia non est in Pontificali præscripta, sed solo usu introducta.

45. Quoad locum autem, in Rubrica notatur: *Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter quocumque die, hora, & loco, ex causa ad arbitrium Episcopi.* Et licet in Cap. *Ut jejuni* dist. 5. de Consec. præscribatur, ut confirmandi accedant jejuni, idemque in Rom. Pontificali legatur; usus tamen invaluit, ut hoc Sacramentum etiam post prandium conferatur. Sub gravi tamen requiritur patrinus, designandus a Parentibus, vel Episcopo, si confirmandus sit puer. Debet autem esse unus tantum, ipse jam confirmatus, distinctus a Patrino baptismi, & ejusdem sexus cum illo, qui confirmatur, nec monachus, nisi factus Episcopus. Quoad modum autem suscipiendi præscribitur in Pontificali R. quod confirmandus ponat pedem super pedem dextrum patrinus. Sed hodie in usu est, ut patrinus manum dexteram super dextrum humerum confirmandi ponat; quæ consuetudo, ut Concina testatur, probata est a S. Ritum Cong. 20. Septembris 1749.

46. Ubi consuetudo viget, frons baptizati obliganda est fascia linea, cruce notata, quæ postea est comburenda, nec ad profanos usus adhibenda. Solet quoque in aliquibus locis mutari nomen in confirmatione. Parochus autem tenetur in librum referre nomina eorum qui in sua Parochia confirmantur, & nomina Patrinorum, cum ad sciendam cognationem spiritalia-

lem, tum ad Sacros Ordines suscipiendos. Denique ab Episcopo dari solet benedictio confirmatis, qui admonentur, ne ab Ecclesia discedant; antequam communem benedictionem suscipiant. Sed ea non est nisi simplex cæremonia, quæ omitti solet quando magnus est concursus confirmandorum.

## CAPUT VI.

## De ministro Confirmationis, &amp; de subjecto ejusdem.

47. *Quæst. 1.* Quisnam est Minister Confirmationis? R. solus Episcopus est ordinarius Minister hujus Sacramenti. Ita definiuit Innoc. III. in c. *unico de Sac. Unct.* Et Trid. Sess. 7. c. 3. ubi ait: *Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* An autem simplex Sacerdos confirmare possit ex delegatione R. Pontificis, quæstio fuit olim agitata inter Theologos. Hodie tamen dubitari non potest ex bulla Bened. XIV. incipiente, *eo quamvis tempore*, ubi Pontifex indulsit, ut Sacerdotes Cophtis possent urgente necessitate Confirmationem ministrare, additque hoc non esse novum, sed usitatum a S. Greg. M. & aliis Pontificibus. Refertque P. Zaeharia in notis ad La-Croixiam, Eugenium IV. concessisse cuidam Missionario Ordinis S. Francisci facultatem non solum confirmandi, sed etiam chrisma conficiendi. Ut plurimum ta-



men dum facultas datur extraordinaria confirmandi, præscribitur, ut fiat chrismate ab Episcopo consecrato. *Bened. XIV. c. 8. lib. VII.*

48. *Quæst. 2.* An Episcopus possit hanc facultatem simplici Sacerdoti concedere? R. Quicquid sit de hac difficili controversia, inquit laudatus Pontifex loco cit. *omnino in confesso est, irritam nunc fore confirmationem a simplici Presbytero Latino ex sola Episcopi delegatione collatam; quia Sedes Apostolica id juris sibi unice servavit. V. Auctorem laudatum, qui de Orientalium usu, & ritibus late disserit.*

49. *Quæst. 3.* An Episcopus possit confirmare alienos subditos? R. 1. validam esse Confirmationem ab Episcopo quocumque collatam. Peccaret tamen graviter Episcopus, qui aut in aliena diocesi, aut in propria sibi non subditos confirmaret sine expressa, vel tacita proprii Episcopi concensione. Imò confirmans in aliena diocesi etiam subditos suos, incurrit suspensionem a Pontificalibus ipso jure ex *Trid. Ses. 6. c. 5. & declaratione S. Cong. R. 2. posse aliquando præsumi consensum proprii Episcopi, cum alieni subditi, longe a sede sua Episcopali viventes, accedunt petentes Confirmationem. Quod potiori jure præsumi potest de iis, qui afferunt ab Episcopo proprio litteras dimissoriales ad Ordines, nec sunt adhuc confirmati.*

50. *Quæst. 4.* Quodnam est subjectum Confirmationis? R. omnis homo baptizatus est capax hujus Sacramenti. In Orientali Ecclesia confertur infantibus statim post baptismum. Apud Latinos vero consuetudo obtinuit differendi con-

firmationem, donec pueri rationis usum habuerint, ut præscribit *Cat. Rom.* Idque consulto statuit Ecclesia Romana, tum ob reverentiam Sacramenti, tum ad vitandum periculum iterationis, tum denique ut suscipientes illud intelligant, se per baptismum fuisse quidem ad Christianam militiam acceptos, per Confirmationem vero fuisse ad pugnam roboratos, & ad perferendos agones per gratiam instructos. Ita *Bened. XIV. Con. tit. Et quamvis tempore.* Quod tamen non tollit, quominus Episcopus justa de causa possit, ac debeat infantibus Confirmationem ministrare; ut si mortis immineat periculum, si Episcopus ob longævam ætatem, vel locorum distantiam non possit facile consueta ætate chrismare. Sicque sancitum fuit in Concilio V. Mediolanensi, & ita fert usus in multis Provinciis.

51. Nota hic 1. amentibus esse conferendum hoc Sacramentum, ut docet communis doctrina, & tradit loco cit. *Benedictus. 2.* in dubio de confirmatione, iteranda est sub conditione, sed major dubitandi causa requiritur, quam in baptismo. 3. in cap. *ut jejuni de Cons. d. 5.* de confirmandis dicitur: *ut monentur confessionem facere prius.* Quod merum esse consilium, docent auctores, adeoque sufficit vel contritio perfecta, vel attritio cum confessione, si conscientiam habeant peccati mortalis.

52. *Quæst. 5.* Quomodo sit necessaria susceptio hujus Sacramenti? R. 1. certum est, non esse necessariam ad salutem necessitate medii in quo omnes conveniunt. R. 2. gravis est con-

troversia, an sit præceptum grave suscipiendi hoc Sacramentum, data oportunitate. Negant multi de tali præcepto constare, neque naturali, neque positivo; adeoque ajunt, illud omittere solum esse veniale, nisi intersit contemptus, vel scandalum, vel conscientia propria dictet specialem ejus necessitatem ad vincenda tormenta, vel gravissima pericula ipsius animæ. Alii multi affirmant, & videtur id declaratum a Benedict. XIV. in Bulla *etsi pastoralis*, ubi postquam dixit Confirmationem suscipientes a Presbyteris Græcis invalide confirmari, nisi accedat tacita saltem aprobatio R. Pontificis, hæc verba subjungit: *monendi tamen sunt ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si cum possint ad Confirmationem accedere, illam renuum ac negligunt.*

### TRACTATUS III.

#### DE EUCHARISTIA.

#### CAPUT PRIMUM.

##### *De natura, & essentia Eucharistiæ.*

1. *Quæst. 1.* Quid est Eucharistia, & in quo posita sit ejus essentia? R. Est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini, ad spiritualem animæ refectionem divinitus institutum. Ita DD. communiter. Et quidem certum est, hoc Sacramentum constitui tum ex speciebus panis, & vini, tum

ex corpore, & sanguine J. Christi Disputatur autem a Theologis, utrum ratio Sacramenti essentialiter consistat in speciebus tantum, an in solo Crisi corpore, & sanguine, an in utroque? Sed hæc controversia parum refert ad praxim, cum inter omnes conveniat ex utriusque constare veram rationem Sacramenti. Usus autem, sive sumptio Eucharistiæ non est proprie Sacramentum, sed applicatio ipsius, sive eonditio, ut in nobis operetur. In quo differt Eucharistia ab aliis Sacramentis, quæ tunc solum talia sunt, cum conficiuntur, vel applicantur, & ideo vocantur *transeuntia*. Eucharistia est Sacramentum permanens, quod rationem habet Sacramenti, etiamsi non sumatur, ut definit Trid. Sess. 13. Can. 4. *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus, & sanguinem D. N. J. Christi, sed tantum in usu, anatema sit.*

2. Difinitur etiam ab eadem Synodo Sess. 13. c. 3. in eo existere corpus sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantia... Divinitatem porro propter ejus cum corpore, & anima hypostaticam unionem. Eadem autem S. Synodus Sess. 21. cap. 3. ait: *Quamvis Redemptor noster hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, tamen fatendum est, etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi: ac propterea quoad fructum atinet, nulla gratia necessaria ad salutem*

troversia, an sit præceptum grave suscipiendi hoc Sacramentum, data oportunitate. Negant multi de tali præcepto constare, neque naturali, neque positivo; adeoque ajunt, illud omittere solum esse veniale, nisi intersit contemptus, vel scandalum, vel conscientia propria dictet specialem ejus necessitatem ad vincenda tormenta, vel gravissima pericula ipsius animæ. Alii multi affirmant, & videtur id declaratum a Benedict. XIV. in Bulla *etsi pastoralis*, ubi postquam dixit Confirmationem suscipientes a Presbyteris Græcis invalide confirmari, nisi accedat tacita saltem aprobatio R. Pontificis, hæc verba subjungit: *monendi tamen sunt ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si cum possint ad Confirmationem accedere, illam renuum ac negligunt.*

### TRACTATUS III.

#### DE EUCHARISTIA.

#### CAPUT PRIMUM.

##### *De natura, & essentia Eucharistiæ.*

1. *Quæst. 1.* Quid est Eucharistia, & in quo posita sit ejus essentia? R. Est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini, ad spiritualem animæ refectionem divinitus institutum. Ita DD. communiter. Et quidem certum est, hoc Sacramentum constitui tum ex speciebus panis, & vini, tum

ex corpore, & sanguine J. Christi Disputatur autem a Theologis, utrum ratio Sacramenti essentialiter consistat in speciebus tantum, an in solo Crisi corpore, & sanguine, an in utroque? Sed hæc controversia parum refert ad praxim, cum inter omnes conveniat ex utriusque constare veram rationem Sacramenti. Usus autem, sive sumptio Eucharistiæ non est proprie Sacramentum, sed applicatio ipsius, sive eonditio, ut in nobis operetur. In quo differt Eucharistia ab aliis Sacramentis, quæ tunc solum talia sunt, cum conficiuntur, vel applicantur, & ideo vocantur *transeuntia*. Eucharistia est Sacramentum permanens, quod rationem habet Sacramenti, etiamsi non sumatur, ut definit Trid. Sess. 13. Can. 4. *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus, & sanguinem D. N. J. Christi, sed tantum in usu, anatema sit.*

2. Difinitur etiam ab eadem Synodo Sess. 13. c. 3. in eo existere corpus sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantia... Divinitatem porro propter ejus cum corpore, & anima hypostaticam unionem. Eadem autem S. Synodus Sess. 21. cap. 3. ait: *Quamvis Redemptor noster hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, tamen fatendum est, etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi: ac propterea quoad fructum atinet, nulla gratia necessaria ad salutem*

eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt. Ex quibus verbis nonnulli Theologi cum Bellarmino deducunt, totam rationem specificam Sacramenti salvari sub qualibet specie, seorsim sumpta; contraria tamen sententia videtur magis probabilis, & magis recepta, cum sub una tantum specie vi verborum, & per se non ponatur nisi vel corpus Christi tantum, vel sanguis; unde in altera specie seorsim sumpta per se non significatur tota refectio cibi, & potus, in qua consistit ratio specifica Sacramenti. V. D. Th. 3. p. q. 73. a. 2.

3. *Quæst. 2.* Unde sumenda sit unitas numerica hujus Sacramenti? R. cum communi sententia, eam esse petendam a morali conjunctione specierum, ita ut plures species consecrate moraliter sint unum Sacramentum, dum per modum unius proponuntur, aut sumuntur. Hinc si una hostia dividitur in plures, & pluribus porrigitur, diversa sunt numero Sacramenta; si vero uni, atque eidem plures simul hostiæ, vel ambæ simul species ministrantur, unum datur Sacramentum. De fide autem est, in qualibet specie, & in parte qualibet ejusdem speciei totum contineri Christum, quod sufficit ad fructum Sacramenti.

4. *Quæst. 3.* An Eucharistia sit omnino necessaria ad salutem? R. Certum est 1. adultis esse ex præcepto necessariam, & quidem Divino ex Lucæ 22. *hoc facite in meam commemorationem.* Pariter est certum, necessarium non esse necessitate mediæ, ut vocant, ita ut nullus adultus absque ea possit salutem obtinere. Sunt ta-

men, qui velint, esse omnino necessariam in voto, tum ad salutem obtinendam, tum ad conservandam spiritualem vitam. Ita S. Th. quem sequuntur Sotus, Salmant. & alii. Quod votum haberi dicitur ab adultis, dum Baptismi, & Pœnitentiæ Sacramenta suscipiunt. Contra tamen sentiunt Bonavent., Suarez, Vazquez, alii.

5. *Quæst. 4.* Quænam est materia hujus Sacramenti? R. materia proxima sunt species panis, & vini; remota autem sunt panis triticeus, & vinum de vite. Constat 1. ex institutione Christi Matth. 26. & Lucæ 22. Constat 2. ex praxi universæ Ecclesiæ. 3. ex definitione Florent. & Tridentini. Et quidem utraque materia est necessaria ad Sacramentum conficiendum, quia utramque exigit ratio sacrificii. Utrum vero præceptum consecrandi utramque speciem sit juris Divini, an solum Ecclesiastici, nonnulli in controversiam revocarunt. Pro certo tamen affirmandum cum communi DD. esse Divinum, tum quia Christus præcepit, ut utraque materia consecraretur per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*; sic enim illa interpretatur Trid. Sess. 22. c. 1. tum quia ita exigit ipsa institutio Eucharistiæ. Nam ut Sacramentum est, instituta est per modum spiritualis convivii, quod cibo, & potu perficitur. Ut vero est sacrificium, mystice representat separationem corporis, & sanguinis Christi in ejus morte, adeoque consecratio utriusque speciei est de essentia incruenti Sacrificii in Eucharistia.

6. Hinc merito Ecclesia prohibet, ut ne una tantum species consecratur, essetque reus

gravis peccati Sacerdos, qui seorsim ita consecraret, etiam ad dandam pro Viatico Communionem graviter ægrotanti. Si tamen id faceret sive per malitiam, sive per errorem, valida esset consecratio, qua veritas formæ consecrationis hostiæ, v. g. statim habet suum effectum, nec dependet a vini consecratione. Et quidem id sine culpa Sacerdoti quandoque evenire potest, si nempe hostia jam consecrata morbo, vel morte correptus non possit calicem consecrare.

7. *Quæst. 2.* Qualis debet esse panis ad valorem consecrationis? R. panis triticeus, sive sit azymus, sive fermentatus. Ita enim definiit Florentinum in decreto unionis in hæc verba: *definiimus, in azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere; unumquemque scilicet juxta sue Ecclesie sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.* Ratio est, quia uterque est verus panis, confectus ex farina, aqua subacta, & igne cocta, habetque proprium usum panis. Latinus autem Sacerdos sub gravi tenetur in azymo, Græcus in fermentato consecrare; nec in hoc ulla dispensat necessitas, cum ne viaticum quidem obliget, nisi cum possit ministrari modo, & ritu Ecclesie convenienti. Et quamvis olim docuerint graves Theologi, Sacerdotem Latinum in locis Græcorum posse in fermentato consecrare, sicut in azymo Græcum inter Latinos habitantem; hodie tamen hujusmodi doctrina locum non habet, sed unusquisque ritum suum servare debet. Ita decretum est a Pio V. Const. quæ incipit

*Romani Pontificis, & a Bened. XIV. Constit. Etsi pastoralis.*

8. Ex dictis deduces 1. non est valida consecrationis materia quivis alius panis, qui ex tritico non sit confectus. Patet ex decreto Eugenii, ubi dicitur de Eucharistia: *cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite*, ex Catech. Rom. p. 2. n. 13. & Missali Rom. dicente: *si panis non sit triticeus, non conficitur Sacramentum.* 2. non est materia apta ad consecrationem panis ex oriza, avena, milio, & similibus herbis, quæ a tritico specie differunt. 3. massa triticea cruda, vel frixa solum, & elixa ad modum placentæ, quia non est panis usualis, & communis. 4. neque panis subactus aquis artificialibus, vel oleo, butyro, & lacte, ovis, saccharo, aliove liquore, aqua naturali non mixto. Et quoniam aliter sentiunt DD. aliqui, saltem est materia dubia; idque confirmat Missale Romanum. Dubia quoque habetur materia hostia rubra, quæ cinnabaris admixtione nimium alteratur; panis quoque subactus aqua marina; panis ex farre, spelta, & siligine.

9. Quod si aliqua tantum grana, vel guttæ alterius speciei cum tritico misceantur, ita ut istud, & qua plurimum dominetur, erit quidem valida, sed illicita consecratio. Idem dico, si panis sit aliquantulum mucidus; nam si corruptus sit, erit omnino invalida. Erit etiam valida, sed illicita consecratio hostiæ fractæ, vel maculatæ; quæ macula, vel fractio, nisi deformis valde sit, si post oblationem animadvertitur, ea non obstante, consecratio est peragenda. Ad

figuram quod attinet, Latini utuntur hostia orbiculari, & rotunda; Græci figuram adhibent panis in quatuor ramos ad instar Crucis extenti; reliqui variant Orientales; in quo standum est ritui uniuscujusque Ecclesiæ.

10. *Quæst. 6.* Quale vinum sit apta consecrationi materia? R. vinum de vite, ut definitum est in Later. III. Florent. & Tridentino. Unde non potest valide consecrari vinum ex pomis, cerasis, aliisque fructibus extractum. Neque acetum, quod ob fermentationem amisit naturam vini, nec vinum adhuc in uvis contentum, cum in tali statu nondum habeat rationem vini communis, vel usualis. Vinum autem aromatibus conditum valide, sed illicitè consecratur, modo tanta non sit alteratio, ut naturam vini in æstimatione hominum non retineat. Mustum ex recentibus uvis expressum non licet adhibere ob permixtas fæces, nisi in necessitate, ut ait S. Th. 3. p. q. 74. art. 6. Licet tamen uti vino congelato, sed postea resolutum, cum retineat naturam vini; dum autem manet congelatum est materia dubia, in qua nunquam licet consecrari, ut ait Suarez, ob reverentiam debitam Sacramento, & quia tanta non est ejus necessitas ad salutem.

11. Nota; cum ab Ethiopiæ Missionariis Ordinis S. Francisci proposita esset quæstio S. Congregationi, utrum liceret celebrare cum vino ex uvis passis, vel zebibo expressis in illis regionibus, in quibus magna est vini penuria; re diligenter per experimenta investigata, responsum fuit: *licere dummodo liquor extrahendus a zebibo,*

*vel uvis passis ex colore, odore, & gustu dignoscatur esse verum vinum.* S. Cong. S. Off. 22. Jul. 1706. Eadem vero decrevit, ad utramque ablu-tionem posse adhiberi solam aquam, ubi tanta sit vini penuria, ut aliter Sacerdotes cogentur pluries non celebrare: *Decl. 1665.* De cetero si-ne gravi hujusmodi penuria, standum esse rubricis Missalis, præsertim circa primam ablu-tionem, ab eadem Cong. declaratum est 1707.

12. *Quæst. 7.* An vino miscenda sit aqua ad consecrationem? R. affirm. ex decreto Concilii Florent. & perpetua Ecclesiæ traditione. Audiat-ur Trident. Sess. 22. Cap. 7. *Monet deinde S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, cet.* Aqua vero debet esse naturalis, eaque modica, una scilicet, vel altera gutta sensibilis ex decreto Eugenii, & Rubrica Missalis Romani. Qui autem tantam aquæ copiam immi-teret, ut tertiam partem vini excederet, peccaret graviter, & redderet consecrationem dubiam, ut fert communis opinio. Permixtio autem fieri debet in ipso calice vel ante offertorium, vel certe immediate ante Sacrum, ut in usu est apud quosdam; & quidem ab ipso Sacerdote, vel a Subdiacono, ut fit in Missa solemni; neque enim sufficit, ut caupo, vel alius vinum aqua dilue-rit; quia, ut ait S. Th. q. 74. a. 8. ad 3. *aqua permixta in dolio non sufficeret ad significationem Sacramenti.*

13. *Quest. 8.* An & quomodo materia consecrationis debeat esse præsens Sacerdoti consecranti? R. invalida est consecratio, nisi materia sit præsens modo sensibili, & morali. Ratio est, quia alias vera non esset forma consecrationis per illa verba *hoc & hic*, cum sint demonstrantia. Præterea ita exigit institutio Christi, & ratio Sacrificii. Sufficit autem, si materia ita sit præsens, ut videri, vel tangi possit vel in se, vel in vase, aut alio continente. Sic valide consecratur vinum in calice etiam cooperto, hostiæ in ciborio, vel in cumulo sub aliis latentes. Quod si in Missali, aut etiam occultas sub mapa, vel prope corporale quis consecraret, dubitant aliqui an valide consecraret; & certe graviter peccare Sacerdos id faciens. Quod ad guttas vini, calici adhærentes sed ab aliis separatas, quando Sacerdos de illis nihil expresse cogitarit, dubium est an ab eo sint consecratæ. Itaque oportet ut Sacerdos aut eas cum aliis ante consecrationem admisceat, aut omnino abstergat.

14. *Quest. 9.* An materia, quæ consecranda est, debeat esse certa, & determinata? R. certam esse debere, & definitam tum in se, tum in mente consecrantis; tum quia id exigit forma consecrationis demonstrans materiam per illa verba: *hoc & hic*; tum quia cum actiones sint circa singularia, intentio Ministri ferri non potest nisi circa materiam determinatam. Opus tamen non est singulas designari quoad numerum, sed satis est ut animus feratur in totum objectum, quod proponitur, v. g. ad omnes hostiâs præsentes, licet numerus igno-

retur. Constat ex Missali Rom. ubi de defectibus loquendo legitur: *Si quis habeat coram se undecim hostias, & intendat consecrare solum decem, non determinans, quas decem intendit, non consecrat, quia requiritur intentio. Secus, si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat; nam tunc omnes erunt consecrate, atque ideo quilibet Sacerdos talem intentionem habere debet, scilicet consecrandi omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet.*

15. Monet etiam Missale R. *ut si quis putans se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque.* Nam intentio, quam Sacerdos habet consecrandi materiam præsentem, per errorem speculativum non destruitur, nisi expresse contrarium intendatur. Notandum est etiam, ad valorem consecrationis perinde esse materiam esse in magna, vel in parva quantitate, modo sit sensibilis. Poterit tamen peccare Sacerdos, si majorem consecret, quam quæ opportuno tempore possit absumi.

16. *Quest. 10.* Quænam est forma Eucharistiæ? R. pro consecratione hostiæ illa Christi verba: *hoc est corpus meum*, & pro consecratione vini: *hic est calix sanguinis mei* sunt forma essentialis, quæ sufficiunt ad validam consecrationem, & debent a Sacerdote proferri assertive, seu cum intentione efficiendi id quod significant, cum ea proferat Minister, ut gerens Personam Christi, adeoque intendere debeat per illa consecrare. Ita deducitur ex Conc. Florent.

juxta institutionem Christi. Græci in consecratione vini, & orientales Catholici utuntur his verbis: *hic est sanguis meus*, quæ verba sunt Christi apud Matth. nec in substantia a Latinis & Occidentalibus differunt, cum re vera perfecte significant id, quod efficiunt. Ob usum autem, & præceptum Ecclesiæ in re gravissima Sacerdos tenetur sub gravi proferre omnia verba, quæ in Canone continentur.

17. Certe invalida est consecratio, si forma quoad essentiam immutetur, ut si pro *hoc* diceretur *illud*, quia non demonstrat rem præsentem; vel *hic adverbialiter* usurpetur, quia non significat veram conversionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. Imo si dicatur, *hoc corpus est meum*, cum illa transpositio mutet sensum verborum Christi. Pariter si dicatur, *hoc est corpus Christi* diversus est sensus, nec verba hæc proferuntur in persona Christi. Non est tamen substantialis mutatio, si omittatur particula *enim*; quæ omissio non est nisi venialis, ut ajunt DD. multi cum Suario, licet Roncaglia, & alii non improbabiler putent esse mortale, si cum deliberatione relinquatur.

18. Quoad alia verba, quæ præcedunt: *qui pridie*, cet. Ambrosius Catherinus voluit, esse essentialia, ita ut per preces antecedentes fiat consecratio: verba autem Christi ex præcepto tantum historice recitentur. Huic opinioni non absimilis est sententia Nicolai Cabasilæ, & post ipsum Marci Ephesini, qui ajunt, non solis Christi verbis, sed etiam in vocatione S. Spiritus, sive precibus in ea comprehensis confici corpus

Christi. Quam opinionem veluti sepultam innovarunt Petrus Le-Brum, & alii pauci, cui occasionem dedere nonnullæ PP. sententiæ male intellectæ, & orientalium Liturgiæ. Sed horum doctrina merito rejicitur ab omnibus ut contraria Ecclesiæ traditioni, & decreto Eugenii, quæ virtutem consecrandi tribuunt verbis a Christo prolatis, quibus tantum conficitur Sacramentum.

19. Multi ex Thomistis volunt, non solum illa verba: *hic est calix sanguinis mei* sed & sequentia, *novi, & æterni testamenti* pertinere ad essentiam consecrationis: Marsilius addit, *mysterium fidei*, cet. cum per illa significetur remissio peccatorum facta per effusionem sanguinis Christi. Contraria tamen sententia communior est, & probabilior. 1. quia D. Paulus, *ad Cor. 1.* exprimens formam consecrationis illa omittit. 2. quia aliqua ex illis verbis, v. g. *mysterium fidei* ab evangelistis omittuntur. 3. plerique PP. dum verba recensent consecrationis, illa tantum commemorant: *hoc est corpus meum: hic est calix sanguinis mei*, vel *hic est sanguis meus*. 4. quia non reperiuntur in Litturgiis Orientalium probatæ fidei; quis autem audeat dicere, omitti verba essentialia consecrationis? Vide alia apud Berti, Gotti, & alios Thomistas, qui S. Thomam interpretantur de necessitate illorum verborum ad integritatem formæ, vel ad explicandum effectum Sacramenti.

20. Nota vero: si Sacerdos dictis illis verbis, *hic est calix Sanguinis mei*, ante prolata cetera verba obierit, vel impeditus fuerit, alter prosequi debet Missam, repetendo (sub conditione)



integram formam ab eo loco: *Simili modo*. Vel potest super alium calicem præparatum integram formam perficere, & hostiam primi Sacerdotis, & sanguinem a se consecratum sumere, & deinde alium calicem. V. Rubr. Missalis R.

## CAPUT II.

*De Ministro, & Subjecto Eucharistiæ.*

21. *Quæst. 1.* Quis possit ministrare Eucharistiam, R. 1. Certum est, solos Sacerdotes posse valide consecrare, ut constat ex traditione Ecclesiæ, & definitionibus Conciliorum Nicæni 1. Later. Florentini, & Tridentini Sess. 23. Can. 1. Quod Tridentinum probat ex illis verbis Christi: *hoc facite in meam commemorationem*. Quibus verbis Apostolis tantum, eorumque in officio Sacerdotali Successoribus consecrandi potestas ab ipso confertur R. 2. solus Sacerdos habens jurisdictionem ordinariam, delegatam, vel privilegium, aut facultem saltem recitam, ac præsumptam potest dispensare Eucharistiam; quia Pastorum est proprium oves pascere, quod fit præcipue per Sacramenta.

22. Diaconus ex commissione Parochi potest Eucharistiam dispensare, atque etiam deficienter Sacerdote; quia tunc præsumit illius permissio. Non ita Subdiaconus, ut communi Ecclesiæ consuetudine comprobatur. Sacerdos autem quilibet potest ministrare Eucharistiam, sed non pro viatico; quia ita fert communis praxis, & tacita consensus Episcopi, vel Parochi. Viaticum

autem dari debet a proprio Parocho, vel ex ejus licentia ab alio Sacerdote, vel Diacono, qui eodem munere fungi possunt, absente Parocho, si necessitas postulet; neque enim tunc præsumitur ille repugnare. Imo etsi Parochus injuste renuat, ut docet communis sententia cum S. Thoma.

23. *Quæst. 2.* An aliquando liceat Clericis, aut etiam laicis per se ipsos communicare? R. Laicis nunquam id licere, docet De Lugo cum aliis, eamque vocat communem sententiam; quia Tridentini præceptum extat, ut laici communionem sumant de manu Sacerdoti, vel diaconi; & aliunde hoc Sacramentum non est ita ad salutem necessarium. Nihilominus id aliquando fieri posse sine peccato, putant alii cum Suarez, eo quod in mortis articulo urget præceptum divinum communicandi, & aliunde nullo præcepto neque Divino, neque Ecclesiastico id prohibitum est, urgente necessitate, & Sacerdote deficiente: præsertim cum olim in usu fuerit, ut laici cibum Eucharisticum propriis manibus sumerent. Quæ consuetudo viguit inter Græcos usque ad octavum sæculum. *Sed standum est hodiernæ Ecclesiæ disciplinæ.*

24. Quod ad Sacerdotes attinet, eos, secluso scandalo, posse e sacrario Eucharistiam extrahere, & seque ipsos communicare, si desit alius Sacerdos, docent multi, & graves Theologi; idque non solum in mortis articulo, sed etiam devotionis causa in prolixa v. g. infirmitate, ne fructu Sacramenti diu ægrotus ca-

integram formam ab eo loco: *Simili modo*. Vel potest super alium calicem præparatum integram formam perficere, & hostiam primi Sacerdotis, & sanguinem a se consecratum sumere, & deinde alium calicem. V. Rubr. Missalis R.

## CAPUT II.

*De Ministro, & Subjecto Eucharistiæ.*

21. *Quæst. 1.* Quis possit ministrare Eucharistiam, R. 1. Certum est, solos Sacerdotes posse valide consecrare, ut constat ex traditione Ecclesiæ, & definitionibus Conciliorum Nicæni 1. Later. Florentini, & Tridentini Sess. 23. Can. 1. Quod Tridentinum probat ex illis verbis Christi: *hoc facite in meam commemorationem*. Quibus verbis Apostolis tantum, eorumque in officio Sacerdotali Successoribus consecrandi potestas ab ipso confertur R. 2. solus Sacerdos habens jurisdictionem ordinariam, delegatam, vel privilegium, aut facultem saltem recitam, ac præsumptam potest dispensare Eucharistiam; quia Pastorum est proprium oves pascere, quod fit præcipue per Sacramenta.

22. Diaconus ex commissione Parochi potest Eucharistiam dispensare, atque etiam deficienter Sacerdote; quia tunc præsumit illius permissio. Non ita Subdiaconus, ut communi Ecclesiæ consuetudine comprobatur. Sacerdos autem quilibet potest ministrare Eucharistiam, sed non pro viatico; quia ita fert communis praxis, & tacita consensus Episcopi, vel Parochi. Viaticum

autem dari debet a proprio Parocho, vel ex ejus licentia ab alio Sacerdote, vel Diacono, qui eodem munere fungi possunt, absente Parocho, si necessitas postulet; neque enim tunc præsumitur ille repugnare. Imo etsi Parochus injuste renuat, ut docet communis sententia cum S. Thoma.

23. *Quæst. 2.* An aliquando liceat Clericis, aut etiam laicis per se ipsos communicare? R. Laicis nunquam id licere, docet De Lugo cum aliis, eamque vocat communem sententiam; quia Tridentini præceptum extat, ut laici communionem sumant de manu Sacerdoti, vel diaconi; & aliunde hoc Sacramentum non est ita ad salutem necessarium. Nihilominus id aliquando fieri posse sine peccato, putant alii cum Suarez, eo quod in mortis articulo urget præceptum divinum communicandi, & aliunde nullo præcepto neque Divino, neque Ecclesiastico id prohibitum est, urgente necessitate, & Sacerdote deficiente: præsertim cum olim in usu fuerit, ut laici cibum Eucharisticum propriis manibus sumerent. Quæ consuetudo viguit inter Græcos usque ad octavum sæculum. *Sed standum est hodiernæ Ecclesiæ disciplinæ.*

24. Quod ad Sacerdotes attinet, eos, secluso scandalo, posse e sacrario Eucharistiam extrahere, & seque ipsos communicare, si desit alius Sacerdos, docent multi, & graves Theologi; idque non solum in mortis articulo, sed etiam devotionis causa in prolixa v. g. infirmitate, ne fructu Sacramenti diu ægrotus ca-

reat. Alii negant ob contrariam Ecclesiae disciplinam, que maximae est attendenda. Laicis vero Ecclesiae praxis nunquam permittit alios communicare; licet enim urgente gravi causa licitum sit Sacramentum tangere, *sed non est simile de dispensatione Sacramenti, quia ejus receptio non est necessitatis*, inquit D. Th. in 4. dist. 13. art. 3. q. 1.

25. Quæst. 3. An, & quando liceat Regularibus Communionem ministrare in suis templis? R. ex speciali privilegio R. Pontificis possunt Sacerdotes Regulares communicare quoscunque fideles, præter quam in mortis articulo, & in festo Paschali. Porro nomine Paschalis festi venit communio Paschalis, qua tenentur omnes Parochiae suæ satisfacere & præcepto annuæ Communionis. Qui enim per illos dies Paschali præcepto satisfecit, non prohibetur in die Paschæ in templo regularium communicare ex devotione, ut ait Roncaglia, & constanti consuetudine comprobatur. Possunt etiam sumere Communionem Paschalem in Ecclesiis Religiosorum, qui tali gaudent privilegio, ut servientes Monasteriis exemptis, scilicet *qui eis actu serviunt, intra eorum spatia, ac domos resident, sub eorumque obedientia vivunt*, ut declaratur a Trid. Sess. 24. c. 11. Idem multi affirmant de peregrinis, & vagis, proprio Parocho carentibus; licet Tournelyus, & alii dicant eos sumere debere Communionem Paschalem de manu Parochi loci; quia iste censendus est eorum Parochus.

26. Quæst. 4. Quid in Ministro requiri-

tur ad licitam administrationem Eucharistiæ? R. præter statum gratiæ necessaria est in ipso debita Sacramento reverentia; & ut eam præstet ritu Ecclesiae consueto; eamque conferat, vel neget, prout necessitas vel dignitas petentium, aut eorum indignitas postulet. Hinc Eucharistia non est deferenda ad infirmum nisi cum stola, & superpelliceo, & præcedente lumine. Et quidem sine stola ministrare grave peccatum esset, & pariter absque superpelliceo; veniale autem sine lumine, & prævia Confessione, ut cum Suario docet communis opinio TT. Utrum autem in necessitate liceat sine lumine, & sacris vestibus Viaticum porrigere, dubitant DD. Negant aliqui, eo quod præstet potius reverentiam servare Sacramenti, quam infirmum communicare. Sed probabilius alii affirmant; neque enim videtur Ecclesiam voluisse eo subsidio in periculo mortis filios suos privare, ut serventur ejus cæremoniæ. Imo Pasqualigus censet posse Episcopum dispensare præsertim in Villis & Pagis, ut viaticum cum pileolo deferatur.

27. Et quidem constat, S. Carolum in Actis Med. Conc. indulsisse, ut ad infirmum distantem Viaticum in equo mansueto deferretur, præsertim causa tempestatis, & ubi periculum est in mora. Sed in his spectandum est, quid loci consuetudo, & Episcoporum facultas permittat. Nunquam tamen licet Sacerdoti curre cum irreverentia, ut gestet Viaticum, nec laico tradere pyxidem portandam, quantumvis Pastor sit fatigatus, sed potius ex collo

bursa est suspendenda. Nec licet Eucharistiam deferre ad ægrum, ut eam osculetur, si sumere non possit, ex decreto S. Cong. Conc. & prohibitione S. Pii V. Nec vero Sacerdos, v. g. laborans podagra, potest aliis digitis, quam pollice, & indice ministrare; quamvis Toletus, aliique id licere dicant, si æger aliter esset sine viatico moriturus. Et ideo communis sententia docet nec posse celebrare Sacerdotem, qui pollice non possit hostiam frangere.

28. Quamvis olim sub utraque specie communicarent fideles; hic tamen usus jamdudum ab Ecclesia Latina justis de causis abolitus est, & prohibitus a Trid. Sess. 21. c. 1. Græcis tamen permittitur, modo fateantur id non esse jure Divino præceptum, nec ad salutem necessarium, cum in unaquaque specie totum Sacramentum contineatur, nec major sit effectus Sacramenti sub duabus, quam sub una tantum specie. Sacerdos etiam dum communicat non celebrando, communicare tantum potest sub specie panis.

29. *Quest. 5.* Quinam possunt suscipere Eucharistiam? R. 1. eam primo suscipere non possunt infantes, licet olim ipsis daretur Eucharistia, ut constat ex D. Dionysio, Aug. & aliis Patribus. 2. non possunt communicare perpetuo amentes, & frenetici, sed amentibus, qui aliquando usum rationis habuerunt, & petierunt, potest Viaticum ministrari, modo absit periculum irreverentiæ. 3. ii, qui non sunt jejuni, non possunt refici hoc Sacramento, ni-

si in periculo mortis. Constat ex Con. Tolet. VII. ex Carthag. III. & communi Ecclesiæ praxi. Quod jejunium in eo consistit, ut a media nocte præcedente nihil omnino per modum cibi, vel medicinæ in stomachum ab ore trajiciatur. An autem ægroto, qui forte eadem die ex devotione communicavit, debeat postea viaticum porrigi, si timeatur ea die moriturus, controversia est inter Theologos. *In tanta opinionum varietate*, ait Bened. XIV. de Syn. lib. VII. c. 9. *integrum est Parocho, eam sententiam amplecti, quæ sibi magis arriserit.*

30. R. 2. In suscipiente Eucharistiam requiritur status gratiæ. Itaque nemini licet ad eam accedere cum conscientia peccati mortalis: nec vero satis est contritio in eo, qui lethale commisit, sed præcedere debet confessio, ut declaravit Trident. Sess. 13. c. 7. & Can. 11. ubi contrarium docentes excommunicantur *de facto*. Quod præceptum esse Divinum docet communis sententia cum Suario ex illis verbis Ap. ad Cor. 1. *probet autem se ipsum homo*. Sufficit tamen contritio, cum Sacerdoti ex officio est celebrandum, nec est illi copia Confessarii; tunc enim præmissa contritione, si sacrificium omitti nequeat absque gravi infamia, vel scandalo, debet celebrare, & postea *quam primum* confiteri.

31. Si poenitens post Confessionem recorderetur peccati gravis, per oblivionem innoxiam omissi in Confessione, tenetur ante Communionem iterum confiteri, ut docet communis

sententia, conformis doctrinæ Tridentini. Quamquam alii contrarium defendant, quibus adherent Pontas, & Continuator Tournelii; nec improbabiler, cum ille præceptum confessionis ex una parte impleverit, & aliunde peccatum illud sit indirecte remissum cum sola obligatione illud subjiciendi, cum urgeat præceptum confitendi. Ast vero praxis fidelium in contrarium stat, estque semper laudanda, & suadenda. Quid vero si pœnitens recordetur peccati lethalis, omissi in Confessione, v. g. dum est in scamno ad communionem, nec possit sine infamia, vel nota recedere? R. posse, ac debere communicare, & postea in prima Confessione aperire peccatum illud, de quo oblitus fuerat. Et quamvis aliqui, teste Lugo, velint illum conari debere elicere contritionem; sed immerito, quia homini, ut ponitur, justificato nullo modo necessaria est contritio, cum peccatum sit deletum per Confessionem, nec ullibi inveniatur præceptum contritionis.

32. *Quæst. 6.* Quid agere debeat Sacerdos, qui inter celebrandum recordetur peccati mortalis, non confessi? R. si recordetur post consecrationem, Missa non est interrumpenda, ut ait D. Th. & diserte habetur in Rubricis. Si vero recordetur ante consecrationem, & præsertim ante Canonem, tunc debet confiteri, si possit absque scandalo id facere, ut in Rubricis tradiitur. In primo autem casu tenetur elicere contritionem, & postea quam primum confiteri, quanquam illud Tridentini præceptum confitendi quamprimum secundum aliquos

non comprehendat nisi Sacerdotem, qui ante Missam recordatur peccati, & celebrat ex necessitate, non habens copiam confessarii. Sed eadem est ratio præcepti, ut notat Suarius.

33. *Quæst. 7.* Quomodo sit intelligendum illud quam primum Tridentini? R. 1. damnatam esse ab Alex. VIII. propositionem istam: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quam primum, est consilium, non præceptum.* Pariter istam: *illa particula quam primum intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* His positus, R. illud morali, & humano more intelligendum, ita ut ille præcepto satisfaciatur, qui intra triduum confiteatur. Atque ita declaratum fuisse a S. Cong. ait La-Croix, & hæc est communis DD. sententia. Fieri tamen potest, ut aliquando Sacerdos teneatur prius confiteri, v. g. si celebraturus iterum sit, & sit copia confessarii; vel tunc Confessarium habeat, quem postea per dies plures forte non habebit, etsi non sit celebraturus.

34. An & quando indignis regenda sit Eucharistia, diximus in Tract. de Sacramentis in genere c. 2. q. 4. Hic tamen nonnulla adjungere oportet ad praxim necessaria. Ac primo quoad puerorum communionem Bened. XIV. reprehendit eos, qui pueros etiam duodennes, & perspicacis ingenii sinunt ex hac vita migrare sine viatico, hanc unam ob causam, quia scilicet nunquam ante, Parochorum certe incuria, & oscitantia Eucharisticum panem degustarint. De

Syn. Lib. VII. c. 12. Nota 2. capite damnatis, si rite sint per Confessionem parati, posse dispensare Eucharistiam, ut fert usus in multis locis. 3. etiam aliquando, v. g. in Paschate, dandam esse semifatis, & debili ratione utentibus, modo hunc cibum a profano distinguere norint; atque etiam a Dæmone obsessis, si absque reverentiæ detrimento possint sumere.

36. Quod ad usum frequentis, vel quotidianæ Communionis attinet, habendæ sunt præ oculis propositiones duæ ab Ecclesia proscriptæ; altera ab Innoc. XI. dicens; *frequens Confessio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis*; altera ab Alex. VII. quæ dicebat: *similiter arceri sunt a Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers*. Deinde attendendum est decretum S. Cong. editum anno 1679. ab Innoc. XI. adprobatum, ubi inter alia primo loco dicitur, usus frequens, vel quotidianus sumendæ Eucharistiæ semper fuisse in Ecclesia approbatus à SS. PP. sed ratione diversarum conscientiarum nihil de ipso constitui posse. Deinde sic pronuntiatur: *frequens accessus (ad Eucharistiam) Confessariorum iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentie fructu, & ad pietatem processus laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod prospiciunt eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt*. Postea additur: *non a frequenti vel a quotidiana sumptione una præcepti formula deterreantur, aut sumendi dies gene-*

raliter constituentur, cet. Denique monentur Episcopi, ut ubi frequentis Communionis viget huiusmodi devotio, per illam gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito temperamento alere debebunt. Quo pacto in hac re gerere se debeat Confessarius, vide auctorem in praxi §. ult. ubi moderatores animarum docet ita se gerere, ut nec nimium rigidi sint in negando usu frequentis Communionis, nec nimium indulgentes, præsertim cum iis, qui sæpe in gravia labuntur, nec solliciti sunt de agenda poenitentia; aut iis, qui accedunt cum affectu deliberato advenialia, nec de illis tollendis ullam curam gerunt; ut recte animadvertit Bened. XIV. de Syn. lib. VII. Quamquam expedit aliquando concedere Communionem aliquibus, qui versantur in periculo labendi in lethalia, ut vires accipiant ad resistendum.

## CAPUT III.

De Corporis dispositionibus ad Eucharistiam,  
& de ipsius effectis.

36. *Quest. 1.* Quale jejuniū requiritur ad Communionem? R. Jejunium naturale ex præcepto Ecclesiæ requiri ad sumendam Eucharistiam, diximus capite proxime præcedenti, in quo non esse parvitatem materiæ docetur a Theologis. Non debet tamen is, qui communicaturus est, scrupulis angī, nec Communionem relinquere, etsi reliquæ cibi remanentes in ore ab ipso deglutiantur; non enim su-

muntur per modum cibi, sed ad instar sallyæ, ut monent Rubricæ Missalis. Eadem est ratio ex D. Th. q. 80. a. 8. ad 4. de reliquiis aquæ, quibus os abluitur, si forte trajiciantur, præsertim in modica quantitate; nisi data opera sumantur, aut in magna quantitate. Generatim autem loquendo non frangit jejunium nisi id, quod ab extrinseco provenit in stomachum per modum cibi, aut potus; & ideo illud non frangit pulvis tabaci per nares sumptus, ut ait Bened. XIV. de Syn. lib. 7. c. 3. Imo etsi folium tabaci, vel aroma dentibus conteratur ad expuenda phlegmata modo nihil trajiciantur in stomachum. Ita Lugo cum aliis permultis.

37. Idem dico de rebus, quæ omnino inutilis sunt digestioni, si deglutiantur, ut capilli, ungues, fla, sive serica, sive lanea, vitrum, metallum, & similia. Secus autem sentio de iis, quæ a stomacho alterari, & in substantiam hominis converti possunt, puta chartam, paleam, flum ex lino, ceram, pulverem medicinale, & similia. Qui autem pulverem, nivem, calicem, seu muscam præter voluntatem deglutiverit, certe non solveret jejunium, cum non sit comestio, sed respiratio; contra vero si sponte hæc trajiceret.

38. *Quæst. 2.* An sit peccatum cibum sumere, vel expuere statim a Communionem? R. neg. ex S. Th. & communi DD. nisi in expuendo esset periculum ejiciendi particulam aliquam hostiæ, quæ forte remanserit in ore. Quod ad comestionem attinet, ait S. Th. 3. p. q. 80. a. 8.

*debet esse aliqua mora inter sumptionem hujus Sacramenti, & reliquos cibos.* Itaque ob reverentiam Sacramento debitam non vacaret culpa veniali, qui statim a communionem aliquod manducaret, nisi legitima causa excusaret. Quanto autem tempore durent in stomacho species consecratæ, non est facile definire, cum id pendeat tum ex qualitate stomachi, tum ex qualitate specierum. Sane post horæ quadrantem species omnes censentur consummatæ; quod tamen est valde incertum.

39. *Quæst. 3.* An pollutio nocturna, & actus conjugalis communionem impediunt? R. Si pollutio fuerit involuntaria, non impedit Communionem, cum nulla sit culpa, saltem gravis. Pium tamen est consilium eo mane ab Eucharistia abstinere ob specialem reverentiam Sacramenti, nisi contrarium exigat vel utilitas magna, vel necessitas. Quod si voluntaria fuerit, potest qui eam est passus confiteri, & ad Communionem accedere sine mortali; non tamen carebit culpa levi, tum ob indecentiam, tum quia voluptas præterita mentem abstrahit ab ea devotione, & reverentia, quam postulat cibus Eucharisticus. Idem dico de eo, qui sine culpa gravi usus est actu conjugii ob solam voluptatem, qui sine veniali culpa raro accedit ad mensam Eucharisticam: uterque tamen potest sine ulla culpa, atque etiam cum fructu communicare, si justa causa intercedat, ut jubilæum, scandalum vitandum, vel alia necessitas, vel utilitas. S. Th. 3. p. q. 80. a. 6.

40. *Quæst. 4.* An sordes corporis impediunt Communionem? R. Si occultæ sint, communioni non officiant, sicut non obsunt veræ sanctitati. Hinc de muliere menstruata scribit S. Gregorius ep. ad Aug. *si ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est; sed si percipiat, non judicanda.* Si autem sint maculæ externæ, mundandæ sunt, si fieri possit, antequam ad sacram mensam accedatur; ita enim postulat reverentia debita Sacramento.

*Nota:* Congruum etiam est accedere ad Eucharistiam positis armis, nisi accedens sit miles S. Joannis Hierosolymitani, qui tanquam insigne Ordinis communicans portat gladium in testimonium zeli pro fide tuenda.

Sacerdos cum laicorum more communicat, debet esse stola indutus ex Conc. Bracchar. III. & præscripto Rit. Romani.

41. *Quæst. 5.* Quales sunt effectus Sacramenti Eucharistiæ? R. primus & præcipuus est conferre augmentum gratiæ ex Flor. & Trid. Sess. 13. c. 2. Aliquando vero ex accidenti confert primam gratiam, v. g. si quis ignorans esse in mortali, vel credens sese contritum, accedit ad Communionem cum sola attritione, tunc de attrito fit contritus, ut docet S. Th. 3. p. q. 72. a. 7. II. effectus est remittere venialia, sive id fiat immediate ex opere operato, ut multis placet, sive ut alii docent, excitando charitatem, per quam venialia solvantur. III. est præservare a mortali, robur, & gratiam animæ conferendo. Hinc Trid. Sess. 13. c. 2. ait, hoc Sacramentum

esse antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservamur. IV. effectus est remittere pœnam temporalem peccatis debitam ratione actuum charitatis, qui per Sacramentum excitantur. V. est spiritualis dulcedo, & facilitas ad spiritualia peragenda. VI. unio specialis cum Christo, & membris ejus ex illo Joan. 7. *in me manet, & ego in eo.* VII. adeptio gloriæ ex illo: *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Joan. 7.

42. *Quæst. 6.* An peccatum veniale impediatur effecta Communionis, & an culpa careat, qui cum illo ad communionem accedit? R. cum S. Th. & communi sententia, præcipuum Communionis effectum, nempe augmentum gratiæ non impediri per veniale peccatum, eo quod Sacramenta causent gratiam per modum causæ necessariæ ex opere operato, qui effectus solum potest cessare in eo, qui ponit obicem gratiæ sanctificanti, nempe mortale. Nihilominus per venialia, comitantia Communionem, puta temporem, distractionem voluntariam, defectum actualis devotionis, & similia impediuntur effectus secundarii, scilicet spiritualis dulcedo, imminutio fomitis concupiscentiæ, actuales gratiæ, quæ pro majori, vel minori accedentis dispositione conferuntur. Hinc licet nullum sit peccatum accedere ad communionem in statu peccati venialis; erit tamen culpa venialis communicare cum veniali deliberato comitante ipsam Communionem, sicut & cum affectu ad venialia, sine ipsorum dolore præmisso.



43. Unde patet, quantum intersit communicanti se diligenter præparare per actus fidei, spei, & charitatis, per veram sui demissionem, & omnis culpæ detestationem. Pariter quantum intersit non statim a communione, ut fit a multis animum ad alia divertere, sed tempus illud, quod S. Theresia merito pretiosum vocat, in oratione, gratiarum actione, & suavibus cum Jesu colloquiis impendere, cum inde magna ex parte fructus copiosus gratiæ proveniat. Quin imo S. Carolus, alique Viri Sancti monent eos, qui cibum Eucharisticum sumpserint, ut ea præsertim die linguam, & ceteros sensus ab omni inordinata affectione cohibeant.

## CAPUT IV.

## De Missæ Sacrificio.

44. *Quæst. 1.* An & quale sit Eucharistia Sacrificium? R. Missam esse verum Sacrificium fide constat ex Trid. *Sess. 22. c. 1. & Can. 2. 3. & 4.* Ratio autem est, quia Sacrificium est *oblatio facta Deo per immutationem alicujus rei, in signum supremis dominii, ex legitima institutione.* Quæ omnia Eucharistiæ in Missa conveniunt; per consecrationem enim, & sumptionem mystice immolatur Christus, qui est victima, & offertur Æterno Patri in recognitionem supremi dominii vitæ, & mortis; atque ita a Christo fuit institutum, ut Sacerdotes in ejus persona offerrent. Hoc autem Sa-

crificium continet in se rationes omnes Sacrificiorum antiquæ legis; est enim *holocaustum* in recognitionem Divinæ excellentiæ, *Eucharisticum* in gratiarum actionem; *propitiatorium* pro nostris peccatis, & *impetratorium* gratiarum per merita Christi. Nec differt quoad substantiam a Sacrificio Crucis, non solum quia eadem est persona, & victima; quæ offertur, sed quia ratio formalis oblationis est omnino eadem, scilicet protestatio supremi Dei dominii. Differunt autem accidentaliter, cum illud cruentum fuerit, istud incruentum, in illo mors vera, & physica, intercesserit, in isto mystica tantum; illud per Redemptorem ipsum obratum Patri fuerit, istud non nisi ministerio Sacerdotum; illud meritorium fuerit, quia in eo solutum fuit pretium nostræ redemptionis; in hoc vero tantum applicentur merita Christi.

45. *Quæst. 2.* In quo consistat essentia Sacrificii Eucharistici? R. alii eam constituunt in oblatione, alii in sumptione, alii denique cum Suario in sola consecratione. Bellarminus autem forte probabilius eam docet consistere partim in consecratione, partim in sumptione. Quicquid sit de hac controversia, certum est sumptionem pertinere ad integritatem Sacramenti, adeoque in Rubrica Missalis præscribitur: *si Sacerdos graviter infirmetur, aut moriatur post consecrationem corporis tantum, ante consecrationem sanguinis; vel utroque consecrato, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab illo loco, ubi ille desit; & in casu necessita-*

43. Unde patet, quantum intersit communicanti se diligenter præparare per actus fidei, spei, & charitatis, per veram sui demissionem, & omnis culpæ detestationem. Pariter quantum intersit non statim a communione, ut fit a multis animum ad alia divertere, sed tempus illud, quod S. Theresia merito pretiosum vocat, in oratione, gratiarum actione, & suavibus cum Jesu colloquiis impendere, cum inde magna ex parte fructus copiosus gratiæ proveniat. Quin imo S. Carolus, alique Viri Sancti monent eos, qui cibum Eucharisticum sumpserint, ut ea præsertim die linguam, & ceteros sensus ab omni inordinata affectione cohibeant.

## CAPUT IV.

## De Missæ Sacrificio.

44. *Quæst. 1.* An & quale sit Eucharistia Sacrificium? R. Missam esse verum Sacrificium fide constat ex Trid. *Sess. 22. c. 1. & Can. 2. 3. & 4.* Ratio autem est, quia Sacrificium est *oblatio facta Deo per immutationem alicujus rei, in signum supremis dominii, ex legitima institutione.* Quæ omnia Eucharistiæ in Missa conveniunt; per consecrationem enim, & sumptionem mystice immolatur Christus, qui est victima, & offertur Æterno Patri in recognitionem supremi dominii vitæ, & mortis; atque ita a Christo fuit institutum, ut Sacerdotes in ejus persona offerrent. Hoc autem Sa-

crificium continet in se rationes omnes Sacrificiorum antiquæ legis; est enim *holocaustum* in recognitionem Divinæ excellentiæ, *Eucharisticum* in gratiarum actionem; *propitiatorium* pro nostris peccatis, & *impetratorium* gratiarum per merita Christi. Nec differt quoad substantiam a Sacrificio Crucis, non solum quia eadem est persona, & victima; quæ offertur, sed quia ratio formalis oblationis est omnino eadem, scilicet protestatio supremi Dei dominii. Differunt autem accidentaliter, cum illud cruentum fuerit, istud incruentum, in illo mors vera, & physica, intercesserit, in isto mystica tantum; illud per Redemptorem ipsum obratum Patri fuerit, istud non nisi ministerio Sacerdotum; illud meritorium fuerit, quia in eo solutum fuit pretium nostræ redemptionis; in hoc vero tantum applicentur merita Christi.

45. *Quæst. 2.* In quo consistat essentia Sacrificii Eucharistici? R. alii eam constituunt in oblatione, alii in sumptione, alii denique cum Suario in sola consecratione. Bellarminus autem forte probabilius eam docet consistere partim in consecratione, partim in sumptione. Quicquid sit de hac controversia, certum est sumptionem pertinere ad integritatem Sacramenti, adeoque in Rubrica Missalis præscribitur: *si Sacerdos graviter infirmetur, aut moriatur post consecrationem corporis tantum, ante consecrationem sanguinis; vel utroque consecrato, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab illo loco, ubi ille desit; & in casu necessita-*

tatis etiam per non jejunum. Et idem docet S. Th. 3. p. q. 83. art. 6. ex Conc. Tolet. VII. Ratio autem Sacrificii requirit consecrationem sub utraque specie; nam si panis tantum absque vino vel istud sine pane offeratur, erit quidem Sacramentum, sed non erit Sacrificium. Ita DD. communiter, paucis exceptis.

46. *Quæst.* 3. Quisnam sit offerens Sacrificium Missæ, & pro quibus offerri possit? R. Christus Dominus est præcipuus Sacerdos, offerens se ipsum hostiam vivam Æterno Patri, ut constat ex Trid. Sess. 22. c. 2. Ministri autem Christi sunt Presbyteri, quibus solum inest potestas consecrandi corpus, & sanguinem Christi, & re ipsa consecrant quantumvis hæretici, excommunicati, cet. ut ab eodem Trid. declaratur Sess. 23. c. 1. Tota pariter Ecclesia dicitur offerre Sacrificium per Sacerdotes; fideles autem per eorum manus offerunt, idque tribus modis. Primo generali, & communi ratione, quatenus Sacerdotes agunt ut publici Ecclesiæ Ministri, & pro fidelibus omnibus offerunt. Secundo magis speciali ratione, nempe assistendo Sacrificio, 3. procurando, ut pro ipsis nominatim celebretur. Certum est autem posse offerri Sacrificium pro fidelibus omnibus tum vivis, tum defunctis, ut definit Tridentinum Sess. 22. c. 2. idque, ut ait, *juxta Apostolorum traditionem*. Certum est item Sacerdotem, ut personam privatam, posse offerre pro excommunicatis, hæreticis, & infidelibus; sed pro excommunicato non tolerato offerre nequit nomine Ecclesiæ, & ut

Minister ejus. An autem id possit Ecclesiæ nomine pro iis, qui tolerentur, uti & pro infidelibus, res est utrinque probabilis.

47. *Quæst.* 4. An Missa defunctorum plus istis prosit, quam Sanctorum Missæ? R. S. Th. Suppl. q. 71. art. 9. ad 2. *Ex parte Sacrificii oblativæ qualiter prodest defuncto, de quocumque dicitur, sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinata; sed tamen hic defectus recompensari potest per majorem devotionem, vel ejus, qui dicit Missam, vel ejus, qui jubet dici, vel iterum per intercessionem Sancti, cujus suffragium Missa imploratur.*

48. *Quæst.* 5. Quod sunt effectus Sacrificii Missæ? R. quatuor sunt præcipui, quorum primus est remissio peccatorum, impetrando auxilium ad pœnitentiam, per quam peccata deleantur. Ita TT. omnes cum S. Th. ex Trid. Sess. 22. c. 2. dicente; *Hujus (Sacrificii) oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia dimittit*. Idem dico de venialibus contra Canum, & Valentiam, qui volunt venialia remitti ex virtute immediata Sacramenti. 2. effectus est, per se remittere pœnas peccatorum hominibus justis, pro quibus offertur, ut definit Trid. Sess. 25. c. 3. est augmentum gratiæ, sive id fiat per se, ut nonnullis placet, seu impetrando auxilium ad perficiendos actus, quibus gratia augeatur, ut verius docet Suarez cum communi sententia. 4. effectus est impetratio bonorum spiritualium, & temporalium, quatenus ista prosunt animæ bonis, ex Trid. laudato.

49. *Quest. 6.* Quantus sit valor Sacrificii Missæ? R. si sacrificium istud in se ipso consideretur, est infiniti pretii, cum in eo hostia, quæ offertur, sit valoris infiniti, & infinita sit in merito persona Christi, quæ est principalis offerens. In quo nulla esse potest inter Catholicos DD. controversia. Si vero consideretur in eo Sacerdos offerens, & iis, pro quo offeretur, erit quidem finiti valoris, non quidem quoad sufficientiam, sed quoad applicationem, ad eum fere modum, quo Sacrificium Crucis in genere satisfactionis fuit infiniti valoris, sed non nisi finito modo applicatur hominibus secundum uniuersumque dispositiōnem. Sic etiam Sacramenta, licet infinita virtutem polleant, effectum tamen limitatum operantur. Ita D. Th. 3. p. q. 79. art. 5. Hinc Sacrificium Missæ quoad fructum ejus principalem tam prodest, si offeratur a bono, quam a malo Sacerdote, cum valor sit ex opere operato pendens a meritis Christi. Quoad fructuum vero precum valent etiam ipse preces, factæ a Sacerdote nequam, quatenus hic orat nomine Ecclesiæ; non valent autem, quatenus orat proprio ipsius nomine. Hinc Alex. III. *Can. 90.* ait: *Sacerdotes quanto digniores sunt, tanto facilius, pro quibus clauant, exaudiuntur.* Censet autem D. Th. 3. p. q. 82. art. 7. quod si celebrans sit excommunicatus, *orationes ejus efficaciam non habent, quia est ab Ecclesiæ unitate separatus.* Quod solum habere locum, putant Roncaglia, Layman, & alii de excommunicato vitando, non ita de tolerato.

50. *Quest. 7.* An, & quando Sacerdos te-

neatur celebrare? R. S. Thomas, Suarez, & communis Theologorum docent, Sacerdotes omnes sub gravi teneri saltem in præcipuis anni fetis celebrare 1. ex Divino præcepto, contento in ep. ad Heb. 5. *omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat bona, & sacrificia pro peccatis.* Et ex verbis Christi Lucæ 22. *hoc facite in meam commemorationem.* Quæ verba declarat Tridentinum Sess. 22. c. 1. continere verum præceptum. 2. ex Eccl. præcepto, cum in cap. *dolentes 9. de celeb.* Innoc. III. suspensionis pœna afficiat eos, qui *vix ter, aut quater in anno celebrant.* Et Trid. Sess. 23. de Reform. c. 14. ait: *Curet Episcopus, ut Sacerdotes, saltem diebus dominicis, & festis solemnibus Missas celebrent.* Et hæc sententia conformis est decreto S. Cong. Concilii, edito Nov. 1696, ubi dicitur: *qui sine justa causa ter, vel quater in anno non celebravit, peccat mortaliter, & potest ab Episcopo puniri.* Itaque jure merito opinio contraria Cajetani jussu Pii V. expuncta est ex ejus commentariis. Quamvis autem aliqui exissent a mortali Sacerdotem non celebrantem, secluso scandalo, ipsi tamen fatentur eum vix posse scandalum evitare, si non celebret per totum annum absque evidenti causa, cum signum sit prævæ conscientiæ. Idem sentit Suarius de eo, qui per diuturnum anni tempus, puta per sex, vel octo menses, non celebraret.

51. Quænam autem sint præcipua festa, quibus Sacrum facere tenetur Sacerdos, varie Auctores explicant. Sotus intelligit Festa Nativita-

tis, Paschatis, & Pentecostes, quibus olim Fideles communicare consueverunt. Alii addunt festa solemnia Christi Domini, & B. Mariæ, quibus nonnulli adjungunt dies omnes Dominicos, & festos solemniores. Parochi profecto tenentur celebrare, quoties populus tenetur Missam audire, ut docet Bened. XIV. ad mentem Concilii Tridentini. In Ecclesiis autem Cathedralibus, Collegiatis, & Conventualibus quotidie debet una Missa cantari, aut saltem privatim celebrari, idque ex præcepto, quamvis in hoc servari debeat antiqua uniuscujusque Ecclesie consuetudo.

52. *Quæst. 8.* Quo loco, & tempore liceat celebrare? R. in rubrica Missalis dicitur: *Missæ privata, saltem post Matutinum, & laudes quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.* Ex privilegio autem, vel ex consuetudine, ab Episcopis tolerata celebrari potest paulo ante auroram, & paulo post meridiem, scilicet uno, vel altero quadrante. Imo si necessitas gravis urgeat, v. g. dandi viaticum infirmo, potest fieri sacrum pluribus horis ante solis ortum, atque etiam ubi consuetudo viget, potest hyeme anteverti Sacrum in gratiam opificum. In die Nativitatis Domini statim a media nocte canitur Missa sollemnis, sed aliæ duæ celebrari nequeunt ex pluribus S. Cong. decretis ante auroram, uti & privatæ Missæ, neque potest ante illam distribui Eucharistia. Non licet Missam celebrare feria 6. Majoris hebdomadæ; feria autem quinta ejusdem, & sabbato non potest privatim celebrari ex pluribus decretis, & praxi Ecclesiæ,

nisi in feriam quintam incidat festum Anuntiationis B. Mariæ vel S. Joseph, quia tunc datur facultas in quibusdam Ecclesiis celebrandi, ut populus præcepto audiendi Sacrum satisfiat.

53. Nemini licet, una, eademque die plures Missas peragere, nisi in die Nativitatis, aut si Parochus duas habeat Parochias dissitas, nec sit alius Sacerdos, qui possit commode in alia celebrare ut declaravit Bened. XIV. decreto edito 16. Martii 1746, qui omnino reprobatur usum celebrandi duas Missas ab eodem Presbytero in die feriali, ne populus freuens numero sacro privetur. Et quamvis olim licuerit Parochi in die festivo secundam Missam pro defuncto celebrare, id tamen non licet juxta presentem disciplinam, quæ permittit, ut relicta Missa die, possit cani Missa pro defuncto, si præsens sit cadaver. *in Hispania ex indulto Bened. IX. celebrari possunt tres Missæ in die omnium defunctorum, sed una saltem est applicanda pro defunctis, & quidem sine stipendio.*

54. Circa locum, in quo Missa celebranda est, constat ex Trid. Sess. 21. non licere sacrum facere, nisi in Ecclesia, vel Oratorio ab Episcopo consecrato, vel benedicto, nisi gravis necessitas excuset. Talis autem erit, si Ecclesia diruta sit, & alias populus carebit Missa; & sic conceditur c. 2. *de consecr. dist. 1.* Item si populum in solempni festo templum non capiat, ut cum Lugo docet Bened. XIV. *de Sacr. Missæ lib. 3. c. 3.* Pariter in castris pro exercitu, sed festis tantum diebus, quamvis etiam ferialibus permitti solet in tentoriis Principum, aut Du-

eum, præmissa tamen, si fieri possit, licentia Ordinarii. Præterea id licet in portu, ne navigantes; qui navem deserere nequeunt, priventur sacro; non tamen in flumine, vel in mari ob periculum effusionis sanguinis. Ubi tamen viget contraria praxis ob indulta R. Pontificis, ut in Lusitania, & alibi, solum permittitur in magna tranquillitate maris, & assistente celebranti alio sacerdote, qui post consecrationem teneat calicem. Facultas autem celebrandi in altari portatili reservata est S. Pontifici, a quo solo potest etiam permitti celebratio in oratoriis privatis, in quibus non sit janua, habens ingressum per viam publicam. Plura de Oratoriis privatis vide apud Auctorem.

## CAPUT V.

*De violatione Ecclesie, reconciliatione,  
& execratione.*

55. *Quæst. 1.* An liceat Missam celebrare in Ecclesia violata? R. non licere, idque sub gravi peccato, nisi in gravi necessitate. Ratio est, quia est contra prohibitionem Ecclesie in re gravi, ad Religionem pertinente. Sed ita celebrans non incurrit suspensionem; quæ solum indicitur celebrantibus in loco interdicto, ut notat cum Suario Bened. XIV. lib. 3. de *Sacrif. Missæ*. Jam vero necessitas sufficiens ad Divina mysteria peragenda in loco violato censetur, si populus aliam Ecclesiam non habeat, ubi Missam audiat. Petenda tamen est ab Episco-

po venia, si adiri possit, si secus autem, sine ea est celebrandum. Ita Card. de Lugo, & alii. Nomine autem Ecclesie non intelliguntur oratoria privata, quæ non sint benedicta, neque sit in eis altare ad facienda Sacra; neque turris Ecclesie, Sacristia, tectum, fornices cryptæ, pavementum subterraneum, nisi sit sepultura, bene vero capellæ, quæ sunt partes ipsius Ecclesie.

56. *Quæst. 2.* Quibus actionibus Ecclesia, & cœmenterium violentur, seu polluantur? R. 1. ut violetur Ecclesia, requiritur ut delictum sit publicum, & notorium, saltem notorietate facti, ut constat ex c. *significasti de adult.* & ut delictum, per quod polluitur, sit grave peccatum. R. 2. Ecclesia 1. polluitur per effusionem seminis, vel sanguinis humani, quæ sit voluntaria, & copiosa. 2. per homicidium voluntarium, & injuriosum saltem immunitati Ecclesie, etiamsi fiat asque effusione sanguinis. Non tamen polluitur per vulnus inflictum extra Ecclesiam, etiamsi vulneratus postea ad Ecclesiam confugiat, & ibi moriatur. Contra vero si vulnus fiat intra Ecclesiam, & sanguis fundatur extra illam, violata censetur per actionem injuriosam, qua causatur effusio.

57. Ex dictis fit, Ecclesiam non violari, 1. per homicidium factum casu, vel ab amente. 2. per illud factum in sui defensionem. 3. per pauculas guttas sanguinis. 4. per levem percussionem, v. g. narium in rixa puerorum, etiamsi copiosus sanguis effluat, quia ut plurimum evenit absque peccato gravi. 5. per inculpam pol-

lutionem, vel fornicationem ab amente factam. Addunt aliqui acrum conjugalem; sed melius alii censent; per illum etiam violari Ecclesiam, nisi conjuges versentur in morali necessitate. Suarez, Sanctius, Holzmanus.

58. Polluitur etiam Ecclesia per sepulturam excommunicati non tolerati ex c. 7. *de consecr.* Non tamen si sepeliatur hæreticus nominatim non denunciatus, præsertim in locis, ubi isti tolerantur. Item polluta censetur Ecclesia, ubi sepultus sit infidelis, quamvis de infante non baptizato multi negent. Semper tamen esset illicitum, ipsum in loco sacro sepelire, ut fatentur omnes. Porro Ecclesia polluta polluuntur altaria, atque etiam contingunt ei cœmeterium; quia ex proverbio accessorium sequitur principale, non tamen e contrario.

59. *Quest. 3.* Quo modo tollatur Ecclesiæ pollutio? R. si sit consecrata ab Episcopo, solum potest reconciliari ab Episcopo, idque ritu in Pontificali præscripto. Si vero tantum sit benedicta, potest fieri reconciliatio a quocumque Sacerdote per aspersionem solum aquæ benedictæ, sed præcedere debet Episcopi delegatio ex Rituali Romano. Regulares habent a R. Pontifice privilegium templi sua reconciliandi. Per solum autem celebrationem non reconciliatur Ecclesia, ut merito tradit Lugo, cum ex nullo jure constet celebrationem vicem gerere posse conciliationis.

60. *Quest. 4.* Quando fiat execratio Ecclesiæ? R. Cum perdit suam consecrationem, idque fit, cum ita destruitur, ut usum, & formam

suam amittat. Censetur autem execrata Ecclesia, cum parietes secundum majores sui partem destruuntur, vel eorum crusta, aut major saltem pars corruat. Quod si tectum corruat, consecrati manent parietes: item si una post alteram pars muri destruat, quia quæcumque pars accedens manet consecrata, cum majus dignum trahat ad se minus. Idque locum habet, etiam si animus sit totam per intervalla Ecclesiam instaurandi, ut ait Nav. Suar. Barbosa; quia intentio illa non officit, quominus consecratio perduret.

61. *Quest. 5.* Quando execratur altare, & reliqua ad Missam pertinentia? R. altare execratur, si cum fixum est, lapis consecratus removeatur ab inferiori ejus structura, non tamen si aliqui tantum lapides structuræ dimoveantur, neque si tota mensa cum lapidibus alio transferatur. Quod si altare sit portatile, minime execratur, etiamsi ara moveatur a lignis, vel a capsula, ubi ara est inclusa, cum illa capsula non pro forma, sed ad custodiam aræ sit instituta. Textus autem juris prohibentes separationem, intelliguntur de alteri fixo. Sive autem fixum sit, sive portatile execratur, dum ita frangitur, ut in nulla ejus parte consistere possit calix cum patena. In cap. autem 3. *de Consecr.* præcipitur, ut altaris tabula denuo consecratur, *si enormiter fracta fuerit.* An autem ara fieri possit ex duobus lapidibus conjunctis? affirmant aliqui, sed melius negat communis sententia.

62. Calix execratur, si ita frangatur, ut fiat inutilis ad usum sacrificii; ut si foramen fiat in

ejus fundo, non ita si sit in parte ipsius superiore, ita ut retinere possit sacras species. Execratur, etiam, si cuppa separetur a pede, cui est affixa. Quod si pes sit tornatilis, non amittit consecrationem, cum re veram formam non perdat, sed omnes ejus partes sine novo artificio jungi possint. Ita Suarez, Roncaglia, aliique communiter, quamvis aliqui cum S. Antonino velint etiam amitti consecrationem. Sunt etiam, qui affirmant execrari calicem, si pereat inauratio, eo quod tota unctio fiat in superficie calicis. Negant tamen probabilis Lugo, Spöter, Tournelyus cum Suarez, quia licet unctio fiat solum in superficie calicis, tamen tota calicis moles consecratur.

63. An autem calix, qui denuo inauratur, nova indigeat consecratione, res est utrinque probabilis. Afirmat Suarius cum aliis, quia calix consecratur propter contactum sanguinis Christi, adeoque non consecrata illius superficie, necessario calix est consecrandus. Mihi tamen videtur probabilior contraria sententia, cui subscribit Tournelyus; nam si amittendo inaurationem, consecrationem calix non amittit, ut communis est doctrina Theologorum, consequens videtur, ut consecrationem non perdat, si de novo inauratur; quemadmodum si Ecclesia consecrata denuo dealbetur, nova non eget consecratione. Superficies enim aurea, quæ recens calici adhibetur, fit sacra per conjunctionem cum calice consecrato, ut pars assuta lacero corporali, manet benedicta ex *c. unico de Consec. Eccl.*

64. Denique vestes sacræ amittunt bene-

dictionem, cum ita destruuntur, ut non possint ulterius deservire ad proprios uniuscujusque usus. Corporale v. g. dum fractione, vel diminutione redditur ineptum ad continendum honeste calicem cum patena; alba, cum ab ea manica abscinditur; cingulum, cum ita rumpitur, ut neutra pars cingere possit; stola cum non potest humeros operire; & idem dicendum, si aliqua ejus pars scinditur, quamvis statim sarciatur, quia jam suam formam amisit. Secus autem si attritis aliqua pars assuatur, vel manente parte principali, & sufficiente, altera annectatur, quia accessorium sequitur principale. Pariter si stola, vel casula duplicata, facili separatione fiant duæ, quarum utraque apta sit ad sacrificium, non perdunt benedictionem.

Nota: quamvis partes rei consecratæ, destructa ejus forma, desinant esse sacræ, non possunt applicari ad usus profanos, sed aut igne consummendæ sunt, aut ad alios sacros usus adhibendæ ex *c. altaris de consecr. V.* alia apud auctorem.

## CAPUT VI.

## De Missæ applicatione, &amp; stipendio.

65. Sicut solus Sacerdos offerre potest immediate Missæ Sacrificium ex tradita sibi a Christo potestate, ita ipsius est solum applicare ejus fructum sive pro uno, sive pro pluribus, seu vivis, seu defunctis. Hinc valide applicat, etsi peccet, applicando contra voluntatem Superiorum; est enim actus potestatis Ordinis, quæ



ejus fundo, non ita si sit in parte ipsius superiore, ita ut retinere possit sacras species. Execratur, etiam, si cuppa separetur a pede, cui est affixa. Quod si pes sit tornatilis, non amittit consecrationem, cum re veram formam non perdat, sed omnes ejus partes sine novo artificio jungi possint. Ita Suarez, Roncaglia, aliique communiter, quamvis aliqui cum S. Antonino velint etiam amitti consecrationem. Sunt etiam, qui affirmant execrari calicem, si pereat inauratio, eo quod tota unctio fiat in superficie calicis. Negant tamen probabilis Lugo, Spöter, Tournelyus cum Suarez, quia licet unctio fiat solum in superficie calicis, tamen tota calicis moles consecratur.

63. An autem calix, qui denuo inauratur, nova indigeat consecratione, res est utrinque probabilis. Afirmat Suarius cum aliis, quia calix consecratur propter contactum sanguinis Christi, adeoque non consecrata illius superficie, necessario calix est consecrandus. Mihi tamen videtur probabilior contraria sententia, cui subscribit Tournelyus; nam si amittendo inaurationem, consecrationem calix non amittit, ut communis est doctrina Theologorum, consequens videtur, ut consecrationem non perdat, si de novo inauratur; quemadmodum si Ecclesia consecrata denuo dealbetur, nova non eget consecratione. Superficies enim aurea, quæ recens calici adhibetur, fit sacra per conjunctionem cum calice consecrato, ut pars assuta lacero corporali, manet benedicta ex *c. unico de Consec. Eccl.*

64. Denique vestes sacræ amittunt bene-

dictionem, cum ita destruuntur, ut non possint ulterius deservire ad proprios uniuscujusque usus. Corporale v. g. dum fractione, vel diminutione redditur ineptum ad continendum honeste calicem cum patena; alba, cum ab ea manica abscinditur; cingulum, cum ita rumpitur, ut neutra pars cingere possit; stola cum non potest humeros operire; & idem dicendum, si aliqua ejus pars scinditur, quamvis statim sarciatur, quia jam suam formam amisit. Secus autem si attritis aliqua pars assuatur, vel manente parte principali, & sufficiente, altera annectatur, quia accessorium sequitur principale. Pariter si stola, vel casula duplicata, facili separatione fiant duæ, quarum utraque apta sit ad sacrificium, non perdunt benedictionem.

Nota: quamvis partes rei consecratæ, destructa ejus forma, desinant esse sacræ, non possunt applicari ad usus profanos, sed aut igne consummendæ sunt, aut ad alios sacros usus adhibendæ ex *c. altaris de consecr. V.* alia apud auctorem.

## CAPUT VI.

## De Missæ applicatione, &amp; stipendio.

65. Sicut solus Sacerdos offerre potest immediate Missæ Sacrificium ex tradita sibi a Christo potestate, ita ipsius est solum applicare ejus fructum sive pro uno, sive pro pluribus, seu vivis, seu defunctis. Hinc valide applicat, etsi peccet, applicando contra voluntatem Superiorum; est enim actus potestatis Ordinis, quæ

potestas a Superiore non dependet. Ita communis doctrina contra Scotum, & alios. Quod si Sacrificium nulli applicetur, vel ei, qui non est capax, fructus remanet in thesauro Ecclesiae, vel cedit ipsi Sacerdoti, vel illis, pro quibus applicare debuit; hæc enim creditur fuisse tacita ipsius intentio. Hinc cum dubitatur in Missis gratuitis, an ille, pro quo applicatur, sit capax, necne fructus, consultius est sub conditione applicare vel pro illo, vel pro nobis ipsis, vel pro aliis. In Missis vero debitis ex stipendio, debet pro illo applicari, cui debetur; quod si ille sit incapax, pro ejus propinquis, vel pro iis, pro quibus fuerit ejus implicita voluntas ut applicaretur.

66. *Quest. 1.* Quænam sufficiat applicatio Missæ? R. sufficere habitalem, scilicet eam, quæ aliquandiu habita est, & non est revocata; & hanc esse omnium praxim testatur Gobat; nec in re dissentit Concina; quamvis enim exigat intentionem virtualem, eam tamen ita explicat, ut cum nobis consentiat. Ait enim, si quis accepit stipendia pro Missis viginti, & hodie celebrare incipit cum animo diebus sequentibus pro offerente celebrandi, tunc sufficere primam intentionem, licet eam diebus sequentibus alio distractus non renovet. Ratio autem nostra est, quia applicatio Missæ se habet ad instar donationis verbalis, quæ semel facta valet, donec revocetur. Nec est eadem ratio in Sacramento, in quibus intentio efficit ipsum Sacramentum, & re ipsa illud influit; quod non accidit in intentione applicationis

Missæ, sine qua ex se fructus oritur, & solum requiritur, ut alicui in particulari fructus obveniat.

67. *Quest. 2.* Quando fieri debeat applicatio? R. 1. opus non est, ut fiat in ipso sacrificio; sufficit enim, ut antea facta sit, & non revocata, ut dictum est, etsi postea de illa non cogitet Sacerdos. Potest etiam fieri in ipso sacrificio, saltem ante consecrationem, ut docet communis sententia, quamvis aliqui dicant sufficere, si fiat applicatio ante sumptionem, *quod tamen non probat.* R. 2. si post consecrationem nulli fuerit applicata, non potest ulli postea applicari, & multo minus stipendium accipi. Producit enim effectum quando existit sacrificium, nec vero effectus ille suspenditur.

68. *Quest. 3.* An valeat applicatio Missæ sub conditione? R. valere, si applicetur sub conditione jam impleta, v. g. ob intentionem, quam habuit Superior; non autem sub conditione futura contingente, v. g. pro illo, qui prius morietur, vel secundum intentionem, quam quis cras habebit. Pariter neque valet si applicetur pro causa quæ adhuc non existit, adeoque jure merito damnata est a Paulo V. consuetudo applicandi Missam pro iis, qui primum offerent stipendium, *tanquam pluribus nominibus periculosa, fidelium scandalis obnoxia, atque a vetusto Ecclesiæ more nimium aberrans.*

69. *Quest. 4.* An liceat Sacerdoti accipere stipendia pro Missæ celebratione? R. id licere, ut constat ex communi praxi, probata ab Ecclesia contra Wiclefistas id improbantem. Nam ut

ait D. Th. 2. 2. q. 10. a. 2. *Sacerdos non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suæ sustentationis.* Quæ consuetudo subrogata est in locum oblationis panis, & vini, & similium, quam fideles faciebant, quæque ex parte cedebat in profectum Sacerdotum, ut erudite tradit Bened. XIV. in lib. V. de Syn. ubi etiam c. VIII. legitur PP. Concilii Tolet. ann. 4324. vetuisse, ne ullus Sacerdos quicquam vel minimum pro Missa exigeret, sed eleemosina sponte oblata contentus esset. Consuetudo autem hodierna permittit eleemosynas accipere pro Missa non solum pauperi Sacerdoti, sed etiam diviti, quia operarius quisque dignus est mercede sua, & ut ait Apostolus 1. ad Cor. 9. *Quis suis stipendiis militat unquam?* accidentarium autem est, ut quis aliunde sustentari possit, nec debet id officere Sacerdoti, sicut militi alioquin diviti non officit, quo minus stipendia sua accipiat.

70. *Quæst. 5.* Quo tempore debeat Sacerdos celebrare Missas, pro quibus accepit stipendium? R. 1. graviter peccare Sacerdotem, qui accipiens stipendium, ut Sacrum faciat in tali die, differat in alium diem nisi causa sit justa differendi, ut ipse interpretari possit tacitum dantis consensum. Talis autem præsumi nequit, cum datur ad celebrandum pro gravi infirmo, pro vincenda tentatione, pro felici exitu negotii, cet. Quod si dantem pia sua intentione defraudat, agit contra justitiam, & ad restitutionem obligatur. R. 2. reum esse

gravis peccati, si diu differat, adeoque non posse accipere plures Missas, quam eas, quas celebrare potest intra tempus non longum, nisi aliud constet de mente offerentis. Ratio est, ne is, cui Missa debetur, fructu interea privetur sacrificii, & quia est veluti quidam justitiæ contractus, quo alter se obligat ad dandam eleemosynam, alter ad celebrandum justa ipsius voluntatem. Hinc S. Concilii Congregatio pluribus decretis id vetuit, & Innoc. XII. in Bulla, quæ incipit: *nuper.* Extat autem decretum editum auctoritate Urbani VIII. ubi prohibentur Sacerdotes plures eleemosynas manuales accipere, quam eas, quibus intra modicum tempus possint satisfacere.

71. R. 3. Illa verba *modicum tempus* non omnes uno modo explicant. Missis aliis opinionibus, non improbabiler censet Lugo, spatium duorum mensium non esse longum reputandum. Quam sententiam communem esse dicit Tournelius, eique subscribit. Alii limitant ad unius mensis spatium ex declaratione S. Cong. Concilii 1655. quam refert Bened. XIV. *Notif. 56.* Certe in Misis pro defunctis dilatio unius mensis merito gravis reputatur, ut Tournelyus ipse, Sporet, aliique consentiant. Cum autem Missæ plures aliqui communitati celebrandæ offeruntur, præsumitur dantis esse voluntatem, ut citius dicantur, quam si uni Sacerdoti omnes commendentur, sed in hoc maxime attendenda, est voluntas dantis, & obligationes, quibus sit satisfaciendum.

72. *Quæst. 6.* Quale stipendium pro Missa

possit accipi? R. 1. damnatae sunt ab Alex. VII. propositiones duae, quarum prima dicebat; *duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimum fructus ipsimet celebranti correspondentem*: altera autem haec erat: *non est contra iustitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre, neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam cum juramento dari stipendium, quod pro nullo alio offeram*. R. 2. Stipendium justum Missae esse illud, quod praescriptum est vel a loci consuetudine, vel a lege Synodali, si adsit, vel ab Episcopo. Ita declaravit S. Cong. C. 15. Nov. 1698. ut tradit Bened. XIV. *Notif. 56.* & ab eadem declaratum est, ut ipsemet ait, Regularibus standum esse *taxae Ordinarii juxta morem regionis*. Quod tamen nihil prohibet, quominus fideles dare possint majus stipendium, si velint, & Sacerdotes accipere, nec possunt Episcopi prohibere ut decretum est a Cong. Conc. 16. Jan. 1649. contra Episcopum Pistoriensem teste eodem Bened. XIV. *Notif. 56.* Potest tamen Episcopus vetare, ne minus justo pretium accipiatur, ne quodammodo vilescat Missae Sacrificium. Cui prohibitioni, si fiat parere debent Sacerdotes omnes, etiam Regulares, nisi grave illis inde oriretur incommodum, quia tunc praesumitur tacita venia Superioris.

73. *Quest. 7.* An licitum sit pacisci circa Missarum eleemosynas? R. Negant aliqui apud Concinam, eo quod Canones prohibeant pacta omnia, & conventiones circa stipendium

Missae ex cap. *fin de pactis*. Communis tamen opinio affirmat de pactis, quae justum stipendium non excedant; quamvis enim illud non detur ut praetium Missae, attamen cum tribuatur ex justitia pro sustentatione Sacerdotis, ut docet, D. Th., nihil officit, quod possit in pactum deduci. Canones autem, qui solent obijci, intelligi debent de pactis illicitis, ut ait Roncaglia, de quibus etiam loquitur Trident. Sess. 22. praescribens Episcopis, ut *importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones, potius, quam postulationes prohibeant*.

74. Si Testator non taxaverit stipendium Missarum, standum est taxae per consuetudinem admissae; sin autem, taxandum est ab Episcopo juxta morem illius loci, habita ratione hereditatis. Nec vero Procurator, vel Executor Testamenti, faciens celebrari Missas ubi minor est taxa, potest excessum sibi retinere; tum quia turpem ex eleemosynis quaestum faceret, tum quia nullum habet titulum, quo lucrum illud sibi retineat, cum nunquam dominium eleemosynarum sibi acquisierit. Viva in prop. damnat ab Alex. VII. Roncaglia, Concina, alii. Neque administratores Ecclesiarum possunt sibi retinere ullam vel minimam portionem eleemosynarum ratione expensarum in Missarum celebratione, nisi alios non habeant reditus; & tunc excedere non debent valorem expensarum, quae pro ipsomet Missae sacrificio necessario sunt subeundae. Ita fert decretum Cong. C. confirmatum ab Inoc. XII.

75. Non licet cuiquam partem stipendii da-

re Sacerdoti celebranti, & partem sibi retinere, ut constat ex decreto Urbani VIII. & ex prop. damnata ab Alex. VII. dicente: *Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Quod si laicus sit, qui partem eleemosynæ sibi adtribuit, Excommunicationis pœnas subit, si Clericus suspensionem ipso facto incurrit, ut decrevit Bened. XIV. in ep. Encyclica, incipiente: *Quanta cura.* Qui declarat non licere, etiam si stipendium sit majoris pretii, atque etiamsi celebrans consentiat. Excipit Roncaglia, Viva, Continuator Tournelii, & alii, si Sacerdos celebrans sponte, & omnino liberaliter condonet excessum; sicut enim potest totum remittere, sic & illius partem. Verum hoc non est admittendum, si tu indices majus pretium acceptum, & Sacerdotem roges, ut remittat; vel ab eo quæras, an consentiat; id enim videtur diserte prohibitum in prælata Bulla Benedicti.

76. Excipitur etiam Beneficiarius, qui potest licite committere Sacerdoti in celebrationem Missæ, debitam pro Beneficio, tradito stipendio congruo juxta morem loci, ut constat ex decreto S. C. approbato ab Innoc. XII. in sua Bulla nuper. Idem licet Cappellano amovibili, modo pro Capellania certi redditus sint annuatim constituti, & perpetuo Cappellano assignati; secus vero si hujusmodi Cappellano pro qualibet Missa celebranda certa detur eleemosyna. Ita declaravit C. C. 14. Martii 1725. Nec vero prohibitum est Sacerdoti, accipienti sti-

pendium pro Missa crastina die celebranda, rogare alium, ut cras pro se celebret, obligando sese vicissim pro illo alia die applicare; licet pretium utriusque Missæ sit inæquale; hoc enim solum est permutare applicationem, seu intentionem Missarum, quod in usu positum est etiam apud viros pios, & meticulosæ conscientiæ.

77. *Quæst. 8.* An qui tenentur celebrare ratione Beneficii, seu capellæ, possint accipere novum stipendium, & eadem Missa utrique obligationi satisfacere? R. si in erectione Beneficii cautum sit, celebranti non teneri ad applicationem Sacrificii, potest accipere stipendium, & pro dante applicare; nequit vero, si in fundatione vel nihil omnino vel contrarium sit expressum. Imo celebrans tenetur applicare pro anima testatoris, quando in fundatione nulla sit adjecta declaratio, ad cujus suffragium Missa sit applicanda. Ita Bened. XIV. Motif. 56. ex pluribus declarationibus S. Cong. Concilii, quæ idem decrevit circa *Capellanos Monialium, & Confraternitatum, qui celebrant, ut Confratres, vel Moniales satisfaciunt præcepto audiendi Missam.* Quæ obligatio cessabit eo tempore, quo absque ipsorum culpa capitale dotis assignatæ otiosum est, & infructiferum. Ita constat ex decreto S. C. 1686. confirmato anno 1705. An autem dari possit præscriptio circa Missarum onera, disputant Theologi; sed negans sententia videtur magis consona Trid. Sess. 24. de Ref. c. 5.

78. *Quæst. 9.* Quando Parochus teneatur Sacrificium applicare pro populo? R. Bened.

XIV. in ep. encyclica 1734., quæ incipit: *Cum semper* declarat 1. Parochos omnes, sive Sæculares, sive Regulares, aut eorum Vicarios teneri saltem diebus festis Missam parochialem pro populo applicare. 2. nomine diei festi intelligi Dominicas omnes, & alios dies, in quibus populus Missæ interesse debet, licet possit postea operibus servilibus vacare. 3. Hoc decretum comprehendere Parochos, pinguibus redditibus destitutos. Permittit Episcopis, ut cum Parocho valde paupere dispenset ad accipiendam eleemosinam in die festo, modo intra eandem hebdomadam Missas omissas populo applicet. Deinde decernit, ut Missa conventualis, quæ singulis diebus canitur a Clero, pro Benefactoribus Ecclesiarum applicetur: non esse tamen obligationem, nisi aliud ferat consuetudo, applicare pro ipsis secundam Missam conventualem, modo in *Memento Defunctorum* fiat ipsorum Commemoratio.

79. Quoad locum, tempus, intentionem, & qualitatem Missæ dicendæ, standum est menti dantis stipendium, ita ut graviter peccet, si aliter faciat sine causa, aut sine dispensatione. Non censetur autem peccati reus Beneficiarius, aut Capellanus, qui pro se, aut pro alio ter, aut quater in anno celebraverit, nisi contrarium in fundatione sit expressum. Nec in morbo tenetur alium substituere, nisi diuturnus sit v. g. ultra dies quindecim. Reductio autem Missarum hodie reservata est Sedi Apostolicæ ex decreto S. C. justa Urbano VIII. & Inn. XII. declarationem. Alia circa Missarum sti-

pendia, imminutionem, cet. vide apud auctorem.

## CAPUT VII.

*De iis, quæ ad celebrandum requiruntur.*

80. Ex Rubrica Missalis Rom. requiritur in primis altare consecratum ab Episcopo, vel saltem ara lapidea ab Episcopo consecrata, quæ possit calicem cum patena continere. Potest ara consecrari ab Abbate privilegium habente, ut habere etiam ad Ecclesias alienas Abbates Regulares, censet Barbosa cum aliis ex declaratione Cardin. & privilegio Innocentii III. Hoc altare ex eadem Rubrica operiendum est tribus mappis, sive tabulis mundis, ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat (quod tamen hodie non est in usu) aliis brevioribus, & mappa duplicata. Hactenus Rubrica Missalis.

81. *Quæst. 1.* Quale peccatum sit, sine altari, & sine mappis benedictis consecrare? R. altare, in quo sit lapis consecratus, sub mortali requiritur, ut omnes fatentur. Mortale quod est sine ulla mappa celebrare, ut DD. communiter docent, quamquam, ut bene animadvertent Concina, nulla erit culpa, si gravis intersit necessitas celebrandi. Cum duplici tantum mappa sacrum facere, non excedit culpam venialem, etiamsi tanta non sit necessitas. Idem dicitur, si mappæ non sint benedictæ; quod nec erit veniale, si justa causa excuset. Et quam-

vis in c. de consec. mappæ, & corporale debeant esse ex lino confectæ, possunt tamen fieri ex cannabæ, modo sint mundæ, quia non differunt quoad substantiam. Porro corporale debet esse benedictum, uti & palla, & purificatorium; quamquam de purificatorio multi affirmant, non indigere benedictione, præsertim cum in benedictionibus non reperiatu peculiaris benedictio ipsius.

82. *Quæst. 2.* Quales requirantur vestes sacræ ad celebrandum? R. requiri vestes ab Episcopo benedictas, nempe amictus, albam, manipulum, cingulum, stolam, & planetam, seu casulam; quæ tamen sufficit, ut benedicta sint ab Abbate, vel alio Prælato, habente privilegium, ut certè habent Mendicantes pro suis Ecclesiis. Et quidem sine ullis sacris vestibus celebrare, nunquam licet, ne in gravi quidem necessitate, essetque gravis irreverentia aliter peragere. Idem dico de aliis vestibus, quæ majores dicuntur; an autem justa, & gravi causa intercedente possit Sacrificium peragi sine cingulo, vel amictu v. g. disputant AA. & utraque opinio est probabilis.

83. Color vestium debet esse conveniens officio, & Missæ diei, ut præscribitur in Rubricis, secundum usus Ecclesiæ Romanæ. Quæ rubrica, ut aliæ ad Missam pertinentes, est perspectiva, quicquid nonnulli sentiant. Sed ut notat Sporer, non obligat sub gravi, nisi scandalum intersit, ut certe foret, si in die Paschatis, vel alio festivo celebraretur cum nigris vestibus. Color autem flavus, sive croceus cum alio quocumque

colore comparatur, cum omnes ad illum concurrant. Ita Meratius, & alii.

84. *Quæst. 3.* Quid notandum est super calicem, & patenam? R. mortale est sine calice, & patena celebrare, & quidem ab Episcopo, vel ab alio potestatem habente consecratis. Calix autem, ait Rubrica Missalis R. *debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & simul patenam intus inauratam.* In alia autem rubrica dicitur, posse esse staneum, non vero vitreum, vel æreum, scilicet cogente paupertate. De cetero non potest excusari a culpa veniali, qui celebrat in calice non inaurato, ut dicunt Lugo, & Tournelyus. In aliquibus autem Germaniæ Ecclesiis pauperculis in usu est calix æreus inauratus, teste Holzman. Disputant hic Theologi, an calix, & alia remaneant benedicta, si quis in illis sacrificet non benedictis? Res est omnino dubia, proindeque standum est praxi, & consuetudini Ecclesiæ, quæ non permittit celebrari Missam nisi cum paramentis consecratis, aut benedictis.

85. *Quæst. 4.* An liceat celebrare in altari, ubi non sit imago Crucifixi? R. neg. ex Missali Rom. & ex decreto Cong. Rituum. Et quidem hæc non debet esse adeo tenuis, & exigua, ut oculos populi adstantis effugiat, sed statuit debet inter candelabra, etiam cum expositum est SS. Sacramentum. Nec sufficit imago solum depicta, aut sola Crux, sed crux cum statua Crucifixi. Excipe, si in altari sit

jam statua magna Crucifixi, aut imago magna etiam depicta, ut refert Bened. XIV. in Const. *Accepimus* 16. Jul. 1746. Non ausim tamen damnare peccati gravis Sacerdotem, sine Cruce celebrantem, ut docent Suarez, Tournelius, & alii plurimi contra paucos.

86. *Quæst.* 5. Qualiter lumen ad Sacrificium requiratur? Duo lumina, eaque cerea ex consuetudine requiruntur. Celebrare autem sine ullo lumine nunquam licet, quacumque urgente necessitate. Si autem ista sit gravis, potest celebrari cum uno tantum lumine, vel cereo, si haberi possit, vel ex sebo, aut oleo. Extra necessitatem autem gravem non licet celebrare cum uno tantum lumine, quamquam præciso scandalo, non esset peccatum nisi veniale, modo lumen sit cereum. Esset tamen gravis irreverentia celebrare sine manifesta necessitate cum lumine ex oleo, vel sebo, quamquam aliqui excusent a mortali ita ex devotione sacrificantem, quibus subscribit Suarez, loquendo de oleo.

87. Requiritur etiam Missale, ut memoriæ fragilitati consulatur; adeo ut cum facultas Sacerdoti cæcipienti conceditur ad faciendum Sacrum de B. Virgine, & in diebus ferialibus pro Defunctis, apponi soleat clausola: *si non sit omnino cæcus, & memoriter non recitet.* Nihilominus poterit Sacerdos ob debilitatem visus memoriter recitare, modo non sit periculum errandi; sed ob reverentiam oportet Missale in altari collocare. Denique sub mortali necessarius est Minister, & quidem masculus ex

c. 1. *de cohab. Cler.* & ex Missali Rom. An autem in gravi necessitate, v. g. dandi Viaticum liceat sine Ministro celebrare? affirmant Suarez, Lugo, & alii communiter; & Tournelius addit id quoque licere, ut populus præcepto Missæ satisfaciatur. Nec vero prohibitum est, ministrante circa altare viro, qui nesciat respondere, moniales in choro respondere. Quod si cœpta Missa, maxime si facta sit oblatio, discedat Minister, poterit Sacerdos solus proseguere Sacrificium.

88. *Quæst.* 6. An liceat celebrare capite cooperto? R. neg. ex c. *nullus de Cons. dist. 1.* ubi dicitur: *nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus præsumat velato capite altari Dei assistere.* Accedit præceptum Urbani VIII. in Miss. Rom. *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missæ, sine expressa licentia Sedis Apostolicæ.* Erit autem gravis irreverentia totam Missam capite operto dicere; non vero si usque ad Canonem, secluso scandalo. Hinc damnanda non est consuetudo aliquorum locorum, ubi ob nimium frigus, vel ob senectutem, aliumve morbum, adstantibus notum, Sacerdos cum pileolo celebrat, secluso Canone, ut animadvertit. Bened. XIV. de *Sacrif. Missæ* lib. 1. c. 7. & 9. Non licet Missam celebrare cum cæsarie ficta, vulgo *perruca*, ex decreto S. Rituum Cong. sine expressa facultate Sedis Apostolicæ, ut declaravit Innoc. XI. decreto 21. Martii 1689. ubi sancitum fuit, *non posse Episcopos, & Nuntios Apostolicos concedere licentiam Sacerdotibus ejusmodi comas in actu cele-*



brationis gestandi. Decretum est etiam, ut Sacerdos celebrans utatur calceis. *Rubr. Miss. Rom.*

89. *Quæst. 7.* Quale sit peccatum aliquid in Missa ex præscriptis omittere? R. ea prætermittere, quæ pertinent ad substantiam Sacrificii, esset grave peccatum, v. g. oblationem hostiæ, vel calicis, verba consecrationis, cet. Item ea, quæ spectant ad integritatem Sacrificii, ut infusionem aquæ, vestes Sacerdotales, & similia, quæ continent materiam gravem. Ritus autem, vel orationes aliquas relinquere, potest esse veniale peccatum ratione levitatis materiæ. Tale erit v. g. omittere orationes dici solitas dum Sacerdos se induit, item Gloria, vel Credo, & in Canone nomen alicujus Sancti, aliquam ex Collectis, vel Orationibus minus principalibus, denique partes alias Missæ extraordinarias, quæ non semper dicuntur; pariter mutilare verbum aliquod, salvo sensu, & secluso scandalo. Erit autem mortale, nisi excuset inadvertentia, relinquere Epistolam, Evangelium, Orationes præcipuas, fractionem hostiæ, & illius mixtionem in sanguinem, purificationem Calicis, & similia, quæ continent materiam ex se gravem.

90. Circa ritus Missæ extat Bulla S. Pii. V. ubi dicitur. *Mandantes, & omnibus districte præcipientes in virtute S. obedientiæ, ut Missam juxta ritum, modum, & normam in Missali præscriptam decantent, ac legant.* Hinc probabiliter multi docent graviter peccare Sacerdotem, qui nimis festinanter, & absque debita reverentia Sacrum peragat, tum quia non po-

test non omittere cæremonias aliquas ab Ecclesia præscriptas, tum quia etsi omnino non omittat eas non præstat cum reverentia, & gravitate, quam postulat majestas Sacrificii; tum denique ratione scandali, quod populo præbetur. Quantum autem temporis spatium impendi oporteat, non est facile definire, cum alii sint aliis tardiores tum in pronuntiatione, tum in gestibus, & actionibus. *Bened. XIV. Notif. 34* ait, Missam nec debere esse breviorē triente, nec hora dimidia longiorē. Itaque a gravi peccato non facile excusatur Sacerdos, qui infra quadrantem eam absolvit ex rationibus nuper adductis.

91. *Quæst. 8.* An, & quale sit peccatum, aliquid addere, vel mutare? R. 1. aliquid addere animo introducendi ritus novos, est mortale peccatum, sicut & novas addere publicas preces in Missa saltem solemnī. Ex devotione tamen privata collectas addere, non est nisi venialis culpa; imo & nulla erit, si gravis sit causa, vel necessitas. Mutare Missam, & unam pro alia legere sine gravi causa non licet; non erit tamen gravis culpa, secluso contemptu, vel scandalo, a quo difficile excusari potest qui in diebus vetitis celebret Missam publicam *Votiva*, aut de *Requiem*, nisi ob graves causas. Quibus autem diebus id liceat, vide apud Auctorem, qui & rationem eas celebrandi docet, & plura affert decreta S. Cong. ad Missas spectantia.

Alex VIII. prof. sacrum: ritum: missæ: IIIV: 1014

## TRACTATUS IV.

## DE SACRAMENTO PŒNITENTIE.

**P**œnitentiæ nomine aliquando intelligitur specialis virtus, inclinans nos ad docendum de peccatis, & pro eis Deo satisfaciendum. Numeratur inter species justitiæ commutativæ, ejusque actus præcipui sunt dolor, & satisfactio. Hic a nobis accipitur pro Sacramento Pœnitentiæ, a Christo Domino instituto ad delanda peccata post baptismum commissa. Pœnitentia quidem ut virtus fuit omni tempore necessaria necessitate mediæ ad salutem; in lege autem Evangelii est eodem modo necessarium Pœnitentiæ Sacramentum, saltem in voto ex Trid. Sess. 14. c. 2. dicente: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse batisimus.*

## CAPUT PRIMUM.

## De essentia Sacramenti Pœnitentiæ.

1. Quæst. 1. Quenam est materia remota hujus Sacramenti? R. 1. materia sufficiens, & necessaria est omne peccatum mortale post baptismum commissum. Hinc peccatum originale excluditur ab hujus Sacramenti materia. Atque hic obiter nota, damnatam esse ab Alex. VIII. prop. istam: *homo debet agere*

*tota vita pœnitentiam pro peccato originali.* Sunt etiam materia remota, & necessaria confessionis, peccata commissa in ipsa baptismi susceptione, ut & peccatum, quod vocant, *fictionis*, dum quis suscipit baptismum in peccato lethali, & sine dolore de ipso. Ita communiter DD. cum S. Th. & Bonaventura, quibus favet Aug. relatus in c. *de Consec.* ubi ait: *tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recedit.* Quamquam alii cum Glosa interpretantur *confessionem* de sola cordis contritione, & eodem modo D. Thomam interpretantur.

2. R. 2. Materia remota, sufficiens, & non necessaria hujus Sacramenti sunt omnia peccata venialia, post baptismum commissa, atque etiam mortalia, olim rite confessa, ut docet doctrina communis TT. cum D. Th., Suarez, & allis passim. Et deducitur ex Extrav. 1. de priv. in fine, ubi Bened. XI. ait: *Licet de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen ut eorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre.* Et hæc est praxis communis fidelium, qui ad dolorem facilius excitandum, & ad materiam certam in confessione apponendam, solent post venialia aliqua confiteri de peccato aliquo gravi jam confesso. Quamvis enim peccatum, quod semel est rite confessum, deletum sit, nec possit amplius deleri; per Sacramentum tamen confertur gratia ex se delens peccatum, etsi ex accidenti illud in *actu secundo*, ut ajunt, non delet.

3. *Quæst. 2.* Quænam est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ? R. sunt actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio, & satisfactio. Constat ex Trid. Sess. 14. Can. 4. *Si quis negaverit ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, anathema sit.* Porro Contritio, & Confessio sunt partes essentielles; actualis vero satisfactio solum est integralis, ut pater in ægroto, qui ratione destitutus, solet absolvi absque satisfactione; hujus tamen votum, seu propositum necessarium est ad pœnitentiam.

4. *Quæst. 3.* Quænam est forma hujus Sacramenti? R. verba illa: *absolvo te a peccatis tuis.* Sunt, qui velint, ad essentiam formæ solum pertinere ea verba: *absolvo te*, cum ex circumstantiis satis determinentur ad absolvendum a peccatis. Alii tamen id probabiliter negant sufficere, adeoque in praxi standum est secundæ sententiæ, licet forte minus probabili, ut animadvertunt Salmant., Roncaglia, & alii. Omnes tamen fatentur ea verba pertinere ad integritatem formæ, adeoque sine gravi culpa omitti non posse. Quamvis autem verba ego, & tuis sint de præcepto, sine illis tamen valide absolvitur. Secus autem, si taceatur verbum te, quod reum exprimit, estque de essentia sententiæ judicialis, qualis est absolutio Sacramentalis. Cetera verba, quæ præcedunt absolutionem, in gravi necessitate

omitti possunt, sine hac tamen ea tacere, sicut, & sequentia *Passio Domini N. J. Christi*, cet. erit solum veniale. Mortale tamen est relinquere illa verba: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen.

5. *Quæst. 5.* Quænam sunt verba ex Rituali R. a Sacerdote in absolutione adhibenda? R. Sacerdos audita Confessione, & iuncta pœnitentia dicere prius debet: *Miserere tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducatur te ad vitam æternam.* Deinde dextera versus pœnitentem elevata dicat: *Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus. Amen. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen. Passio D. N. J. Christi, merita B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.* Si pœnitens sit laicus, omittendum est verbum suspensionis, ut monet idem Rituale Romanum.

6. *Quæst. 6.* An valeat absolutio collata per formam deprecatoriam: *absolvat te Deus?* R. sunt plures auctores contendentes ea forma Ecclesiam usam fuisse usque ad sæculum XIII., eamque etiam hodie dum vigere apud Græcos. Ita Tournelius, Martene, & alii. Sed

id negant alii multi, estque communi sententia TT. invalidam esse omnino formam deprecatoriam, cum Christus Dominus expresserit, hoc Sacramentum instituens, a Sacerdote, tanquam Judice sententiam esse ferendam: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Joann. 20. Et a Trid. definitum est, formam debere esse indicativam: ait enim Sess. 14. c. 3. *Docet S. Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, cet. Quibus quidem de Ecclesiæ S. more præces quædam laudabiliter adjunguntur.*

7. *Quæst. 6.* An forma absolutionis necessario sit voce proferenda? R. affirm. cum D. Th. Suario; & communi. Unde Clemens VIII. proseripsit propositionem dicentem: *Licet per litteras, vel internuntium Confessario absenti sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Invalida est ergo absolutio data pœnitenti, qui non sit moraliter præsens confessario, ita ut audire possit vocem Confessarii, more communi hominum loquentis, quamvis necesse non sit, ut re ipsa illam audiat.

8. *Quæst. 7.* An valida sit absolutio sub conditione? R. 1. invalida est absolutio collata sub conditione de futuro, v. g. *si restitueris, ego te absolvo.* Ratio est, quia absolutio nullam vim habet, donec impleta sit conditio; nec vero est in potestate confessarii suspendere effectum Sacramenti, quod ex se producit id quod significat; significat au-

tem effectum de præsentis. R. 2. valida est absolutio, quæ datur sub præterita, vel præsentis conditione, quando illa præsens est vel impleta, tunc enim effectum non suspendit: sic DD. fere omnes. Est tamen illicita absolutio sub conditione, nisi gravis sit necessitas ita absolvendi, cum sit contra reverentiam Sacramenti, & contra generalem consuetudinem in re gravi. Erunt autem causæ justæ conditionate absolvendi 1. si Sacerdos prudenter dubitet, an moribundus vivat, necne, vel sentiat, aut sit rite dispositus. 2. si Confessarius dubitet, an habeat jurisdictionem, & sit necessitas confitendi; tunc autem debet pœnitenti manifestare rationem dubitandi, ut si ille re vera jurisdictionem non habuerit; sciat pœnitens se non esse absolutum, adeoque iterare debere confessionem lethalium. 3. si urgeat necessitas suscipiendi Eucharistiam; quam tamen pœnitens suscipere non potest, nisi prudenter credat se esse dispositum juxta præceptum Apostoli. 4. cum dubitatur, an puer, vel semifatuus sint rite parati, præsertim in periculo mortis, & tempore Paschali.

## CAPUT II.

## De Contritione.

9. *Quæst. 1.* Quid est contritio, & quotuplex? R. Contritio generatim sumpta est dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito, emendandi de cetero, ob motivum

id negant alii multi, estque communi sententia TT. invalidam esse omnino formam deprecatoriam, cum Christus Dominus expresserit, hoc Sacramentum instituens, a Sacerdote, tanquam Judice sententiam esse ferendam: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Joann. 20. Et a Trid. definitum est, formam debere esse indicativam: ait enim Sess. 14. c. 3. *Docet S. Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, cet. Quibus quidem de Ecclesiæ S. more præces quædam laudabiliter adjunguntur.*

7. *Quæst. 6.* An forma absolutionis necessario sit voce proferenda? R. affirm. cum D. Th. Suario; & communi. Unde Clemens VIII. proseripsit propositionem dicentem: *Licet per litteras, vel internuntium Confessario absenti sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Invalida est ergo absolutio data pœnitenti, qui non sit moraliter præsens confessario, ita ut audire possit vocem Confessarii, more communi hominum loquentis, quamvis necesse non sit, ut re ipsa illam audiat.

8. *Quæst. 7.* An valida sit absolutio sub conditione? R. 1. invalida est absolutio collata sub conditione de futuro, v. g. *si restitueris, ego te absolvo.* Ratio est, quia absolutio nullam vim habet, donec impleta sit conditio; nec vero est in potestate confessarii suspendere effectum Sacramenti, quod ex se producit id quod significat; significat au-

tem effectum de præsentî. R. 2. valida est absolutio, quæ datur sub præterita, vel præsentî conditione, quando illa præsens est vel impleta, tunc enim effectum non suspendit: sic DD. fere omnes. Est tamen illicita absolutio sub conditione, nisi gravis sit necessitas ita absolvendi, cum sit contra reverentiam Sacramenti, & contra generalem consuetudinem in re gravi. Erunt autem causæ justæ conditionate absolvendi 1. si Sacerdos prudenter dubitet, an moribundus vivat, necne, vel sentiat, aut sit rite dispositus. 2. si Confessarius dubitet, an habeat jurisdictionem, & sit necessitas confitendi; tunc autem debet pœnitenti manifestare rationem dubitandi, ut si ille re vera jurisdictionem non habuerit; sciat pœnitens se non esse absolutum, adeoque iterare debere confessionem lethalium. 3. si urgeat necessitas suscipiendi Eucharistiam; quam tamen pœnitens suscipere non potest, nisi prudenter credat se esse dispositum juxta præceptum Apostoli. 4. cum dubitatur, an puer, vel semifatuus sint rite parati, præsertim in periculo mortis, & tempore Paschali.

## CAPUT II.

## De Contritione.

9. *Quæst. 1.* Quid est contritio, & quotuplex? R. Contritio generatim sumpta est dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito, emendandi de cetero, ob motivum

supernaturale. *Trident. Sess. 14.* Dividitur in perfectam, & minus perfectam: perfecta, quæ absolute dicitur *Contritio*, est dolor de peccato ex motivo charitatis propter Deum summe dilectum; imperfecta, quæ dici solet *attritio*, ex inferiore motivo, supernaturali tamen elicitur. Prima se sola justificat extra Sacramentum, sed cum voto Sacramenti suscipiendi. Secunda disponit quidem ad justificationem, sed non justificat nisi cum Sacramento, ut postea dicemus. Dubitant TT. an contritio consistat in dolore, qui præsupponat detestationem peccati, an potius in detestatione, quam sequitur dolor. Ad praxim hæc quæstio parum refert, cum certum sit ad contritionem utrumque requiri; & re vera in dolore, si verus sit, contineatur detestatio; nec possit quis vere detestari peccatum, quin de illo doleat.

10. *Quæst. 2.* Quando obliget præceptum contritionis perfectæ? R. omnes per se obligat in articulo mortis; & quidem etiam si confessi fuerint peccata sua cum dolore attritionis. Ita Suarius, aliique ex iis, qui defendunt attritionem sufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ; quia ratio dicat, ut eo tempore, quo defectus est irreparabilis, quisque sequatur viam tutiorem ad æternam salutem, qualis est perfecta contritio. Præter mortis articulum est etiam obligatio eliciendi contritionem, quoties quis vult administrare, vel suscipere Sacramenta, & versatur in peccato lethali, nec voluntatem habet, vel facultatem confitendi. 2. in gravi, & vehementi tentatio-

ne, quæ aliter non nisi ægre vinci potest. 3. quando quis se exponit periculo cadendi in nova peccata lethalia, nisi conteratur; & ideo aliqui contendunt dilationem longam contritionis post commissum mortale, novum esse peccatum lethale; sed alii plures repugnant.

11. *Quæst. 3.* An ad justificationem impetrandam necessarii sint ad singula peccata singuli actus doloris? R. neg. cum D. Th. opusc. de Verg. q. 27. art. 5. cui consonat doctrina Catech. Rom. §. 3. & conformis est fidelium praxi, qui uno contritionis actu omnia sua peccata detestantur. Quæ detestatio cum fiat ex motivo universali, pugnante cum omni peccato, in virtute ad singula refertur, & singula detestatur.

12. *Quæst. 4.* An ad Confessionem præter dolorem requirantur alii actus virtutum? R. requiri actus fidei, & spei, veluti dispositiones ad justificationem; sed non est opus, ut pœnitens expresse, & reflexe hos actus eliciat; cum enim quis ad Confessionem rite paratus, & dolens accedit, proculdubio credit, & quidem explicitè, atque explicitè sperat, virtute Sacramenti remittenda sibi peccata; quamvis reflexe hos actus non eliciat. Ita De-Lugo conciliat utramque opinionem, alteram negantem, alteram asserentem necessitatem actus expliciti fidei, & spei ad justificationem. Atque idem est dicendum de voto confessionis; sine quo peccatum non remittitur, sed in ipsa contritione continetur.

13. *Quæst. 5.* Qualis esse debeat dolor de

peccatis in Sacramento Pœnitentiæ? R. formalis, supernaturalis, efficax, & universalis respectu mortalium. Ac primo quidem debet esse *formalis*, hoc est, expressus animi dolor de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Hinc non sufficit dolor mere existimatus, nec solum desiderium doloris, idque etiamsi solum confitearis venialia; sed opus non est, ut dolor sit de omni veniali, sed sufficit de uno dolore formaliter: imo si confitendo venialia, confitearis etiam peccatum aliquod grave, jam remissum, hoc potest esse materia certa confessionis, & doloris. 2. supernaturalis, hoc est, ex motivo supernaturali, per auxilium gratiæ, ex Conc. Trid. Sess. 6. can. 3. Unde qui dolet tantum de peccatis propter infamiam, aut alia mala temporalia, non rite confiteretur; in quo ignorantia non excusat, cum deficiat pars essentialis constituens Sacramentum. Debet esse quoque universalis de omni mortali, nondum remisso, ex Conc. Lat. 11. c. 22. Nam cum gratia sit remissiva omnis peccati, nec possit unum mortale sine altero remitti, contritio valens ad remissionem peccatorum, debet se ad omnia extendere propter motivum omnibus commune.

41. Denique dolor debet esse efficax, ita ut excludat omnem affectum ad peccatum grave, & includat propositum ulterius non peccandi. Ita Conc. Trid. Sess. 14. c. 4. Ad hanc efficaciam pertinet voluntas vitandi omnem occasionem peccandi, & adhibendi reme-

dia a Confessario injuncta ad vitandum peccatum. Talis autem debet esse affectio pœnitentis, ut paratus sit omnia potius mala, & mortem ipsam perpeti, quam redire ad peccatum; & hoc est, dolorem esse appetitativè summum, quamvis opus non sit, ut exterius sit sensibilis per suspiria, lacrymas, aliaque externa signa; cum dolor sit internus, & in corde sedem suam habeat.

15. Quæst. 6. An ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur contritio, vel an sufficiat attritio? Certum quidem videtur non requiri contritionem charitate perfectam, quæ justificet extra Sacramentum, cum illud sit Sacramentum mortuorum, adeoque institutum sit a Christo ad fideles Deo reconciliandos, ut loquitur Tridentinum Sess. 14. Can. 1. Id tamen nunquam haberet locum, quia Sacramentum semper illos invenire deberet Deo conciliatos per charitatem. Quæstio igitur solum est, an ad Pœnitentiam in Sacramento præcedere debeat dolor de peccato ex motivo charitatis prædominantis, quantumvis remissæ; an vero sufficiat dolor supernaturalis ex metu gehennæ, aut pœnarum, vel amittendæ beatitudinis, cum spe veniæ a Deo obtinendæ. Cum versemur in questione, ab Ecclesia hætenus non definita, jure, ac merito Alex. VII. sub pœna excommunicationis lata sententiæ, Sedi Apostolicæ reservatæ, præcepit cunctis, & singulis fidelibus, ut ... non audeant alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, vel contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive

negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione, ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec a S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum. Bened. XIV. c. 13. l. VII. de Syn. Diœc.

Jam vero pro contritione ex charitate prædominante stant Merbesius, Habert, Juenin, Antoine, Concina, & alii. Pro sufficiencia tamen attritionis pugnant illustrioris ex antiquis Theologis, ut ait Gonetus, & plurimi ex recentioribus, inter quos Roncaglia vocat eam sententiam moraliter certam, Cardinalis De-Lugo ait, contrariam post Trid. non esse amplius probabilem. Ait enim Trident. Sess. 14. c. 4. Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam; illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, vel pœnarum metu communiter concipitur; si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, & Spiritus S. impulsum, non adhuc inhabitantis, sed tantum moventis, quo penitens adjutus viam sibi ad penitentiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad

justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.

17. Et quamvis concilium non dicat sufficit, sed tantum disponit; imo post magnam disceptationem, Pallavicino teste, verbum disponit substitutum fuerit voci sufficit, quæ antea in decreto posita fuerat; id tamen non favet Adversariis. Idem enim utrumque re ipsa significat, ut ait Gonetus; nam Concilium certe non loquitur de disposita remota, cum attritio etiam remote disponat extra Sacramentum, sed de proxima dispositione. Quod patet ex illis verbis: *Et quamvis sine Sacramento per se ad justificationem perducere nequeat*, cet. ergo cum Sacramento perducit. Alias si de remota tantum dispositione Synodus intellexisset, inepte protulisset, quod attritio quamvis sine Sacramento nequeat justificare, tamen cum Sacramento ad justificationem disponit; sed potius dicere debuisset, attritionem sine Sacramento quidem non disponere ad gratiam impetrandam, disponere autem cum Sacramento. Nec potest aliter decretum Tridentini intelligi, inquit Corduba, insignis Theologus, qui Synodo Tridentino interfuit.

18. Confirmatur ex eodem Tridentino loquente de contritione, tamquam materia, vel quasi materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, eamque dividente in perfectam, & imperfectam: ergo utraque est proxima materia, vel quasi materia Sacramenti, adeoque ipsius proxima dispositio. Hinc eadem S. Synodus c. 4. sub-



dit: quamobrem falso quidam calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre. Et vero hæretici cum Luthero non improbant eos, qui asserebant, Pœnitentiæ Sacramentum gratiam conferre contritis, sed attritis, & eos, qui dicebant attritionem proxime disponere ad justificationem. Tridentinum ergo eos vindicando, sententiam eorum tacite probavit, licet expresso decreto non definierit. Hinc testatur Bened. XIV. de Syn. lib. 7. c. 13. post Tridentinum hanc doctrinam ab Scholis omnibus communi plausu fuisse exceptam.

19. Itaque non immerito Ven. Ludovicus Granatensis Conc. 2. de pœn. loquendo de attritis ex timore pœne, horum solatio, inquit, Tridentina Synodus providisse videtur. Bellarminus autem de Pœn. lib. 2. c. 18. dicit, nullo modo negari posse, quin attritio, & sola non sufficiat, & cum absolutione sufficiat, ut in Concilio Trid. declaratum est. Eodem modo loquitur Ven. Ludovicus a Ponte in lib. de statibus T. I. Tract. 3. de Pœn. c. 5. tanquam de re a Tridentino declarata, ut mittam Medinam, & alios, qui paullo post Tridentinum scripsere. Omnes dicunt, quod taliter (cum sola attritione) de attrito fit contritus, quatenus sub manu Confessoris recipit gratiam; verba sunt Ven. Seraphini Capponi, Angelici Doctoris interpretis.

20. Nec vero de mente D. Angelici dubitare potest, quisquis illum attente perle-

gerit, præsertim in 4. dist. 6. q. 1. a. 3. ad hoc, quod homo præparet se ad gratiam in baptismo percipiendam præexigitur fides, sed non charitas; quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio. Pariter in dist. 17. q. 3. a. 5. Eodem modo Confessio ex vi absolutionis conjunctæ remittit culpam, sicut baptismus. Postea verò concludit: remissio peccatorum datur, si præcedens dolor de peccatis non sufficiens ad contritionem fuit, & pœnitens tunc obicem gratiæ non præbet.

21. Non me latet esse, qui velint S. Thomam ætate proveciorem sententiam istam retractasse. Ubi tamen, rogo, & quibusnam verbis? Imo in 3. p. 9. q. 80. art. 4. ad 5. discrimen statuens inter Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, & Sacramentum Eucharistiæ, ita sese explicat: Nam baptismus, & Pœnitentia sunt quasi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati; Eucharistia vero est medicina confortatiua, quæ non datur nisi liberatis a peccatis. In quo, subjungit Suaresius, plane sentit, Pœnitentem esse absolvendum, etsi constet nondum esse liberatum a peccato, dummodo sit sufficienter contritus. Quam doctrinam certe docuit ille Hispaniæ Apostolus S. Vincent. Ferrerius Serm. 2. Domin. 2. Adv. his verbis: Prima (via ad justificationem) est cordis contritio. 2. est oris confessio: quoniam si in contritione, capiendo contritionem generaliter, in quantum se extendit ad attritionem, quæ est displicentia de peccatis informis, non habuisti gratiam, habebis in Confes-

sione. Cui subjungere possum auctoritatem S. Caroli, qui in Sacramentali Ambrosiano aperte docet, absolvendum esse pœnitentem; qui attritionem saltem habeat, quamvis careat contritione. Tit. *Quæ in ministracione Sacramenti Parochus & Confessarius observet.* Catechismus autem Romani Concilii sub Bened. XIII. tradit, communem esse opinionem, ad Pœnitentiam sufficere dolorem attritionis.

22. Ratio autem sententiæ communis est, quia contritio quævis, orta ex charitate prædominante, est contritio justificans, etiam extra Sacramentum: ergo vel ea non requiritur ad Sacramentum, vel Sacramentum non justificat, sed justificatos absolvit. Respondent aliqui, id non tollere, quominus Pœnitentiæ Sacramentum vim habeat justificandi, cum Tridentinum doceat, contritionem charitate perfectam non justificare nisi cum voto Sacramenti. Verum si res ita se haberet, nunquam fieret, ut Sacramentum faceret id, quod significat, scilicet remissionem peccatorum; & inutilis esset virtus clavium, vi cujus nunquam re ipsa deleteretur peccatum. Præterea in c. *Si presbyter* 12. & c. *agnovimus* 13. Julianus Papa, & Cælestinus ajunt, Sacerdotem negantem absolutionem morienti, qui eam postulet, causam esse illius damnationis. Unde Pontifices credunt morientem habere votum Sacramenti, & ad illud esse paratum; & tamen damnari, quia deficit absolutio. Quo pacto id potest intelligi, nisi absolutio re ipsa, & in actu peccata remittat?

23. Respondent alii communius, peccatum extra Sacramentum remitti quidem per Contritionem, ortam ex charitate intensa, secus si oriatur ex charitate remissa. Verum hæc doctrina aperte adversatur D. Thomæ, & communi sententiæ Theologorum. Nam S. Th. in Suppl. q. 5. a. 3. diserte tradit: *quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* Nec vero loquitur S. Doctor de contritione adjuncta Sacramento, sed ab eo disjuncta, ut legenti patebit. Ast loquitur, inquit, de contritione charitate informata. Fateor, sed ipsemet docet omnem contritionem, quæ vere talis sit, esse charitate informatam; si enim arguit, *qualibet contritio est gratia gratum faciens informata, ergo quantumcumque sit parva, delet omnem culpam.*

24. Deinde Trident. c. 4. Sess. 14. ait: *etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu concipiatur, cet.* Ergo dolor charitate perfectus justificat peccatorem ante susceptionem Sacramenti. Adversarii tamen legunt contritionem non *charitatem perfectam*, sed *charitatem perfectam*, ex quo deducunt loqui Concilium de charitate intensa. Sed melius De-Lugo, & alii legunt, *charitatem perfectam*; loquitur enim de contritione, quam dividit in perfectam, & imperfectam. Ino etsi *perfectam* diceret charitatem, non probat ad justificationem extra Sacramentum requiri intensam charitatem. Si-

quidem perfectio charitatis non est petenda ex intentione actus, sed ex illius motivo; ita ut nullus sit actus charitatis ex motivo Divinæ bonitatis, auxilio gratiæ cognitiæ, qui non sit in suo genere perfectus, licet alius alio possit esse perfectior pro majori, vel minori intentione, fervore, cet.

25. Illa ergo est perfecta charitas, quæ concipitur ex motivo bonitatis Dei; imperfecta, quæ oritur ex motivo boni proprii, seu quæ Deum respicit ut sibi bonum. Itaque nulla potest esse charitas vere, & proprie talis, quæ non remittat peccatum ut constat ex mille Scripturæ locis. *Ego diligentes me, diliga.* Prov. 8. *Qui diligit me, diligitur a Patre meo.* Joann. 14. *Charitas operis multitudinem peccatorum.* Petr. 1. & similia passim tum in veteri, tum in novo Testamento. Unde D. Thomas recte concludit 2. 2. q. 45. art. 4. *charitas non potest esse eum peccato mortali.* Nec vero dicas, S. Thomam loqui de charitate intensa, cum in supplem. q. 3. art. 5. dicat: *amor potest esse ita remissus, quod non sufficiat ad rationem charitatis.* Respondeo enim, S. Doctorem remissum vocare amorem eum, quo quis Deum quidem diligit, sed non ita, ut diligit propter ipsius bonitatem. De cetero idem S. Doctor ait, *peccatum mortale contrariari charitati secundum propriam rationem, quæ consistit in hoc, quod Deus diligatur super omnia.* 2. 2. q. 24. art. 12. Tota ergo ratio charitatis, quæ pugnat cum peccato lethali, desumitur ex motivo amoris Dei, non vero ex ejus intensione.

26. Sicut enim nulla est aversio a Deo, tanquam a fine ultimo, quantumvis remissa, quæ non pugnet cum amicitia Dei; ita omnis dilectio Dei propter se, in quocumque sit gradu, pugnat cum peccato lethali. Id constat ex prop. 32. Michaelis Baji, damnata a Greg. XIII. *Charitas ista, quæ est plenitudo legis non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* Certum est autem, ad legem implendam satis esse charitatem habere, licet minus intensam, quæ diligere Deum nos faciat super omnia, ut expresse tradit D. Thom. 2. 2. q. 44. art. 8. *Cum mandatur, inquit, quod Deum ex toto corde diligamus, datur intelligi, quod Deum super omnia debemus diligere.* Et inferius ait illum implere charitatis præceptum, *qui nihil velit, quod Divinæ dilectioni sit contrarium.* Ergo charitas etiam remissa, modo sit ex motivo bonitatis Divinæ prædominante est charitas perfecta, excludens lethale, adeoque conjuncta est cum remissione peccatorum.

27. Quod autem de charitate dictum est, intellectum volumus de contritione, quæ aut est formalis actus charitatis, ut multis placeat, aut cum illo necessario esse conjuncta, ut omnes fatentur. Itaque omnis vera contritio, quæ detestatur peccatum, quia Deo contrarium, est aversio a peccato, & conversio ad Deum, adeoque in quocumque sit gradu, excludit peccatum, & proinde justificat etiam extra Sacramentum. Unde sententia affirmans, contritionem cum charitate etiam remissa non

justificare extra Sacramentum, merito rejicitur ab omnibus fere Theologis, &, ut Gonetus ait, *contradicit apertissime variis Scripturæ, & Conciliorum, a SS. PP. testimoniis.*

28. Itaque cum nulla sit contritio ex charitate Dei, etiam remissa, quæ non justificet extra Sacramentum, jure dicimus ad justificationem in Sacramento non requiri contritionem, sed sufficere attritionem, quæ a Tridentino dicitur contritio imperfecta, & est dolor, ac detestatio peccati, concepta ex gehennæ, & pœnarum metu, cum spe veniæ a Deo obtinendæ, & cum proposito non peccandi de cetero. Quæ attritio est actus bonus, & supernaturalis, excludens omnem voluntatem peccandi, ut constat ex prop. damnata ab Alex. VIII. dicente: *attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione Dei, non est bonus motus, & supernaturalis.*

29. Dices: Tridentinum ad justificationem requirit principium dilectionis, dum ait Sess. 6. c. 6.: *peccatores, dum ad justificationes disponuntur, Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata propter odium aliquod, ac detestationem.* R. tam ad justificationem in baptismo, quam in Sacramento Pœnitentiæ requiri a Tridentino initium amoris, non vero amorem; hoc autem amoris initium continetur in attritione, qua quis odit peccatum cum spe veniæ obtinendæ a Deo justitiæ fonte. Ita Dominicus Soto lib. 2. de nat. & grat. c. 13.

his verbis: *absque Sacramento requiritur actus charitatis, qui sit vera contritio; petenti autem baptismum (atque idem est de pœnitentiâ) satis est inchoatio charitatis per attritionem.* Vident, ut attritio sit initium charitatis, licet non sit proprie charitas, sed amor, quem vocant concupiscentiæ? Notat autem ipse Sotus in eo opere, quod dedicat Tridentino, Patres Concilii in sui gratiam verba illa addidisse: *Deum tanquam justitiæ fontem diligere incipiunt.* Imo cum aliqui ex Patribus scribi voluissent *per actum charitatis*, Concilium restitit, tantumque scribi voluit: *diligere incipiunt.* Pallav. Hist. l. 8. c. 3.

30. Quod autem spes æternæ beatitudinis, & remissionis culpæ, quam continet attritio, sit initium amoris, confirmari potest ex D. Thoma 1. 2. q. 40. art. 7. dicente: *ex hoc, quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, & sic incipimus ipsum amare.* Unde ipse S. D. 2. 2. q. 17. ar. 8. inquit: *perfectus quidem amor est, quo aliquis secundum se amatur; imperfectus, quo quis amat aliquod, seu ut bonum sibi proveniat.* En amorem concupiscentiæ, qui non est amor perfectus, sed imperfectus, & inchoatio amoris. Itaque in attritione, qualem ad Pœnitentiam requirimus, includitur odium peccati, aversio ab eo, conversio ad Deum, & initium amoris Dei. "Ut merito Antoine, qui ad justificationem requirit contritionem aliquo Dei amore conjunctam, tandem statuat: *attritio ex metu*

gehennæ, includens amorem Dei appetitive  
 summum, etsi non perfectum, cum spe ve-  
 niæ sufficit ad justificationem in Sacramen-  
 to impetrandam. Ait autem, illum amorem  
 necessario conjungi cum amore concupiscentiæ,  
 seu spe veniæ, quæ in attritione supernatu-  
 rali continetur."

## CAPUT III

*Reliqua de dolore, & proposito vitandi peccati,  
 ejusque occasionis.*

31. Quamvis attritio sufficiat ad Sacra-  
 mentum Pœnitentiæ, id non prohibet, quo  
 minus Confessarii hortentur Pœnitentes ad eli-  
 ciendam perfectam contritionem, ut præcipit  
 Rituale Romanum, & cum Suario monent  
 auctores nostræ sententiæ. 1. quia contritio  
 perfectior est, & tutior via ad gratiam impe-  
 trandam. 2. quia potest aliunde invalida con-  
 fessio evadere, & cum contritione peccata  
 remittuntur. Debet autem confessarius, audita  
 confessione, pœnitentem ad dolorem efficaci-  
 bus verbis adducere, ut monet Rituale Ro-  
 manum, tum ut securus fiat de dispositione  
 prævia pœnitentis, tum quia probabilissimum  
 est, dolorem necessario non debere confessio-  
 nem præcedere, sed sufficere, si eliciatur  
 ante impertitam absolutionem. Sufficit enim mor-  
 talis unio inter accusationem rei, detestatio-  
 nem peccati, & absolutionem.

32. *Quæst. 1.* Quale est motivum attritio-

nis necessariæ ad confessionem? R. motiva a  
 Tridentino assignata sunt deformitas peccati  
 mortalis, timor amittendæ beatitudinis, me-  
 tus gehennæ, & pœnarum. Quo pœnarum no-  
 mine veniunt non solum pœnæ æternæ, sed  
 etiam temporales, quatenus infliguntur a Deo;  
 cum enim Concilium distinguat inter timorem  
 gehennæ, & timorem pœnarum, videtur loqui  
 de pœnis a gehenna distinctis, quæ non sunt  
 nisi temporariæ. Quoniam tamen has non-  
 nulli Theologi cum Cano excludunt a moti-  
 vo attritionis, puto in praxi curandum esse  
 dolorem saltem ex metu æternæ pœnæ.

33. *Quæst. 2.* Quo tempore moraliter do-  
 lor duret ad confessionem, & an elici debeat  
 ex intentione confessionis? R. 1. aliquam esse  
 analogiam inter forum Civile, & Sacramen-  
 tale, unde potest intercedere aliquod tempo-  
 ris spatium inter discussionem causæ, & sen-  
 tentiam. Verum recte monet La-Croix, eum,  
 qui post elicitum dolorem, alio se pœnitus  
 distraxit, oportere, ut dolorem innovet; quod  
 quidem puto consilium esse, non præceptum,  
 nisi dolor sit retractatus, aut notabilis mora  
 intercesserit. R. 2. probabilior sententia do-  
 cet dolorem elicitum ab eo, qui nondum co-  
 gitaverat de confessione, si moraliter perse-  
 veret, posse postea referri ad confessionem,  
 ipsum manifestando confessori. Sed cum a  
 multis id probabiliter negetur, censeo in pra-  
 xi saquendam esse tutiorem sententiam, quæ  
 requirit dolorem elicitum ex fine suscipiendi  
 Sacramenti.

gehennæ, includens amorem Dei appetitive  
 summum, etsi non perfectum, cum spe ve-  
 niæ sufficit ad justificationem in Sacramen-  
 to impetrandam. Ait autem, illum amorem  
 necessario conjungi cum amore concupiscentiæ,  
 seu spe veniæ, quæ in attritione supernatu-  
 rali continetur."

## CAPUT III

*Reliqua de dolore, & proposito vitandi peccati,  
 ejusque occasionis.*

31. Quamvis attritio sufficiat ad Sacra-  
 mentum Pœnitentiæ, id non prohibet, quo  
 minus Confessarii hortentur Pœnitentes ad eli-  
 ciendam perfectam contritionem, ut præcipit  
 Rituale Romanum, & cum Suario monent  
 auctores nostræ sententiæ. 1. quia contritio  
 perfectior est, & tutior via ad gratiam impe-  
 trandam. 2. quia potest aliunde invalida con-  
 fessio evadere, & cum contritione peccata  
 remittuntur. Debet autem confessarius, audita  
 confessione, pœnitentem ad dolorem efficaci-  
 bus verbis adducere, ut monet Rituale Ro-  
 manum, tum ut securus fiat de dispositione  
 prævia pœnitentis, tum quia probabilissimum  
 est, dolorem necessario non debere confessio-  
 nem præcedere, sed sufficere, si eliciatur  
 ante impertitam absolutionem. Sufficit enim mor-  
 talis unio inter accusationem rei, detestatio-  
 nem peccati, & absolutionem.

32. *Quæst. 1.* Quale est motivum attritio-

nis necessariæ ad confessionem? R. motiva a  
 Tridentino assignata sunt deformitas peccati  
 mortalis, timor amittendæ beatitudinis, me-  
 tus gehennæ, & pœnarum. Quo pœnarum no-  
 mine veniunt non solum pœnæ æternæ, sed  
 etiam temporales, quatenus infliguntur a Deo;  
 cum enim Concilium distinguat inter timorem  
 gehennæ, & timorem pœnarum, videtur loqui  
 de pœnis a gehenna distinctis, quæ non sunt  
 nisi temporariæ. Quoniam tamen has non-  
 nulli Theologi cum Cano excludunt a moti-  
 vo attritionis, puto in praxi curandum esse  
 dolorem saltem ex metu æternæ pœnæ.

33. *Quæst. 2.* Quo tempore moraliter do-  
 lor duret ad confessionem, & an elici debeat  
 ex intentione confessionis? R. 1. aliquam esse  
 analogiam inter forum Civile, & Sacramen-  
 tale, unde potest intercedere aliquod tempo-  
 ris spatium inter discussionem causæ, & sen-  
 tentiam. Verum recte monet La-Croix, eum,  
 qui post elicitum dolorem, alio se pœnitus  
 distraxit, oportere, ut dolorem innovet; quod  
 quidem puto consilium esse, non præceptum,  
 nisi dolor sit retractatus, aut notabilis mora  
 intercesserit. R. 2. probabilior sententia do-  
 cet dolorem elicitum ab eo, qui nondum co-  
 gitaverat de confessione, si moraliter perse-  
 veret, posse postea referri ad confessionem,  
 ipsum manifestando confessori. Sed cum a  
 multis id probabiliter negetur, censeo in pra-  
 xi saquendam esse tutiorem sententiam, quæ  
 requirit dolorem elicitum ex fine suscipiendi  
 Sacramenti.

34. *Quest. 3.* An in Sacramento Pœnitentiæ requiratur propositum non peccandi formale, & expressum? Affirmant aliqui cum Suario, eo quod Tridentinum exigat dolorem *cum proposito non peccandi de cetero*. Alii probabilius dicunt sufficere propositum virtuale, contentum in dolore peccati, si iste sit elicitus ex motivo universali, quam sententiam moraliter certam vocat Cardenas *in prop. I. Innoc. XI.* Ratio est, quia Concilium eo loco subdit, attritionem, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, hominem disporre ad impetrandam gratiam in Sacramento: quocumque igitur modo sive tacite, sive expresse sit propositum, attritio excludit voluntatem peccandi, estque sufficiens dispositio ad Sacramentum. Subjungit tamen Holzmannus, pœnitentem, si de futura vita cogitet, debere proponere emendationem; atque ita Pœnitentibus injungendum est, præsertim cum res sit pertinens ad valorem Sacramenti.

35. *Quest. 4.* Quale debet esse propositum? R. *firmum, universale, & efficax.* Erit autem *firmum*, cum pœnitens habet voluntatem omnino deliberatam ulterius non peccandi, & paratus est animo nullius mali timore, & nullius boni desiderio culpam gravem admittere. Id tamen non tollit, quod pœnitens, attenda fragilitate sua, & prava consuetudine, timeat, se relapsurum; cognitio enim est actio intellectus, quæ stare potest cum bona voluntate, & proposito non peccandi. Si quis tamen certo credat se relapsurum, ante

absolutionem monendus est, ut speret in Dei auxilio, quod nunquam deest iis, qui faciunt quod est in se, sese a peccato liberatum iri.

36. Requiritur 2. ut propositum sit *universale* circa peccata mortalia. Ita D. Th. 3. p. q. 87. a. 1. *Pœnitentia*, inquit, *de peccatis mortalibus requirit, quod proponat abstinere ab omnibus, & singulis.* Secus est de venialibus, in quibus sufficit propositum abstinendi ab aliquo, ut docet idem Angelicus loc. cit. Nec eadem est ratio de dolore, ac proposito; cum enim dolor debeat esse de peccatis commissis, sufficit illa detestari, quæ quis confitetur; propositum autem respicit omnia mortalia in posterum vitanda, adeoque debet esse universale. 2. debet esse *efficax*, id est, aptum efficere id quod proponitur. Non tamen ideo semper est inefficax propositum, quando non efficitur id quod proponitur; potest enim quis sinceram habere voluntatem non peccandi, & postea data occasione illam mutare: quamvis hi, qui sæpe, & cum magna facilitate ad vomitum redeunt, signa præbeant propositi inefficacis; præsertim si animum non applicent ad tollendam occasionem peccati.

37. *Quest. 5.* Quo modo se gerere debeat Confessarius cum his, qui versantur in occasione peccandi? Nota 1. occasio peccandi est omne id, quod ad peccatum allicit, sive ex se, & ex natura sua, sive ex fragilitate hominis peccantis. Ea dividitur in proximam, & remotam; remota est ea, quæ, non

nisi leve, & remotum affert peccandi periculum; proxima vero, quæ verisimile, & grave periculum affert. Paulo aliter explicant alii: *Occasio proxima peccati* dicitur ea, in qua quis constitutus, attenta ipsius fragilitate, aut semper peccat, aut saltem sæpe: quod si accidat, eo quod illa occasio natura sua inducat ad peccatum, erit per se occasio proxima peccandi; si vero id eveniat potius ex fragilitate, aut prava illius consuetudine, erit occasio proxima per accidens tantum, & respective. Remotam illi appellant occasionem, in qua quis versatur sine frequenti peccato, licet forte aliquando in peccatum incidat.

38. Nota 2. id quod respectu unius est occasio remota peccati, potest esse proxima respectu alterius. 3. opus non esse ad occasionem proximam frequentiam peccandi, si quis, v. g. non nisi bis, aut ter agat familiariter cum femina, & cum ea peccet, quotiescumque cum illa tractet familiariter; illa enim familiaritas erit certe grave periculum, & occasio peccandi, ut recte monet Segnerus de eo, qui iter agens, in eadem solet domo hospitari, & cum hospite peccat, quoties ibi hospitatur, licet id non eveniat nisi bis aut ter in anno. 4. neminem saltem sub gravi teneri vitare occasiones remotas peccandi, licet eas fugere optimum sit consilium ex illo Prov. XI. *Qui cavet laqueos, securus erit.* Nec tamen omnes omnino cavere possumus; alias deberemus de mundo exire secundum Apost. 1. ad Cor. 5.

39. Nota 5. occasionem proximam, aliam esse voluntariam, aliam involuntariam. *Involuntaria* est ea, quam quis non potest relinquere vel physice, vel moraliter; *physice* v. g. eam non potest tollere, qui constitutus est in carcere, aut tremibus, unde nequit discedere; pariter qui in articulo mortis constitutus non habet tempus, aut rationem expellendi socium peccati. *Moraliter*, qui tollere occasionem potest, sed non sine scandalo, aut gravissimo detrimento. *Voluntaria* dicitur occasio, quam quis & *physice*, & *moraliter* tollere potest. Certum est autem, graviter eum peccare, qui cum moraliter possit, non vult tollere occasionem peccandi, juxta illud 3. Eccl. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Hinc jure merito damnatæ sunt ab Innoc. XI. propositiones istæ: 1. *proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, vel honesta non fugiendi occurrit.* 2. *licitum est quærere directe causam proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.* Alex. autem VII. damnavit istam: *non est obligandus concubinarius ad eiciendam concubinam, si hac nimis utilis esset ad delectamentum concubinarium, vulgo regalo, dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & aliæ famulæ nimis difficile inventirentur.*

40. His præjectis veluti principiis. R. 1. nullo modo esse absolvendum eum, qui non vult tollere occasionem proximam, quam po-



test moraliter tollere; non enim est rite paratus, nec contritus, qui non habet propositum vitandi peccatum, & proximam occasionem peccati. Constat etiam ex propositione damnata ab Innoc. XI. *potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imo directe, & ex proposito querit.* R. 2. etiamsi pœnitens velit, & promittat relinquere occasionem proximam peccandi, ut plurimum, & ordinarie loquendo absolvi non debet, donec occasionem reliquerit. Ita DD. communiter ex S. Augustino dicente: *satisfactio pœnitentiæ est, peccatorum causas excidere; neque eorum suggestionibus aditum indulgere.* Ratio autem est, quia experientia docet, huiusmodi pœnitentes facile promittere, & post absolutionem promissis non stare, sed ad occasionem redire, adeoque confessarius nequit prudens iudicium ferre de dispositione pœnitentis.

41. R. 3. Id esse intelligendum ordinarie loquendo; nam aliquando poterit, imo & debet confessarius eum absolvere ante occasionem sublatam. 1. si necessitas gravis urgeat absolvendi. 2. si pœnitens extraordinaria signa doloris edat, præsertim si commode differri nequeat absolutio. 3. si pœnitens non possit ad eundem confessarium redire nisi post longum tempus; tunc enim si confessarius prudenter iudicet non esse in illo periculum proximum relabendi, potest absolvi; id quod secus dicendum, si pœnitens ab alio confes-

sario admonitus de tollenda occasione, non abstulerit. 4. denique pœnitens, qui nondum advertit obligationem tollendi occasionem, potest semel, aut iterum absolvi, modo firme proponat ab occasionibus cavere, si occasiones tales non sint, ut natura sua multum inducant ad peccandum. Quod si occasiones sint ejus generis, quæ in se malitiam specialem continent, & specialiter alliciunt ad malum, omnino sunt relinquendæ, antequam vel prima vice absolutio conferatur; ut si quis domi retinet concubinam, aut famula peccat cum hero, & similia. Ita distinguit S. Carolus in *Instr. Confess.*

42. *Quæst. 6.* Quomodo se gerere debeat confessarius cum iis, qui versantur in occasione proxima, sed necessaria? Certum est eum, qui in tali occasione versatur, quam moraliter nequit dimittere, teneri ad procurandum, ut occasio illa ex proxima fiat remota. Sic filius familias, qui cum famula frequenter peccat, remotam faciet occasionem, si famulam solus non alloquatur, si eam curiosus non intueatur, si ab ejus præsentia, quoad poterit, sese subtrahat, si orationi vacet, utatur aliqua austeritate, aliaque remedia opportuna adhibeat, quæ a confessario suggerantur. Idem dico de eo, qui in carcere cum socio peccati versatur, & aliis huiusmodi. Difficultas est, an ille absolvendus sit, antequam remedia opportuna adhibuerit ad occasionem diminuendam, ita ut remota evadat, quæ fuerat proxima?

43. R. 1. Si practicè loquamur, ut plurimum non debet absolvi, qui versatur in occasione proxima externa, præsertim in materia turpi, donec remedia adhibuerit ad tollendam, vel minuendam occasionem. Docet enim experientia, poenitentes, postquam absoluti discedunt, solere negligentius agere, & facillime ad vitium redire. Contra vero, si absolutio per dies aliquot differtur, majorem curam adhibent, remediis præscriptis utuntur, & tentationibus obsistunt. Hæc quidem intellecta volumus ordinariè loquendo; sæpe enim potest illis conferri statim absolutio, ut supra diximus, loquendo de occasione voluntaria. R. 2. si occasio vero sit interna, aut sit ex iis, quæ non ita efficaciter ad malum inclinant, poterit semel, aut iterum absolvi, si confessario visum fuerit, eum sincero animo polliceri occasionem deserere, aut remotam facere: quod si promissis non steterit, differenda est absolutio, donec sublata fuerit occasio.

44. Quæst. 7. An teneatur, quis deserere occasionem proximam peccati, sed necessariam, cum periculo vitæ, famæ, aut alterius gravis damni temporarii? R. ad id non teneri, modo paratus sit remediis uti præscriptis, quæ occasionem ex proxima remotam faciant. Ita Navarrus, Lugo, Tournelius, Holzman, & alii communiter. Ratio autem est illis, quia occasio necessaria peccandi nec in se peccatum est, nec secum affert necessitatem peccandi; quapropter potest cum ea consistere vera detesta-

tio peccati, firmumque propositum non relabendi, & adhibendi remedia præscripta. Nec vero præceptum vitandi occasionem moraliter necessariam obligat, cum sine gravi detrimento vitari nequit; tunc enim periculum formale, & proximum, adhibitis opportunis remediis, evadit materiale, & remotum. Unde optime Basilius in Const. Monast. c. 4. dixit: *Qui urgenti aliqua causa, & necessitate, se periculo obijcit, vel permittit se esse in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus illud subire; & ideo magis providebit Deus, ne in illo pereat.* Id quod satis confirmatur ex c. *laudabilem de frig.*, & *Mal.* ubi conjugibus ab initio impotentibus ob infamiæ periculum simul habitare permittitur cum periculo tactuum.

45. Quæst. 8. Quid si ille post adhibita opportuna remedia, in eadem semper vitia relabitur, nec ulla spes emendationis affulget? R. cum Suario, Navarro, & communi DD. sententia, eum teneri ad occasionem deserendam etiam cum jactura muneris sui, famæ periculo, vel etiam vitæ, tunc enim urget illud Christi præceptum Marci 9. 46. *si oculus tuus scandalizat te, ejice eum.* Et illud Lucæ 9. 25. *Quid prodest homini, si mundum universum lucratur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Est autem ratio, quia homo tenetur, etiam cum vitæ suæ jactura, cavere a periculo proximo peccati formalis; tale autem est periculum in occasione proxima licet necessaria, quando nulla spes affulget emendationis. Neque hoc est

occasionem tantum permittere & periculum, sed permittere in se ipso peccatum, quod nunquam licet. Hinc S. Carolus in *instruct. ad confessarios*, loquens de puella, quæ domi haberet occasionem, ait: *sin autem post similes præcautiones comperiat confessarius penitentem in illud peccatum relabi, deneganda prorsus est absolutio, donec desiverit proximam peccandi occasionem, quicquid tandem evenire debeat.* Unde Innoc. II. c. *fratres* dicit: *falsa enim fit penitentia, cum penitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet, eodemque modo loquitur S. Greg. VII. in laudato capite.*

46. *Quæst. 9.* Quid agere debeat confessarius cum recidivis, & prava consuetudine irretitis. Ante omnia notare oportet damnatam esse ab Innoc. XI. hanc propositionem; *Penitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, non est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* Deinde oportet distinguere recidivos a consuetudinariis; isti enim sunt quicumque in prava consuetudine versantur; recidivi autem dicuntur, qui post plures confessiones in eadem peccata gravia relabuntur. His præmissis, respondeo 1. eum, qui prima vice pravam consuetudinem confitetur, absolvi posse, modo signa doloris, & verum propositum manifestet. Ita. DD. communiter; eo quod nulla sit prudens ratio dubitandi ipsum sine dispositione necessaria ad

Sacramentum accedere, præsertim cum ipsa spontanea peccatorum confessio sit contritionis signum, nisi obstet aliqua præsumptio in contrarium. Nec vero pravus habitus signum est sufficiens defectus doloris in eo, qui paratum se præbet ad remedia adhibenda, quæ a confessario ad tollendum habitum pravum præscribantur. Certe Catech. Rom. de Pœnit. n. 60. ait: *Si audita confessione, judicaverit (Sacerdos) neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem penitenti omnino defuisse, absolvi poterit.* Ubi verbum illud omnino defuisse notandum est.

47. R. 2. Recidivum, qui post confessionem in eadem peccata gravia relabitur, non esse absolvendum, nisi extraordinaria signa doloris, & spem emendationis exhibeat. Ita docet communis sententia Theologorum. Prima pars aperte deducitur ex damnata ab Innocentio XI. propositione, & ex doctrina SS. PP. Augustinus enim in ps. 6. ait: *quod facile sanatur, non multum cavetur; ex difficultate autem sanationis erit diligentior custodia sanitatis.* Isidorus autem 2. Sent. c. 16. *ille penitentiam digne agit, qui sic præterita mala deplorat, ut futura iterum non committat.* S. Greg. in 1. Reg. c. 6. & alii Quare S. Carolus in *Inst. ad Confess.* optime docuit: *proroganda est absolutio eis, qui a multis annis iisdem peccatis perseverarunt.*

48. Rationem autem affert De-Lugo: nam Confessarius nequit penitentem absolvere, nisi prudenter judicet eum esse rite dispositum. Non potest autem a Confessario prudens iudicium

ferri de dispositione illius, qui in alia Confessione admonitus eodem modo cecidit nec curavit ea remedia, quæ ad vincendas tentationes Confessarius, vices Medici gerens, præscripsit. Certe frequens ille relapsus magnam præbet suspicionem de falsa pœnitentia; qui enim ex animo firmo proponit, non ita facile propositi obviscitur, & saltem rarius cadit, ac difficilius.

49. Secunda pars nostræ responsionis est contra eos, qui nimis rigide volunt consuetudinarium nunquam esse absolvendum, nisi de emendatione ipsius constet diuturno experimento. Ratio autem nostræ, & communis doctrinæ est; quia ad absolutionem non requiritur certitudo physica de dispositione pœnitentis, sed moralis, & prudens, ut docet D. Th. 1. 2. q. 19. ar. 3. & constat ex Catech. R. supra laudato. Quoties ergo Confessario desit prudens ratio dubitandi de dolore, & proposito Confitentis, absolvi poterit. Jam vero si recidivus, consuetudine peccandi implicatus, extraordinaria signa doloris edat, per ea tollitur prudens suspicio de ipsius indispositione, adeoque Confessarius prudenter judicare poterit eum esse rite dispositum. Unde recte notat Milante, in proposit. damnata ab Innoc. non excludi consuetudinarium utcumque talem, sed qui nullam dat emendationis spem: *igitur consuetudinarius, qui dat aliquam emendationis spem, modo hæc sit solida, & fundata, potest absolvi.*

50. Nec vero spes emendationis petenda solum est ab experientia anteactæ vitæ, cum alia sint fundamenta, quibus inniti possit. Imo fieri

aliquando potest, ut aliquis se longo tempore a vitiis pro mundi hujus honestate contineat, ut ait S. Gregorius, & tamen non sit rite depositus: *Temporis moram non quæro*, inquit B. Chrys. hom. 14. in 2. ad Cor. *sed animæ correptionem; hoc itaque fac demonstres, sintne compuncti, sintne in melius commutati, & res tota confecta est.* Sed rogabis, quænam sint extraordinaria doloris signa, quibus recidivus statim possit absolvi? R. plura traduntur a DD.; præcipua autem esse possunt 1. maximus dolor, patefactus per suspiria, lacrymas, gemitus, & cordialia verba, quamvis enim non semper ea signa certa sint pœnitentiæ; præsertim in feminis; ut plurimum tamen talia credenda sunt, nisi aliunde ratio contraria obstet. Hinc S. Leo ep. 82. ait: *in dispensandis Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas, gemitusque negligere, cum ipsam pœnitentiæ affectionem credamus ex Dei inspiratione conceptam.*

51. Secundum doloris signum assignari solet imminutio peccatorum; quod tamen intelligendum est, cum pœnitens fuerit in iisdem peccandi occasionibus, & tentationibus; aut si ille post ultimam confessionem diu se continuerit, v. g. per aliquas hebdomades, cum antea sæpius in hebdomada peccare soleret. Tertium signum erit studium ad emendationem adhibitum, ut si pœnitens per jejunia, eleemosynas, orationem ad confessionem separaverit, occasiones fugerit, & remedia præscripta adhibuerit. IV. Si pœnitens sponte remedia petat ad sui emendationem, eaque diligentius exequi serio promittat; præser-

tim si de illis adhibendis nunquam antea fuerit admonitus. De cetero puto, hujusmodi promissis non multum esse fidendum, cum pœnitentes facile promittant ad obtinendam absolutionem, & postea promissa negligant. V. spontanea confessio potest esse signum veri doloris, cum pœnitens specialem conatum adhibuit, ut accederet ad Sacramentum, v. g. si longum iter est aggressus, si magnum conflictum internum superavit, si difficultates externas vicit; si lumen, & inspirationem Divinam interius sensit, quæ efficaciter eum ad pœnitentiam moverent. Confessiones autem factæ vel ex præcepto Paschali urgente, vel ex consuetudine loci, vel ex præcepto Parentis, domini, aut pædagogii non satis probat sincerum dolorem, & desiderium resipiscendi.

52. VI. Signum esse potest, si pœnitens accedat ductus aliqua extraordinaria causa, v. g. concionis auditæ, Missionis sacræ, mortis alicujus amici, ex timore terræmotus, pestis, cet. VII. Si pœnitens sponte confiteatur peccata, quæ per diuturnum tempus verecundia motus tacuerat. VIII. si ante confessionem restituerit ablatum, famam proximi læsam reparaverit, occasionem a se vel a domo sua sponte removerit. IX. Addo cum Milante, si post seriam Confessarii adhortationem, vel correptionem ostendat sese adeptum novam cognitionem suæ iniquitatis, periculi damnationis æternæ; præsertim si magnam pœnitentiam, tum satisfactoriam, tum medicinalem bono animo excipiat, & similia. Hæc sunt præcipua signa, quæ sufficiunt, ut Confessarius

prudenter, & probabiliter judicet pœnitentem esse rite dispositum; nec aliud requiritur, ut possit absolvere, ut ait Suarius de Pœnit. d. 3. 2. Sect. 2. n. 1. ex D. Th. supra laudato.

53. *Quæst. ultima.* An pœnitenti rite disposito possit confessarius differre absolutionem, & quando id fieri expediat? R. posse Confessarium, ac debere absolutionem differre, quoties ita emendationi pœnitentis expedire in Domino judicaverit. Nec pœnitens licet alioqui rite dispositus, potest juste repugnare; quamvis enim jus habeat ad absolutionem, non tamen habet jus, ut ei statim concedatur, quando Judex prudenter credit aliquam dilationem spirituali ipsius bono convenire. Ratio est, inquit De-Lugo, quia Confessarius non solum est Judex, sed etiam Medicus. Et licet proferendo sententiam præcipue judicis munus exerceat, debet quoque curare ut Medicus in ipsa a solutione salutem pœnitentis, eo videlicet modo, ac tempore absolvendo, quo magis cedere putet in remedium ægroti. Id autem locum habet, cum Confessarius timeat pœnitentem facilius relapsurum, nisi in ipsa difficultate, & dilatione absolutionis cognoscat gravitatem peccati, & necessitatem emendationis. Quando autem id expediat, non est facile definire; sed relinquendum prudentiæ confessarii, qui qualitatem peccatorum, & pœnitentis considerare debet.

54. Notant tamen DD. 1. nullo modo expedire absolutionem differre, quando dilatio magis obfuturæ, quam profutura videatur. 2. nec in casu gravis, & urgentis necessitatis, & in

articulo mortis. 3. neque imminente pœnitentis infamia, si aliunde sit rite dispositus. 4. dilationem absolutionis non debere esse diuturnam, ne pœnitentes rite dispositi priventur gratia Sacramenti. Imo etsi non sint recte parati, dilatio non debet esse magna; ægre enim pœnitentes redeunt ad Sacramentum post tempus longe diuturnum. Tutius erit illôs sine absolutione dimissos rogare, ut post octo dies, aut quindecim revertantur, & ipsis animos addere, ut ante rēditum ea, quæ illis agenda præscribuntur, rite perficiant. Quod si nondum ab eis ablata fuerit occasio peccandi, vel consuetudo iterum absolutio differatur, donec emendantur. Vide Bened XIV. ep. Encycl. quæ incipit *Apostolica*.

55. Quæres autem quænam remedia præscribi debeant recidivis, & consuetudinariis? R. frequens Oratio priorum librorum lectio, aliqua austeritas corporea, fuga occasionum, certa sibi injungenda pœnitentia, vel eleemosyna, quoties in idem peccatum redeunt; denique Sacramentorum frequentia, præsertim Confessionis; nam ut docet D. Th. Suppl. q. 25. a. 1. majus remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex assuetudine nostrorum operum. Quo remedio pro recidentibus in vitium turpe usum fuisse cum fructu D. Philippum Nerium, aliosque SS. Viros, constat ex eorum Actis. Nominatim vero de vitio pollutionis ait Tolletus lib. 5. c. 13. *Vix puto esse aliud efficax remedium, quam frequentissimam confessionem adhibere; est enim hoc Sacramentum efficax frenum, & qui hoc*

*non utitur, non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum. Quæ doctrina conformis est doctrinæ Ritualis Romani de Sac. Pœnit. dicentis: in peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpe confiteantur, & si expediat, communicent.*

## CAPUT IV.

## De Confessione.

56. Quæst. 1. Quid sit Confessio Sacramentalis, & qualis ea debeat esse? R. est accusatio priorum peccatorum, facta Sacerdoti, legitime ad id muneris approbato, ad eorum remissionem obtinendam. Est necessaria saltem in voto, quatenus est pars Sacramenti pœnitentiæ, & quidem necessitate mediæ omnibus, qui post baptismum graviter peccaverunt, ut colligitur ex Tridentino Sess. 14. c. 5. Obligat autem per se confessionis præceptum in mortis articulo, & in quovis gravi vitæ periculo. Per accidens autem quando sumenda est Eucharistia; si sumpturus in mortali versetur, & quoties necessarium sit confiteri ad vincendam aliquam gravem tentationem.

57. Quæst. 2. Qualis integritas requiratur ad valorem confessionis? R. duplex solet distinguï confessionis integritas; alia physica, & materialis, qua quis omnia, & singula peccata confessori manifestat; alia moralis, & formalis, qua quis ea peccata confitetur, quæ habet in conscientia, eo modo humano, & morali, quod attentis circumstantiis potest declarare; licet

articulo mortis. 3. neque imminente pœnitentis infamia, si aliunde sit rite dispositus. 4. dilationem absolutionis non debere esse diuturnam, ne pœnitentes rite dispositi priventur gratia Sacramenti. Imo etsi non sint recte parati, dilatio non debet esse magna; ægre enim pœnitentes redeunt ad Sacramentum post tempus longe diuturnum. Tutius erit illôs sine absolutione dimissos rogare, ut post octo dies, aut quindecim revertantur, & ipsis animos addere, ut ante rēditum ea, quæ illis agenda præscribuntur, rite perficiant. Quod si nondum ab eis ablata fuerit occasio peccandi, vel consuetudo iterum absolutio differatur, donec emendentur. Vide Bened XIV. ep. Encycl. quæ incipit *Apostolica*.

55. Quæres autem quænam remedia præscribi debeant recidivis, & consuetudinariis? R. frequens Oratio priorum librorum lectio, aliqua austeritas corporea, fuga occasionum, certa sibi injungenda pœnitentia, vel eleemosyna, quoties in idem peccatum redeunt; denique Sacramentorum frequentia, præsertim Confessionis; nam ut docet D. Th. Suppl. q. 25. a. 1. majus remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex assuetudine nostrorum operum. Quo remedio pro recidentibus in vitium turpe usum fuisse cum fructu D. Philippum Nerium, aliosque SS. Viros, constat ex eorum Actis. Nominatim vero de vitio pollutionis ait Tolletus lib. 5. c. 13. *Vix puto esse aliud efficax remedium, quam frequentissimam confessionem adhibere; est enim hoc Sacramentum efficax frenum, & qui hoc*

*non utitur, non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum. Quæ doctrina conformis est doctrinæ Ritualis Romani de Sac. Pœnit. dicentis: in peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpe confiteantur, & si expediat, communicent.*

## CAPUT IV.

## De Confessione.

56. Quæst. 1. Quid sit Confessio Sacramentalis, & qualis ea debeat esse? R. est accusatio priorum peccatorum, facta Sacerdoti, legitime ad id muneris approbato, ad eorum remissionem obtinendam. Est necessaria saltem in voto, quatenus est pars Sacramenti pœnitentiæ, & quidem necessitate mediæ omnibus, qui post baptismum graviter peccaverunt, ut colligitur ex Tridentino Sess. 14. c. 5. Obligat autem per se confessionis præceptum in mortis articulo, & in quovis gravi vitæ periculo. Per accidens autem quando sumenda est Eucharistia; si sumpturus in mortali versetur, & quoties necessarium sit confiteri ad vincendam aliquam gravem tentationem.

57. Quæst. 2. Qualis integritas requiratur ad valorem confessionis? R. duplex solet distinguï confessionis integritas; alia physica, & materialis, qua quis omnia, & singula peccata confessori manifestat; alia moralis, & formalis, qua quis ea peccata confitetur, quæ habet in conscientia, eo modo humano, & morali, quod, attentis circumstantiis potest declarare; licet

forte per innoxiam oblivionem, aut alia justa de causa peccatum aliquod prætermittat. Jam vero integritas formalis semper est necessaria; quia Judex non potest legitimam fere sententiam de peccatis, nisi ea cognoscat; confessor ergo ut pœnitentem absolvat, debet agnoscere conscientiam ejus, adeoque ab eo audire debet omnia, & singula peccata, quoad more humano fieri possit.

58. Est etiam *per se*, & *ordinarie* loquendo necessaria *integritas materialis*, ita ut quisque teneatur post diligens conscientia examina aperire Confessori omnia, & singula mortalia, nondum rite confessa, eorumque numerum, & circumstantias speciem mutantes, ut definit Trid. Sess. 14. c. 7. Quod si ob multitudinem peccatorum pœnitens non possit invenire numerum definitum, satis est confiteri numerum probabilem, addendo *plus*, *minusve*; quæ verba extenduntur ad unum vel duo supra numerum indicatum, si numerus sit parvus; si vero maximus, ad plura referuntur secundum usitatum modum loquendi. In Consuetudinariis autem frustra requiritur sæpissime numerus etiam probabilis; adeoque ne errandi periculo exponantur, prudens Confessarius tantum exquiret tempus prævæ consuetudinis, & frequentiam peccatorum per dies, mensem, vel hebdomadam, atque ita saltem in genere eorum numerum apprehendet, quantum satis est ad ferendum iudicium de statu conscientia.

59. *Quæst. 3.* An sint necessario confitenda circumstantia peccati mortalis, quæ intra

eandem speciem notabiliter peccatum aggravant? R. affirmant probabiliter Suarius, Canus, Sanctius, aliique multi: quia tales circumstantia valde immutant iudicium confessarii. Quod confirmant ex Rit. Rom. dicente: *quod si pœnitens, numerum, speciem, & circumstantias explicatu necessarias non expresserit, Sacerdos eum interroget.* Ubi speciem peccati distinguit a circumstantiis. Catech. item Rom. p. 2. c. 5. §. 47. ait, in peccato mortali explicandas esse circumstantias: *quæ praviratem valde augent, vel minuunt.* Nihilominus mihi probabilior videtur sententia negans circumstantias mere aggravantes esse materiam necessariam confessionis. Eam tenent S. Benard. Sen., S. Bonaventura, S. Antoninus, & D. Angelicus, quibus subscribunt Cardinales Toletus, & Lugo Roncaglia, Cabassutius, & alii bene multi.

60. Et quidem de mente D. Thomæ fatentur ipsi Adversarii Canus, Sotus, & alii, nec negare potuissent Concina, si S. Thomæ verba attento, & non præjudicato animo perlegisset. Ait enim in 4. dist. 16. q. 3. ar. 2.: *& quia circumstantia aggravantes, quæ aliam speciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, sed non peccati mortalis, non sunt de necessitate confessionis.* Atque ita S. Doctorem interpretatur, & sequitur B. Antoninus 3. p. tit. 14. §. 7. *Tertia sunt, quæ important inconvenientiam, ut furari multum (furari centum florenos multo gravius est, quam furari unum) & istas, quæ peccatum aggravant, confiteri est perfectum, sed quia non mutant speciem, nec aggravant in infinitum, non*



est necessarium eas confiteri secundum Thomam.

61. Ratio autem deducitur 1. ex Trid. dicente Sess. 14. c. 5. eas circumstantias in Confessione explicandas, quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, neque iudicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de quantitate criminum recte censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Ex quibus verbis non obscure videtur excludi obligatio confitendi circumstantias, peccati speciem non mutant. Ratio. 2. est; quia alias pœnitentes inter graves angustias fluctuarent incerti de integritate confessionum, dubitantes, quænam sint circumstantia, quæ notabiliter aggravant; & hinc recte docet D. Th. loco cit. q. 2. ad 2. *quantitas peccati non potest Sacerdoti innotescere, quia nec ipse peccator scit: unde sufficit, quod cognoscat quantitatem, quæ ex specie peccati consurgit.* Unde recte Lugo deducit, eum, qui species peccati confitetur, vere explicare essentiam ejus, quæ tantum sumitur ex ratione ipsius specifica. Accedit, negari ab ipsis Adversariis obligationem confitendi circumstantias, quæ valde minuunt peccati gravitatem, puta vehementiam passionis, quæ ad peccandum trahit, alienam inductionem, gravem occasionem, & tentationem aliâque his similia; cur ergo imponenda est nobis obligatio confitendi circumstantias peccatum augentes intra eandem speciem?

62. Denique nemo tenetur servare legem dubiam, ut recte arguunt Cabassutius, & Roncaglia, & diserte tradit D. Th. quodl. 14. de Ver.

q. 17. a. 3.: *nullus ligatur per præceptum ali-quod, nisi mediante scientia illius præcepti; nomine autem scientiæ intelligit Ang. D. notitiam certam alicujus rei.* Unde lex confitendi circumstantias cum saltem sit valde dubia, non obligat in conscientia. Et ideo Tridentinum talem obligationem non aperuit, ut Lugo animadvertit, quia eam colligere satis non potuit ex Christi verbis, & Sacramenti institutione. Et quamvis opinio obligans ad confitendas circumstantias, sit omnino tutior, non ideo tenemur eam sequi ex prop. damnata Innoc. XI. quæ solum loquitur de illis sententiis circa materiam, & formam Sacramenti, quæ exponunt Sacramentum periculo nullitatis; in nostra autem opinione, etsi forte contra Deo esset falsa, confessio valida est, & saltem formaliter integra.

63. Sunt tamen aliquæ circumstantiæ aggravantes, quæ licet speciem ex se non mutant, ex alio capite confitendæ sunt; v. g. si circumstantia secum ferat censuram, vel reservationem; vel a Confessario prudenti interrogetur, ut statum pœnitentis melius possit agnoscere. Pariter quantitas furti, injuriæ, cet. quæ majori, vel minori indiget satisfactione, odium diuturnum, & diuturna carnis concupiscentia erga mulierem ob numerum peccatorum, quæ in illa diuturna mora replicantur; incestus cum consanguineis an in primo gradu, an in aliis; nam juxta communem sententiam in primo gradu est diversæ speciei ab aliis. De aliis gradibus usque ad quartum disputant Theologi, an sint ejusdem speciei inter se, & cum affinibus. Explicandus au-

tem erit incestus inter privignum, & novercam, interque socerum, & nurum. Denique damnata est ab Innoc XI. hæc propositio: *non te nemur confessario interroganti sateri peccati alicujus consuetudine*. Confessori enim, ut Medico spirituali jus est, ut interrogando cognoscat ægritudinem pœnitentis ad eam curandam opportunis remediis, & pœnitens debet illi declarare omne id, quod ad salutem suam conferre potest; atque in hoc sensu intelligendum est Rituale Romanum, & Romanus Catechismus.

64. *Quæst. 4. An sit obligatio confitendi peccata dubia?* R. si peccata sint positive dubia, nempe si utrinque rationes adsint probabiles, negant communiter omnes ii, qui tuentur licitum esse sequi opinionem vere probabilem, quantumvis minus tutam; nam qui cum fundamento dubitat, an peccaverit, necne, potest sibi efformare judicium prudens de eo, quod non teneatur confiteri, deponendo dubitationem. Si vero peccata sint negative dubia, multi etiam probabilistæ docent, ea necessario clavibus subjicienda. Ita Sanctius, Layman, Busembaum, & alii ex Trid. Sess. 14. c. 5. dicente: *oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri*. Confirmat D. Thomas in 4. d. 21. q. 1. art. 3. ad 3. Atque hæc videtur esse praxis fidelium, qui solent confiteri omnia mortalia, prout conscientia dictat, certa nimirum ut certa, dubia tamen ut dubia.

65. Et quamvis multi, & graves DD. cum S. Antonino contrarium sentiant, scilicet du-

bium quod caret probabili ratione, deponi debere ut loquitur Habert, adeoque nulla esse obligationem confitendi peccata dubia, neque ea proprie esse in conscientia; nihilominus in praxi standum est communi sententiæ & pœnitentes suadendi sunt, ut confiteantur omnia mortalia, sive positive dubia sint, sive negative; nam ut ait Lugo, in re morali non est facile recedendum a communi sententiâ. Itaque is, qui dubitat, an peccatum, quod commisit, sit mortale, vel veniale, tenetur illud confiteri: pariter is, qui dubitant, an illud confessus fuerit. Quamquam si quis diligens sit in examinandis, & confitendis peccatis, & post elapsam multum tempus dubitet, an aliquod omiserit, potest moraliter sibi persuadere, de illo fuisse confessum. Imo subjungit Concina: si quis prius ex prava consuetudine in plura peccata lapsus fuerit, & postea sit vere conversus per constantem, vitæ integritatem, si tunc dubitet, an omiserit in Confessione generali, particulari diligenter peracta aliquod peccatum, vel circumstantiam, Confessarius prohibeat illi, ne recogitet quidem de præterita vita, sed piis meditationibus incumbat.

66. Scrupulosi autem minime tenentur præterita peccata confiteri, nisi certi sint ea non fuisse confessos. Item eximi debent ab obligatione confitendi peccata dubia ii, qui sunt meticulose conscientiæ, nec solent deliberate peccato mortali consentire; hi enim prudenter judicare possunt sese non præstitisse assensum, cum præsumptio sumatur ex communiter contingentibus. Monet autem hic Suarius, eum, qui sola

peccata dubia confitetur, monendum esse, ut addat aliquod certum ex alias confessis, ut absolutio cadat super materiam certam. Si quis autem peccatum, quod ut dubium confessus est, reperiat esse certum, debet illud confiteri ut certum, ut tener communis sententia; secus vero si ut certum confessus fuerit, & postmodum de illo dubitet. Si quis tamen ita dixerit: *peccavi sex, aut septies, plus minusve*, & postea certo noverit peccasse *septies, aut octies*, non tenetur iterum confiteri, cum moraliter non varietur iudicium Confessoris.

67. *Quest 5.* Quænam excusent ab integritate materiali confessionis? R. excusat impotentia physica, vel moralis, cum præceptum Divinum non obliget ad impossibile. *Impium est*, inquit Trid. Sess. 14. c. 5. *confessionem . . . impossibilem dicere; aut carnificinam conscientiarum appellare.* Itaque ex hoc capite ab integritate materiali excusatur, qui post diligens conscientie examen alicujus peccati gravis obliviscitur. Diligentia autem debet esse moralis, & prudens, qualem in arduis negotiis viri prudentes adhibere solent; si quid autem postea occurrat, quod non sit in Confessione explicatum, & materia sit gravis, in altera Confessione manifestandum erit, ut constat ex 11. propos. damnata ab Alex. VII. dicente: *peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans vitæ periculum, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.* Invalida autem, & nulla erit Confessio non integra ex ignorantia, vel negligentia graviter culpabili, cum Tridentinum requirat diligentem sui

discussionem. Rudes autem adjuvari possunt a Confessario, quod in aliis personis non probat Suarius. *V. Catech. Rom. p. 2. c. 5.*

68. Excusatur etiam a materiali integritate qui usum linguæ non habet, ut mutus, qui tamen per nutum, vel scripturam tenetur peccata sua manifestare, modo non adsit periculum evulgationis. 3. Surdus, qui non possit omnia explicare; satis enim est explicare quæ possit. 4. ignarus idiomatis, tempore præcepti, vel gravis necessitatis; nec est obligatio confitendi per interpretem, nisi instet præceptum propriæ charitatis, ut cum de contritione non sit securus; & in articulo mortis, in quo multi dicunt, satis esse, aliquod peccatum confiteri, accusando se generatim de ceteris. 5. qui versantur in conflictum, vel naufragio, dicto uno peccato, & si id fieri non possit sine infamia, confitendo in genere peccata, possunt absolvi, & quidem simul sub illa formula, *Ego vos absolvo*, cet. 6. tempore contagii, vel pestis, si confessarius nequeat absque periculo, etiam procul adstans ipsum diutius audire, potest uno, vel altero audito crimine, ægrotum absolvere. 7. Moribundus, usu linguæ destitutus, si petat absolvi, aut signa dolori coram aliis dederit, petendo Confessionem. Ita communis sententia cum S. Thoma, Antonio, Rituali Romano, & confirmat Ecclesiæ praxis. Imo etsi nulla signa doloris de novo dederit, modo christiane vixerit, posse, & debere absolvi conditionate, multi docent cum SS. Antonino, & Augustino, ut quomodo possit, æternæ illius salutis consulatur, atque hæc doctrina in praxi est consulenda.

69. Quid vero de eo, qui fuit sensibus destitutus in actu peccati, puta duelli, adulterii, cet. ? R. adhuc eum sub conditione absolvendum, si catholicus fuerit censent Holzeman, & alii, ducti auctoritate D. Augustini lib. 1. de adult. conjug. c. 28. dicentis: *Ego non solum alios Catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium coniugiis copulati retinent adulterina consortia, si desperati, & intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebris usque ad baptismum statuerant retinerit? quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit.*

70. Ex capite impotentiae excusatur etiam infirmus, qui est in gravi periculo, ne deficiat, antequam integre confiteantur. Pariter: si instet necessitas dandi Viatici, & ob angustias temporis confessio perfici nequeat, vel sine infamia integra fieri non possit, tunc confessarius debet audire peccata graviora, & illum absolvere, imposita illi obligatione perficiendi confessionem, si postea licuerit. Nec integre confiteri tenetur, qui id non potest facere sine periculo gravi spiritali vel proprio, vel confessoris, ut si prudenter timeas confessarium fracturum esse sigillum, vel sumpturum inde occasionem peccandi. Verum si haberi potest alius confessor, adeundus, est, aut differenda confessio, nisi præceptum instet, aut immineat scandalum. Idem dico, si ex confessione alicujus peccati prudenter timeatur infamia, confessioni extrinseca; nam ea, quæ

consistit in sola manifestatione peccati facta confessario, est necessaria, nec satis est ad integritatem impediendam; sicut non est sufficiens ratio dimidiandæ confessionis populi concursus, quantumvis magnus, ut constat ex prop. damn. ab Innoc. XI. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiata confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die alicujus magnæ Festivitatæ, vel Indulgentiæ.*

71. Quæst. 6. An sit obligatio detegendi in confessione peccati socium, seu complicem? R. 1. id non licere, quando non necesse est ad integritatem confessionis, cum nulla sit justa causa ipsum infamia notandi apud confessarium. Quod si pœnitens possit ei confiteri, qui non cognoscit personam complicitis, tenetur id facere; & in hoc omnes conveniunt, inquit Suarez. Id intellige, si comode possit; neque enim ideo tenetur diu differe confessionem, si sit in peccato lethali, aut urgeat præceptum communicandi, vel magna inde privaretur gratia spiritali. R. 2. contra Navarrum, & alios: pœnitens tenetur confiteri peccatum mortale, vel ejus circumstantiam mutantem peccati speciem, etiamsi explicari nequeat sine manifestatione complicitis. Ita communis sententia cum D. Th. opusc. 12. q. 7. dicente: *Si speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam, cum qua peccavit, puta, si cum sorore concubuit, necesse est, ut exprimendo peccati speciem, exprimat personam. Sed si fieri potest, debet querere talem Confessorem, qui personam sororis non cognoscat.*

72. Idem docet S. Bernardus in form. bon. vitæ: de nullo, inquit, sinistre loquaris, nisi in confessione, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum. Ratio autem est, quia integritas confessionis servari debet, cum licite servari potest; nec illicita potest esse manifestatio criminis, quæ fit ex causa justa, qualis est confessionis. Accedit complicem, dum peccato consentit, amittere jus ad famam in ordine ad confessionem illius peccati. Non ideo tamen potest confessarius exquirere nomen complicitis, ut declaravit Bened. XIV. in Constitutione, quæ incipit: ubi primum, ubi sub gravibus pœnis prohibentur confessarii pœnitentem adigere ad manifestandum nomen complicitis, & locum habitationis sub specioso prætextu ipsum cerrigendi. Id tamen non prohibet, quominus confessarius possit inquirere circumstantias peccati, quæ speciem mutant, aut quæ necessariae sunt, ut pœnitentis correptioni consulat, puta, an persona, cum qua peccaverit, sit consanguinea in primo, vel secundo gradu, an ligata voto, an sit ejus ancilla, & habitet in eadem domo, cet. Atque etiam cum agitur de graviore malo, vel scandalo vitando potest confessarius obligare pœnitentem, ut revelet ei, cui impedire malum incumbit; raro autem expedit, ut confessarius hoc sibi munus arroget ob periculum scandali, revelationis sigilli, & offensionis sacri ministerii.

Utrum pœnitens, qui reservatum peccatum habit posit cetera confiteri, prætermisissis reservatis, Superiori postea confitendis? dicemus ubi de reservatione.

73. Quæst. 7. Quænam sunt reliquæ conditiones confessionis? R. in primis debet esse vocalis ex usu, ex praxi Ecclesiæ, citra necessitatem graviter obligantem, & ex Concilio Florentino, requirente oris confessionem, denique ex communi Theologorum consensu cum S. Th. quolib. 1. q. 6. art. 1. Non est tamen de essentia Sacramenti, & in necessitate fieri potest nutibus, gestibus, vel scripto, ut in mutis, & moribundis sensibus destitutis fieri solet. Imo si quis ob anxietatem loqui non possit, aut ob summam verecundiam aliter sese explicare non possit ut in puella accidere potest, satis erit, ut in scripto peccata sua legenda tradat confessario, quibus ab eo lectis, ipsa dicat: de his me accuso. Ita Suarez, De-Lugo, Salmat. & constat ex Extrav. inter cunctos in Privileg. ubi dicitur: nisi articulus necessitatis occurrat, sanctificanda est oris confessio. Jam vero qui aliter non potest, tenetur confiteri per nutus, vel scripturam tempore præcepti; etsi quoad scripturam id multi non admittant extra mortis articulum. Surdi autem etsi non obligentur scripto confiteri, suadendi sunt id facere, si commode possint, ne ab aliis audiantur.

74. Alia conditio est, ut sit secreta; publica enim confessio non obligat, nisi ex præcepto charitatis in bello, naufragio, cet. in quo satis est aliquot peccatum confiteri, & de ceteris se accusare in genere, ut supra dictum est. Tertia, ut sit vera, ita ut qui confessorem decipiat in re gravi, & necessaria, mortaliter peccet, & irritam faciat confessionem. Quod si

in re levi, aut in materia non necessaria quis mentiatur in confessione, non peccat graviter, tum quia materia levis est, tum quia non decipitur Sacerdos in re gravi. Potest tamen aliquando esse mortale; v. g. si mentitur circa veniale, non apponendo aliam materiam Sacramenti, quia redderet absolutionem invalidam. Pariter si neget mortale alias confessum confessario legitime interroganti; vel afirmet mortale, quod non fecit, vel neget id, quod revera fecit, & tenetur confiteri; tunc autem præter mendacium grave committit etiam sacrilegium contra virtutem religionis.

75. *Quæst. 8.* Quando confessio sit invalida ex parte confessoris? R. 1. si jurisdictionem non habuit, vel certe impeditam per censuram, nisi sit toleratus. 2. si formam absolutionis quoad substantiam vitiavit. 3. si non habuit intentionem absolvendi. 4. si peccatum nullum intellexit; verum si confessarius vel ob surditatem, distractionem, vel ignorantiam sine culpa pœnitentis aliqua non intellexit, aut putavit veniale, quod fuit mortale, nulla est obligatio iterandi totam confessionem, sed satis est repetere id, de quo dubitat, an intellexerit. Secus si pœnitens fide mala quærat confessarium surdum, vel ignarum; tunc enim cum peccaverit, nec fuerit rite dispositus, invalida est confessio, & denuo est iteranda.

73. *Quæst. 9.* Quomodo confessio sit invalida ex parte pœnitentis? R. 1. quoties confessio fuit, nulla, vel quia pœnitens tacuit sciens prudeus aliquod peccatum mortale nondum ri-

te confessum, vel negligens fuit in discutienda conscientia, vel caruit dolore, aut propositio se emendandi, & tollendi occasiones, cet. Quod si confessio per culpam pœnitentis fuit invalida, repetenda sunt eadem peccata, quasi non fuissent confessa, quia confessio non fuit Sacramentalis.

77. Sunt tamen multi putantes sufficere, si pœnitens confiteatur eidem confessario, qui saltem in genere meminerit status pœnitentis, se iterum accusare de peccatis olim confessis, cum hæc ratificatio conjuncta cum præcedenti notitia confessoris reddat confessionem sacramentalem. Quæ opinio magis communis est, nec minus probabilis, quam tuentur S. Antoninus, De Lugo, Navarrus, & alii; idemque affirmant, cum defectus se habuit ex parte confessorii. Contra vero dicendam, si alius sit confessarius, aut si sit idem, & non recordetur præteritæ confessionis, quantum est satis ad iudicium ferendum de statu pœnitentis, vide alia apud auctorem.

## CAPUT V.

### De satisfactione.

78. Satisfactio in genere est quævis pœna, seu punitio sui ad compensanda peccata, sive illa sit sponte suscepta, sive a Deo immissa, & ab homine accepta in criminum suorum compensationem. Satisfactio vero Sacramentalis est pœnitentia, a confessario imposita pœnitenti juxta gravitatem peccatorum, & facultatem pœni-

in re levi, aut in materia non necessaria quis mentiatur in confessione, non peccat graviter, tum quia materia levis est, tum quia non decipitur Sacerdos in re gravi. Potest tamen aliquando esse mortale; v. g. si mentitur circa veniale, non apponendo aliam materiam Sacramenti, quia redderet absolutionem invalidam. Pariter si neget mortale alias confessum confessario legitime interroganti; vel afirmet mortale, quod non fecit, vel neget id, quod revera fecit, & tenetur confiteri; tunc autem præter mendacium grave committit etiam sacrilegium contra virtutem religionis.

75. *Quæst. 8.* Quando confessio sit invalida ex parte confessoris? R. 1. si jurisdictionem non habuit, vel certe impeditam per censuram, nisi sit toleratus. 2. si formam absolutionis quoad substantiam vitiavit. 3. si non habuit intentionem absolvendi. 4. si peccatum nullum intellexit; verum si confessarius vel ob surditatem, distractionem, vel ignorantiam sine culpa pœnitentis aliqua non intellexit, aut putavit veniale, quod fuit mortale, nulla est obligatio iterandi totam confessionem, sed satis est repetere id, de quo dubitat, an intellexerit. Secus si pœnitens fide mala quærat confessarium surdum, vel ignarum; tunc enim cum peccaverit, nec fuerit rite dispositus, invalida est confessio, & denuo est iteranda.

73. *Quæst. 9.* Quomodo confessio sit invalida ex parte pœnitentis? R. 1. quoties confessio fuit, nulla, vel quia pœnitens tacuit sciens prudeus aliquod peccatum mortale nondum ri-

te confessum, vel negligens fuit in discutienda conscientia, vel caruit dolore, aut propositio se emendandi, & tollendi occasiones, cet. Quod si confessio per culpam pœnitentis fuit invalida, repetenda sunt eadem peccata, quasi non fuissent confessa, quia confessio non fuit Sacramentalis.

77. Sunt tamen multi putantes sufficere, si pœnitens confiteatur eidem confessario, qui saltem in genere meminerit status pœnitentis, se iterum accusare de peccatis olim confessis, cum hæc ratificatio conjuncta cum præcedenti notitia confessoris reddat confessionem sacramentalem. Quæ opinio magis communis est, nec minus probabilis, quam tuentur S. Antoninus, De Lugo, Navarrus, & alii; idemque affirmant, cum defectus se habuit ex parte confessorii. Contra vero dicendam, si alius sit confessarius, aut si sit idem, & non recordetur præteritæ confessionis, quantum est satis ad iudicium ferendum de statu pœnitentis, vide alia apud auctorem.

## CAPUT V.

### De satisfactione.

78. Satisfactio in genere est quævis pœna, seu punitio sui ad compensanda peccata, sive illa sit sponte suscepta, sive a Deo immissa, & ab homine accepta in criminum suorum compensationem. Satisfactio vero Sacramentalis est pœnitentia, a confessario imposita pœnitenti juxta gravitatem peccatorum, & facultatem pœni-

tentis. Est pars integralis Sacramenti, & nisi justa causa excuset, confessarius tenetur eam sub precepto imponere, ut constat ex Trident. Sess. 14. cap. 10. & ex traditione Ecclesiæ Porro satisfactio sacramentalis alia dicitur vindicativa, quæ datur ad reparanda, & vindicanda peccata; alia medicinalis, quæ datur velut medicina ad cavenda peccata futura: sæpe autem una, eademque est medicinalis satisfactio, & vindicativa. Et quidem omnia bona opera, a confessario injuncta virtute clavium elevantur ad meritum satisfactionis sacramentalis, ut docet D. Th. quodl. 3. a. 28. Et ideo Sacerdos ex Rituali Rom. ad preces solitas adjungit; quicquid boni feceris, cet.

79. Quæst. 1. Qualem satisfactionem confessarius teneatur imponere pœnitenti? R. 1. Confessarium teneri ut judicem, & medicum imponere pœnitentibus satisfactionem convenientem, & salutarem, tam vindicativam, quam medicinalem pro ratione peccatorum, & facultate pœnitentium. Ita Conc. Trid. Ses. 14. c. 8. ubi dicitur: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritu, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutare, & convenientes satisfactiones injungere; ne si forte peccatis commoveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes fiant. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.*

80. R. 2. Etsi Confessarius peccet, si sine causa leves pœnitentias pro gravibus peccatis injungat, plures tamen causæ excusare possunt ab imponenda gravi pœnitentia. Ac primo quidem a Rituali R. præscribitur, *ægris non esse injungendam gravem pœnitentiam, sed indicendam tantum illam, quam si convalescerint, opportuno tempore peragant.* Quod si infirmus eleemosynis possit satisfacere, inquit Salmanticenses, eleemosynæ sunt injungendæ. 2. minor pœnitentia imponi potest, quando in pœnitente animadvertitur vehementior contritio, nisi pœnitentia ad medicinam sit necessaria. 3. tempore jubilæi, vel indulgentiæ plenariæ, ut ait Suarius. 4. cum pœnitens ob imbecillitatem corporis, vel animi prudenter timetur gravem pœnitentiam non adimplenturus. *Debet Confessarius*, inquit S. Antoninus 3. p. tit. 16. c. 21. *dare talem pœnitentiam, quam credat verisimiliter pœnitentem implere, ne ipsam violando deterius ei contingat.* Et D. Th. opusc. 65. §. 4. postquam dixerat: *Sacerdos non imponat pœnitentiam ita gravem, ut pœnitens totam dimitat, nec ita levem, ut contemnat peccatum,* deinde addit: *Tamen tutius est imponere minorem debito, quam majorem, quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quam per nimiam severitatem, quia talis defectus in purgatorio supplebitur.*

81. Eodem modo loquuntur S. Joannes Chrysost. Carolus Borromæus, Scotus, Cajetanus, Gerson, & alii, quorum testimonia noster auctor adducit. Hinc Rit. Paris. de Sacram. Pœnit. ait: *Postremo confessarius pœnitentem inter-*



roget, an possit pœnitentiam sibi injunctam peragere: alioquin eam pro sua prudentia immutet aut minuat.

82. *Quæst. 2.* Quanam sint opera injungenda pro satisfactione Sacramentali? R. 1. non potest imponi ingressus in Religionem, quia nimis durum videtur, ut docent Navarrus, Layman, & alii ex D. Th. 2. 2. q. 62. art. 2. Neque potest injungi matrimonium ad remedium concupiscentiæ, quia hoc Sacramentum omnimodam requirit libertatem; poterit tamen confessarius, si oportuerit, illud consilii loco persuadere. Nec imponendum est opus alias jam præceptum, sed supererogatorium, nisi expectata fragilitate pœnitentis id convenire censeatur. Quamquam vero re: aliunde præcepta possit esse materia satisfactionis, ut communiter docent Theologi, tamen nisi expresse id confessarius imponat, intelligitur injunctum opus supererogationis. Pro peccatis autem occultis, ut præscribit Rituale R. non est imponenda manifesta pœnitentia, aliter indirecte revelaretur sigillum concessionis; sine tali autem violatione injungi potest pro publico peccato, cum ea tunc manifestatio tribuenda sit potius pœnitenti, quam confessario. An autem non solum possit, sed debeat confessarius pro publicis peccatis publicam imponere pœnitentiam? Affirmant communiter TT. cum D. Th. in 4. dist. 14. q. 1. a. 5. dicente, oportere, ut peccatum publicum publicam habeat medicinam. Idque constat ex Trid. Sess. 24. c. 8. decernente: huic (peccatori) condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet.

83. Recte tamen advertunt Roncaglia, Salmant. & alii, illam non esse injungendam, præsertim reluctanti, nisi necessaria sit ad scandalum reparationem, v. g. ad honorem sarcendum publice detractum. De cetero ut plurimum scandalum tolli potest per publicam vitæ emendationem, Sacramentorum frequentiam, visitationes Ecclesiarum, auditionem Missæ, & concionum, ingressum in piam aliquam Sodalitatem, ubi pietatis opera multa exercentur. Hinc Fagnanus in d. c. manifesta refert, S. C. noluisse declarare, an in foro Sacramentali pro publicis peccatis essent imponendæ publicæ pœnitentiæ.

84. R. 2. Opera in satisfactionem injungenda debent esse convenientia qualitati peccatorum, ita ut avaris oporteat præscribere elemosynas, lascivis jejunia, & austeritates corporis, superbis humiliationes, cet. Preces etiam, & orationes habent rationem pœnæ, ut docet S. T. in *supplem. q. 15. a. 5.* dicens: *quælibet oratio habet rationem satisfactionis, quia quamvis habeat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis, ut dicit Greg. super Ezech. hom. 17. Dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur fortitudo carnis.* In eandem fere sententiam loquitur S. Franciscus Salesius in sua *Philotea c. 23.* Nec vero solum orationes vocales, sed mentales etiam possunt esse materia satisfactionis, quia opus internum fit sensibile per impositionem Sacerdotis, & acceptionem pœnitentis, eo fere modo, quo contritio fit sensibilis per confessionem. Potest etiam imponi opus

aliquot, puta preces, aut eleemosynam pro defunctis, ut docet communis sententia, quia et si satisfactio illius operis defunctis applicetur, satisfactio tamen bonæ voluntatis, qua pœnitens opus illud applicat, ipsimet cedit. Quanvis autem aliquando pro satisfactione injungi possit cessatio v. g. a communione, jejunio, cet. cum ea possit esse magni meriti, ut plurimum tamen id non expedire censet Lugo; imo nec posse id imponi, si forte aliis detur ansa suspicandi, quod a confessario in pœnitentiam id fuerit injunctum.

Pœnitentia imponi debet ante absolutionem, tum ut servetur ordo judicialis, tum ut melius agnoscatur dispositio pœnitentis; quamvis posse fieri proxime post absolutionem, doceat communis sententia Theologorum.

85. *Quæst. 3.* An pœnitens teneatur subire pœnitentiam a confessario injunctam? R. affirm. si justa sit, & contrariam sententiam temeritatis damnat Suárez. Ratio est, quia ut ait Bened. XIV. in *encycl. inter præteritas*, sicut confessarius justam tenetur injungere pœnitentiam, ita pœnitens tenetur illam acceptare. Quod si pœnitentia justa sit, & gravis, pro gravi culpa injuncta, graviter peccat pœnitens, qui illam recusat, sicut graviter peccaret Sacerdos, qui sine justa causa pro gravibus peccatis pœnitentiam imponeret justo leviolem. Nihilominus poterit pœnitens, si pœnitentiam judicat onus suis viribus impar, rogare Confessarium, ut illam commutet; si vero illam moderari nolit, alium poterit adire confessarium, a quo absolvatur.

Quod si pœnitentia sit levis, non est gravis obligatio illam implendi, ut communiter docent Theologi; secus si gravis, & pro gravi peccato injuncta.

86. *Quæst. 4.* Quid vero si pœnitentia gravis sit, sed pro levis culpis imposita, aut pro gravibus olim confessis? R. ut plurimum non est nisi levis obligatio illam implendi. Ratio est, quia ex Trid. pro qualitate criminum pœnitentia debet injungi, adeoque sicut non licet levem imponere pro gravibus peccatis, nisi specialis causa id postulet, ita dum levia sunt peccata, aut jam rite confessione expiata, non licet, gravem præscribere satisfactionem: Ergo si a confessario sine particulari ratione imponatur, illam non implere non erit gravis culpa. Aliquando tamen potest confessarius pro levis peccatis gravem pœnitentiam imponere, & pœnitens tenetur illam subire; ut si venialia talia sint, ut pœnitentem valde disponant ad mortale: idem dico de peccatis jam rite confessis, pro quibus potest satisfactio gravis præscribi, si pro illis pœnitens dignam non egerit pœnitentiam. An autem confessarius possit gravem injungere pœnitentiam pro gravi peccato, sed non nisi leviter obligando, magna est controversia. Censeo, confessarium teneri ex Trid. imponere pœnitentiam gravem pro culpis gravibus, & quidem graviter obligando, nisi spectata confidentis imbecillitate opportunum judicet injungere pœnitentiam gravem obligantem sub levi, & aliam simul levem, ut si pœnitens istam adimpleat, Sacramento satisfaciatur, nec, si negligat, gravi culpa grave-

tur. Confessarius enim non solum gerit vices iudicis, sed etiam Medici, qui saluti contentis consulere debet.

87. Nota, non licere tempore jubilæi, vel plenariæ indulgentiæ absolvere pœnitentem, nulla imposita pœnitentia; & contraria sententia tanquam laxior merito improbatur a Bened. XIV encyclica *inter præteritas*; tum quia satisfactio pars integralis est Sacramenti, nec debet mutilum relinqui Sacramentum sine ulla imposita satisfactione; tum quia nemo certus esse potest lucratum esse indulgentiam; tum quia indulgentia non debet esse titulus, ut fideles ab operibus pœnitentiæ omnino abstineant. Potest tamen esse ratio justa minuendi pœnitentiam, nisi hæc ad medicinam necessaria sit, ut cum D. Th. docet Suarius.

88. *Quest. 5.* Quid faciendum est pœnitenti, qui pœnitentiæ injunctæ sit penitus oblitus? R. ipsi adeundum esse confessarium, si putet illum memorem fore pœnitentiæ, quam injunxit, eamque postea implere debet, & quamvis multi putent ipsum teneri ad repetenda saltem graviora peccata, idque sit valde probabile; alii tamen multi eum ab hoc onere excusant, cum peccata fuerint remissa, & impletio facta fuerit moraliter impossibilis. Verum si per ipsius culpam oblitus sit pœnitentiæ, certe de hac culpa tenetur confiteri.

89. *Quest. 6.* An præcepto satisfaciatur, qui pœnitentiam impleat in statu peccati mortalis? Communis est DD. sententia, solum esse veniale obicem ponere effectui Sacramenti, scilicet

pœnæ remissioni; nec solum ita impletur præceptum, sed recedente fictione effectus reviviscit, ut docent Suarius, Navarrus, & Toletus contra Scotum, & alios dicentes tunc pœnitentiam habere suum effectum, cum adimpletur. Peccat autem graviter, qui diutius differt gravem pœnitentiam implere; quodnam autem censeatur tempus diuturnum, ex circumstantiis judicandum est. Qui autem intra præscriptum tempus non implevit, non est liber ab ejus obligatione; & qui non potest totam, tenetur ejus partem implere; cum materia est divisibilis. Hic vero notandæ sunt propositiones damnatæ ab Alex. VII.

1. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

2. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id quodammodo dictant.

3. Per illam praxim mox absolventi ordo pœnitentiæ est inversus.

4. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet nihilominus ab Ecclesiâ non habetur pro usu, sed abusu.

90. *Quest. 6.* Quis pœnitentiam possit commutare, & quomodo? 1. R. certum est, pœnitenti non licere injunctam sibi pœnitentiam commutare, etiam in rem omnino meliorem, ut fert communis praxis fidelium, 2. non potest Sacer-

dos inferior commutare pœnitentiam a Superiore impositam pro reservatis, cum principium sit certum, nihil posse inferiorem in legem superioris; & quia ei, cui reservatum est iudicium circa, reservata peccata, manet quoque reservata impositio pœnitentiæ, ejusque commutatio. Ita Suarius, De-Lugo, & alii communiter contra alios satis probabiliter contrarium sentientes. Notant tamen Bonacina, & Renzi cum aliis, inferiori id licere, cum gravis accedit causa, nec est facilis aditus ad Superiorem. R. 3. quivis Sacerdos, cui pœnitens de novo confitetur, potest justa de causa pœnitentiam commutare. Quod si idem sit confessarius, non est opus eandem confessionem repetere, modo recordetur statum pœnitentis, & impositæ pœnitentiæ. Si vero Confessarius sit alius, tenetur pœnitens saltem aperire ipsi conscientiam, quantum satis sit, ut ille iudicium efformet de statu pœnitentis, & convenientem ei satisfactionem loco prius injunctæ præscribat.

91. Quoniam vero a Catechismo R. monentur Confessarii ut pœnitentis instruant de gravibus pœnitentis, quas olim canones injungebant; idque ad absterrendum eos a peccatis, & ad inducendos ad peragendam criminum suorum pœnitentiam, peropportunum censet S. Antoninus, S. Carolus, aliique Viri Sanctissimi, placuit hoc loco subnectere præcipuos Canones, secundum ordinem Decalogi descriptos.

## Circa 1. Decalogi præceptum.

1. Qui a fide desciverit, Pœnitentiam agat annis decem.
2. Qui auguriis, & divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, pœnitens erit annis septem.
3. Respicens furta in astrolabio, pœnitens erit annis duobus.
4. Si quis ligaturas, aut fascinationes fecerit, pœnitens erit duos annos.
5. Qui magos consulerit, in pœnitentia erit annis quinque.

## Circa 2. præceptum.

1. Quicumque sciens pejeraverit, 40 dies in pane, & aqua, & septem sequentes annos paniteat, & nunquam sit sine pœnitentia, & nunquam in testimonium recipiatur, & post hæc communio- nem percipiat.
2. Qui perjurium in Ecclesia fecerit, pœnitentiam aget annos decem.
3. Si quis Deum, vel B. Virginem, vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit, præ foribus Ecclesiæ diebus Dominicis septem, in manifesto, dum Missarum solemnities aguntur, stet, ultimoque ex illis die, sine pallio, & calceamentis, ligatus corrigia circa collum; septemque præcedentibus feriis sextis in pane, & aqua jejnet, Ecclesiam nullo modo ingressurus. Singulis jam illis septem diebus Dominicis tres, aut duos, aut unum

pauperem pascat, si potest, alioquin alia pœnitentia afficiatur. Recusanti Ecclesiæ ingressus interdicitur, & in obitu Ecclesiastica careat sepultura.

4. Qui votum simplex violaverit, pœniteat tribus annis.

Circa 3. præceptum.

1. Qui opus aliquod servile die dominico, festivo fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane, & aqua.

2. Si quis jejunia a S. Ecclesia indicta violaverit, pœnitentiam aget dies viginti in pane, & aqua.

3. Qui in Quadragesima jejunium violaverit, pro uno die pœnitentiam aget dies septem.

4. In Quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens, in Pascha non communicet; ac præterea a carne abstineat.

Circa 4. præceptum.

1. Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies pœnitens sit in pane, & aqua.

2. Qui parentes injuria affecerit, tres annos.

3. Qui percusserit, annos septem.

4. Si quis contra Episcopum, Pastorem, & Patrem suum insurrexerit, in monasterio omnibus diebus vite sue pœnitentiam aget.

5. Si quis Episcopi, aut Ministrorum ejus, vel Parochi sui præcepta contempserit, vel irriserit, pœnitentiam aget dies 40. in pane, & aqua.

Circa 5. præceptum.

1. Qui Presbyterum occiderit, pœniteat 12. annis.

2. Si quis patrem, aut matrem, fratrem, aut sororem occiderit, toto vite sue tempore non suscipiat corpus Domini, nisi in obitu: abstineat a carne, & vino, dum vixerit; jejunet secunda, & quarta, & sexta feria.

3. Si quis hominem occiderit, ad januam Ecclesiæ semper erit, & in obitu Communionem recipiet.

4. Qui homicidii auctor fuit ob consilium, quod dedit, pœnitentiam aget 40. dies in pane, & aqua cum septem sequentibus annis.

5. Si qua mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam aget annos tres, si nolens, Quadragesimas tres.

6. Qui nolens filium oppresserit, pœnitentiam aget dies 40. in pane, & aqua, oleis, ac leguminibus: abstinebit ab uxore totidem. Deinde pœnitens erit tres annos per legitimas ferias: tres præterea Quadragesimas in anno observabit.

7. Qui sceleris occultandi causa filium necarit, Pœnitentiam aget annos decem.

8. Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necarit, pœnitentiam aget annos tres.

9. Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias.

10. Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit; tridui pœnitentiam aget in pane, & aqua.

## Circa 6. præceptum.

1. Si laicus solutus cum femina soluta concubuerit, pœnitens erit tres annos.

2. Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, Pœnitentiam aget XX. dies.

3. Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, pœnitens erit XL. dies.

4. Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit, aut filiam spiritualem violaverit, perpetuam pœnitentiam aget.

5. Qui incestum fecerit (non ita enormem) pœnitens erit XII. annis.

6. Qui montalem violaverit, pœnitens sit annis decem.

7. Si quæ mulier cerusa, aliove pigmento se oblitit, ut aliis viris placeat, pœnitentiam aget annos tres.

8. Si presbyter cognovit filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel quæ sibi confessa fuit, debet pœnitentiam agere XII. annis. Et si crimen sit manifestum, debet deponi, & peregrinando XII. annis pœniteat, & postea monasterium, intret, tota vita sua moraturus ibidem.

9. Pro adulterio septenni, & decennii pœnitentia imponitur. Pro osculo, seu amplexu impudico triginta dierum pœnitentia statuitur.

## Circa 7. præceptum.

1. Si quis furtum de re minori fecerit, Pœnitentiam agat annum unum.

2. Qui furatus est aliquid de Ecclesiæ suppellectili, thesauro, vel pecuniam Ecclesiasticam, oblationesve Ecclesiæ factas, pœnitens erit annos septem.

3. Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum restituet, & pœnitentiam aget dies XX. in pane, & aqua.

4. Qui usuras accipit, rapinam facit, Pœnitentias aget annis tribus, uno in pane, & aqua.

## Circa 8. præceptum.

1. Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit annis quinque.

2. Falsarius in pane, & aqua pœnitentiam agat, quandiu vivit.

3. Si quis de proximo detraxerit, pœnitens erit dies VII. in pane, & aqua.

## Circa 9. &amp; 10. præceptum.

1. Rem alienam nefarie concupiscens, avarusque, pœnitens erit tribus annis.

2. Si quis concupiscit fornicari; si Episcopus, pœnitens erit annos septem; si Presbyter quinque; si Diaconus, vel monachus tres; si Clericus, aut laicus, annos duos.

## CAPUT VI.

## De Satisfactione per Indulgentias.

92. Quæst. 1. Quid sit indulgentia, &

## Circa 6. præceptum.

1. Si laicus solutus cum femina soluta concubuerit, pœnitens erit tres annos.

2. Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, Pœnitentiam aget XX. dies.

3. Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, pœnitens erit XL. dies.

4. Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit, aut filiam spiritualem violaverit, perpetuam pœnitentiam aget.

5. Qui incestum fecerit (non ita enormem) pœnitens erit XII. annis.

6. Qui montalem violaverit, pœnitens sit annis decem.

7. Si quæ mulier cerusa, aliove pigmento se oblitit, ut aliis viris placeat, pœnitentiam aget annos tres.

8. Si presbyter cognovit filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel quæ sibi confessa fuit, debet pœnitentiam agere XII. annis. Et si crimen sit manifestum, debet deponi, & peregrinando XII. annis pœniteat, & postea monasterium, intret, tota vita sua moraturus ibidem.

9. Pro adulterio septenni, & decennii pœnitentia imponitur. Pro osculo, seu amplexu impudico triginta dierum pœnitentia statuitur.

## Circa 7. præceptum.

1. Si quis furtum de re minori fecerit, Pœnitentiam agat annum unum.

2. Qui furatus est aliquid de Ecclesiæ suppellectili, thesauro, vel pecuniam Ecclesiasticam, oblationesve Ecclesiæ factas, pœnitens erit annos septem.

3. Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum restituet, & pœnitentiam aget dies XX. in pane, & aqua.

4. Qui usuras accipit, rapinam facit, Pœnitentias aget annis tribus, uno in pane, & aqua.

## Circa 8. præceptum.

1. Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit annis quinque.

2. Falsarius in pane, & aqua pœnitentiam agat, quandiu vivit.

3. Si quis de proximo detraxerit, pœnitens erit dies VII. in pane, & aqua.

## Circa 9. &amp; 10. præceptum.

1. Rem alienam nefarie concupiscens, avarusque, pœnitens erit tribus annis.

2. Si quis concupiscit fornicari; si Episcopus, pœnitens erit annos septem; si Presbyter quinque; si Diaconus, vel monachus tres; si Clericus, aut laicus, annos duos.

## CAPUT VI.

## De Satisfactione per Indulgentias.

92. Quæst. 1. Quid sit indulgentia, &

quotuplex? R. indulgentia est gratia, qua poene temporalis, pro peccatis debita remittitur extra Sacramentum, & Sacrificium per applicationem meritorum Christi, & Sanctorum ejus. Potestatem concedendi indulgentias extare in Ecclesia, ejusque usum fidelibus esse maxime salutarem, definitum est a Trid. Sess. 25. Porro indulgentia alia dicitur integra, seu plenaria, quae omnem omnino poenam peccatis debitam in Purgatorio tollit; alia non integra, sed partialis, quae unius, vel plurium annorum, vel dierum poenam remittit, scilicet, quantam dederet unius, vel plurium annorum poenitentia per canones imposita. Indulgentia plenaria a jubilæo solum differt in privilegiis quibusdam, quae in tempore jubilei a Pontifice conceduntur ad dispensandum in votis, absolvendum a reservatis, cet.

93. *Quaest. 2.* Quænam causa requiratur ad concedendas Indulgentias? R. requiri piam, & justam causam, & proportionatam effectui, & qualitati indulgentiæ, ut docet Suarius. Nec contrarium docet S. Thomas; quamvis enim n. 4. *dist. 20. q. 1. a. 3.* neget requiri æqualitatem operum cum poena debita culpæ, non negat autem aliquam proportionem cum culpa. Communis sententia censet nullam esse, & validam concessionem indulgentiæ sine causa; sed ut opportune animadvertit Bellarminus, *subditorum non est judicare, utrum causa justa sit, vel non; debent enim simpliciter existimare justam esse.*

94. *Quaest. 3.* Quænam conditiones neces-

sariæ sint ad lucrandas indulgentias? R. I. ut eas lucraturus sit baptizatus. II. ut sit subditus cæcedentis. III. ut non sit excommunicatione irretitus. IV. ut sit in gratia, saltem quando ultimum opus præscriptum impletur, ut docet probabilior sententia, cui adhæret Bened. XIV. in sua Const. *inter præteritos*. V. ut opus præscriptum sit honestum, saltem in objecto; quod si vitiatum sit aliqua culpa veniali, quæ afficiat substantiam operis, puta si quis oret, vel det eleemosynam ob inanem gloriam, ille non lucratur indulgentiam, secus verò si venialis culpa non est circa substantiam, ut distractio, & similia. Ad lucrandam indulgentiam requiritur confessio etiam venialium, dum mortalia non sint, si in diploma te legatur: *qui vere poenitentes, confessi*, cet. ut constat ex decreto S. Cong. approbato a Clem. XIII. Declaravit autem S. C. Confessionem posse etiam expleri in Vigilia festivitatis, in qua conceditur Indulgentia.

95. Ex dictis colligis 1. indulgentiis frui posse concedentem ipsum, modo opera aliis præscripta & ipse adimpleat. 2. eas non expirare morte concedentis, si sine restrictione sint concessæ. 3. posse uno, eodemque opere plures obtineri indulgentias, si opus non possit iterari intra præscriptum tempus, ut jejunium, communio, cet. & aliunde utile sit ad finem concedentis. 4. non lucrari indulgentiam, qui opera injuncta vel omnino omittit, vel ex parte, saltem notabili, quamvis sine culpa prætermittat. Pariter qui ea non implet tempore, lo-



co, & ratione a concedente præscriptis, aut per alium implet, nisi alter sit solum instrumentum, v. g. famulus ad eleemosynam pro hero suo erogandam. Neque is, qui omnino caret intentione, quæ tamen satis est, ut sit generalis, & interpretativa. 5. lucrari indulgentiam eum, qui opus præscriptum implet, etsi aliunde sit præceptum. 6. non obtinere plenariam indulgentiam eum, qui liber non sit omni culpa, etiam veniali, dum ultimum opus implet; unde consultum est, ut communitio sit ultimum. Potest tamen remitti poena aliis venialibus jam remissis debita, etiamsi non remittatur poena debita peccatis venialibus non remissis.

96. *Quest. 4.* An, & quomodo indulgentia defunctis prodesse possit? R. ipsis prodesse non quidem per modum absolutionis, sed per modum suffragii. Verum indulgentiæ concessæ vivis, non possunt applicari defunctis, nisi id exprimat, cum id pendeat a voluntate concedentis. Et licet effectus pro vivis, inquit Wigandt, sit infallibilis, non est tamen infallibilis pro defunctis, cum pro eis nulla promissio adsit, nec Deus acceptet, nisi ad suum beneplacitum. Ut autem quis pro defunctis indulgentiam lucretur, requiritur etiam status gratiæ, saltem in fine operis, ut tutior, ac verior sententia docet, teste Lugo.

97. *Quest. 5.* Quid requiritur ad lucrandam indulgentiam jubilæi? R. Præcipua circa jubilæam collegit Bened. XIV. in sua Const. inter præteritos, ubi declarat 1. per verba *vere*

pœnitentibus, & confessis intelligi debere actua-lem confessionem. 2. omnes visitationes Ecclesiarum una die perficiendas esse, scilicet a media nocte usque ad mediam noctem, vel a vespera usque ad vesperam. 3. per clausulam: *ad beneplacitum nostrum, & Sedis Apostolicæ* non cessare indulgentias morte Pontificis. 4. quando in indulto jubilæi suspenduntur omnes, & singule indulgentiæ, plenarias quoque suspendi. 5. indulgentias pro vivis applicari non posse pro defunctis. 6. Tempore jubilæi anni Sancti manere suspensas facultates Regularium absolventi a casibus reservatis Apostolicæ Sedi, & in Bulla Cœnæ contentis, facultates quoque vota commutandi, quocumque sint titulo concessæ. 7. vi jubilæi non posse absolvi hæresim externam. 8. quando dicitur: *commutatio votorum fiat dispensando*, principaliter esse attendendum ad commutationem, ita ut materia subrogata non sit *exorbitanter* minor; secus si dicatur *dispensatio fiat commutando*. 9. facultatem dispensandi non includi in facultate commutandi. 10. quod ad irregularitates pertinet, quicquid sit de controversia, num sub nomine censuræ comprehendatur irregularitas ex delicto, dari facultatem dispensandi ab occulta irregularitate ob violationem censurarum duntaxat. 11. facultatem commutandi pia opera non intelligi datam circa confessionem, & communionem (præterquam cum pueris) aut orationem necessariam in visitatione.

98. Nec commutatio fieri potest in opera aliunde debita. Imo nec jubilæum acquiri po-

test per opus alias debitum (puta, si quis ex legato teneatur dare eleemosynam) nisi qui indulgentiam concedit, nominatim dicat per illud acquiri posse, contingit, cum inter opera injuncta opus alias ut debitum præscribitur, v. g. indicendo jejunium quatuor temporum. Denique commutatio fieri debet in opera ejusdem naturæ. 12. Sacerdoti præter excommunicationem Pontifici reservatam in Const. *Apostolici muneris*, inhabilitatem in jubilæo imponi ad absolvendum complicem in peccato turpi. 13. facultates, quæ tribui solent, cum eo solum intelligi, qui paratus sit ad consequendum jubilæum, & animum habeat exequendi opera injuncta. 14. Confessarios tantum in foro Sacramentali, & Ecclesiis designatis posse absolvere, & vota commutare. 15. eo tempore confessarium imponere debere pœnitentiam confidentibus, ne mutilum maneat Sacramentum. 16. *Nomine partis læsæ* non intelligi judicem, sed eum, qui damnum est passus; nec commutari posse vota in præjudicium tertii, sicut votum perseverantiæ in aliqua Congregatione, quod naturam induit contractus, & reciprocae obligationis inter voventem, & Congregationem.

99. Declarat 17. eum, qui post confessionem prolabitur in lethale, debere iterum confiteri, ut ultimum opus fiat in gratia. 18. opera facta in peccato valere ad lucrandum jubilæum, modo fiant animo exhibendi honorem Deo, & modo ultimum opus adimpleatur in gratia. 19. nomine *incola* venire omnes, qui

sunt Romæ animo ibi morandi per majorem anni partem, & omnes, qui Romæ alicujus muneris, aut negotii causa morantur. 20. Confessionem esse necessariam ad lucrandum jubilæum, etiam si quis habeat solum venialia. Pro aliis vero indulgentiis non requiritur confessio venialium, si confessio præcipitur ut dispositio; secus vero, si injungitur ut opus præscriptum. 21. si post confessionem relabatur quis in mortale, non teneri ad repetendas visitationes, licet teneatur confiteri. 22. in visitatione Basilicarum opus non esse ingredi, vel egredi per portas Sanctas. Si quis autem ante publicationem jubilæi visitaverit Basilicas, & compleat visitationes ipso die publicationis, lucrari jubilæum, modo aliam visitationem quatuor Basilicarum illo die perficiat. 23. satis esse orationem vocalem; si quis autem sola mente orare voluerit, laudandum esse quidem, sed mentali orationi aliquam ab eo vocalem esse adjungendam. 24. posse quempiam iterum lucrari jubilæum, si repetat opera injuncta, sed facultatibus concessis prima solum vice posse gaudere. Hoc tamen non intelligi de indulgentia concessa iis, qui statutis diebus Ecclesiam visitaverint, tunc enim unica tantum indulgentia acquiri potest. Denique eum, qui in confessione absolutus est a censuris, aut alias gratias accepit, eas non amittere, si forte mutet propositum implendi reliqua opera præscripta.

100. Quibus duo sunt adjungenda; alterum est, facultatem Sanctimonialibus in jubi-

læo concessam ad eligendum sibi Confessarium, intelligi solum de Confessariis ab Episcopo approbatis pro quocumque monasterio illius locis. Ita declaravit Bened. XIV. in Const. celebrationem, edita Kal. Jan. 1751. Alterum est, Regulares posse tempore Jubilæi confiteri etiam reservata Sacerdoti cuiuslibet, etiam sæculari, ab Ordinario adprobato, ut constat ex Const. Greg. XIII. & Alex. VII. in Const. unigenitus. Ex data hactenus Pontificum doctrina facile explicari possunt quæstiones omnes, quæ de hoc argumento solent agitari, quarum præcipuas vide apud Auctorem nostrum.

## CAPUT VII.

### De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

101. *Quest. 1.* Quisnam sit Minister Pœnitentiæ? R. Solus Sacerdos, habens jurisdictionem. Ita declaravit Conc. Trid. Sess. 1. c. 43. de reform. Quoniam igitur natura, & ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Porro ordinariam jurisdictionem habent, Pontifex erga fideles omnes, Episcopi in suos Diœcesanos, Parochi in suos Parochianos, Superiores Religiosorum in suos subditos. Delegatam habet is, qui eam accipit ab

habente jurisdictionem ordinariam; delegatus autem non potest alteri facultatem suam subdelegare, nisi hoc ei specialiter concessum fuerit.

102. *Quest. 2.* An ad confessiones audiendas necessario requiratur præter jurisdictionem approbatio Episcopi? R. aff. ex Tridentino Sess. 23. de Ref. c. 15. decernente; nullum etiam Regularem posse confessione Sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat. Sensus autem Concilii est, ut nemo non solum licite, sed nec valide possit absolvere sine Episcopi consensu, & approbatione, quæ est veluti conditio necessaria ad jurisdictionem recipiendam. Ita constat ex universæ Ecclesiæ praxi, & ex damnatis ab Alex. VII. propositionibus, videlicet...

1. Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut Sæcularium confessiones audire possint, neque ex illius Concilii auctoritate privilegia Regularium restringi possunt, cum id in Gallia receptum non sit, præterquam in decisionibus fidei.

2. Satisfacit præcepto Confessionis annuæ, qui confitetur regulari, Episcopo præsentato, sed reprobo.

3. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

103. Jam vero cum Concilium non loquatur, nisi de confessione sæcularium, possunt Regulares cum facultate suorum Prælatorum audire confessiones Religiosorum ejusdem Ordinis. Verum ad audiendas confessiones Monialium, etiam Religiosis subjectarum requiritur Episcopi adprobatio ex decreto Greg. XV. & Clementis X. in Const. quæ incipit *superna*, in qua declaratur 1. non posse Regulares in una diœcesi approbatos confessiones audire in alia diœcesi, ubi non sunt approbati, quamvis pœnitentes subditi sint illius diœcesis, in qua confessarius fuerat approbatus. 2. generaliter approbatos ad audiendas confessiones sæcularium non posse confessiones monialium audire sine speciali adprobatione, neque approbatos pro uno monasterio censi pro alijs approbatos. Item extraordinarios semel deputatos ad confessionem monialium, finita deputatione, non posse easdem moniales absolvere sine nova facultate. 3. declaratur, posse Confessores Regularium in Monasteriis excipere confessiones illorum sæcularium, qui sunt de ipsorum familia, & continui commensales; non autem aliorum, qui tantum illis deserviunt.

104. Q. 3. An simplex Sacerdos ab Episcopo non adprobatus possit absolvere de solis venialibus? R. non posse id licite fieri, certum est ex decreto Innoc. XI. ubi jubentur Episcopi, *ne permittant, ut venialium confessio fiat Sacerdoti non adprobato ab Episcopo; Sacerdotibus autem indicitur: si quicumque Sacerdotes secus egerint, sciant Deo se rationem*

*esse reddituros.* Imo nec valide id licere tuentur aliqui satis probabiliter, quod Sacerdos jurisdictionem absolvendi habet ab Ecclesia; hæc autem non videtur voluisse conferre simplici Sacerdoti jurisdictionem absolvendi a venialibus, cum ipsi expresse prohibeat uti tali jurisdictione. Nihilominus communissima est sententia Theologorum cum Suario, Lugo, Cano, Salamant. & alijs validam esse absolutionem venialium datam a Sacerdote, etiam non adprobato, eo quod venialia non sint materia necessaria Confessionis. Unde creditur Christum ea non subdidisse potestati Ecclesiæ, vel sufficere eam potestatem solvendi, quæ conferitur in ordinatione, ut alii volunt.

105. *Quest. 4. An Parochus possit confessiones audire in aliena parochia?* R. 1. posse audire confessiones suorum subditorum, cum certe ordinariam habeat jurisdictionem quoad proprios subditos, quæ cum non sit contentiosa, nec requirat strepitum fori, exerceri potest in quovis territorio. R. 2. sine licentia Episcopi non posse absolvere alienos subditos, etiam cum facultate illorum Parochi. Ratio est, quia Parochus non approbatur ab Episcopo, nisi pro parochia, in quam eligitur, nec in alias extenditur ejus ordinaria jurisdictio. Atque ita declaravit S. Congregatio Concilii, cui adhæret Bened. XIV. Hic tamen recte animadvertit, id Parochis licere, ubi viget consuetudo, quæ jurisdictionem conferre valet, saltem ex tacita Episcopi facultate.

106. *Quest. 5. Qualis in Confessario debeat*  
Tom. II.

esse Episcopi adprobatio? R. 1. non sufficit adprobatio petita, & negata, etiamsi injuste negetur, contraria vero sententia est omnino improbabilis, etiam pro Regularibus, post damnatam propositionem ab Alex. VII. superius allatam. 2. adprobationem petendam esse ab Ordinario loci, in quo confessiones excipiuntur, ut fert communis sententia, & praxis fidelium, idque videtur constare ex Bulla Innoc. XII. *cum sicut*, decernente: *Confessarios tamen seculares, quam regulares, quicumque illi sint, in vim Bullæ Cruciatæ nullatenus posse audire penitentes, sine adprobatione Episcopi loci, in quo ipsi penitentes degunt, & Confessarios eligunt. Neque ad hoc suffragari adprobationem semel, vel pluries ab aliis Ordinariis aliarum diocesium obtentam, etiamsi penitentes illorum Ordinariorum, qui tales confessarios approbassent, subditi sint.* Deinde declarat Pontifex, alias confessiones fore invalidas, & confessarios suspensos, cet. reprobata, tanquam falsa, & temeraria quacumque contraria opinione. Quam bullam Innocent. confirmavit Bened. XIV. in bulla, quæ incipit *Apostol.* Ratio autem est, quia ex eo quod quis confiteri vult in aliquo loco, quoad hoc fit subditus Episcopi illius loci, saltem ex consensu Episcoporum, a quibus erga proprias oves data intelligitur jurisdictio Sacerdoti approbato ab Episcopo loci, in quo velint conteri.

107. *Quæst. 6.* Quosnam Sacerdotes, & quomodo approbare possit Episcopus? R. 1. Episcopus in sua Diocesi non potest approbare Sacerdotem aliquem, nisi subdatur ipsi saltem ad tempus. Adprobatio autem fieri ab

eo potest, vel per se, vel per alium, cum non sit actus ordinis, sed jurisdictionis tantum. R. 2. adprobatio fieri potest cum restrictione ad tempus, locum, personas, cet. & contraria doctrina damnata est ab Alex. VII. tanquam temeraria, & erronea. Nec limitationis suæ rationem cuiquam reddere tenetur Episcopus, ut ait Cabassutius. Quod si adprobatio semel absolute conceditur, non extinguitur morte concedentis, nec revocari potest sine justa causa. Et quamvis tunc nullam forte revocationem, sine causa factam, Theologi nonnulli contendat; hæc tamen opinio in praxi non potest habere locum, cum multæ possint esse revocationis causæ confessario ignotæ, nec hujus sit judicare de justitia causæ propter periculum hallucinationis.

108. Hic nota, S. Pium V. in Const. *Romani.* declarasse, Regulares adprobatos ad Episcopo antecessore posse iterum examinari a Successore, & si minus idonei reperti fuerint, reprobari. Unde nonnulli colligunt, teste Ferraris, Vicarium Capitularem non posse Regulares vocare ad examen, nec eos privare facultate excipiendi Confessiones, nisi facultas data sit ab Episcopo *ad nostrum beneplacitum*, tunc enim morte Episcopi illa expirat.

109. *Quæst. 7.* An Sacerdos ab Episcopo adprobatus habeat jurisdictionem ab absolvendum complicem in turpi peccato contra sextum præceptum? R. neg. ex duobus decretis Bened. XIV. altero dato kal. Jun. 1741. altero 8. Feb. 1741. In primo declarat Ponti-

fex, Sacerdotem absolventem a peccato turpi socium criminis carere omni facultate, & jurisdictione, proindeque absolutionem irritam fore, ac nullam. 2. Ita absolventem incurere Excommunicationem Papæ reservatam. 3. excipitur casus extremæ necessitatis, nempe mortis articulus, deficiente alio Confessario, etiam simplici Sacerdote, qui possit eum absolvere. In posteriori decreto declaratur, ad rem, de qua agitur, perinde esse, nullum adesse Sacerdotem præter complicem, ac eum tantum adesse, qui non possit excipere confessionem sine periculo scandali, aut infamiæ pœnitentis, proindeque in eo casu non prohiberi, quominus Sacerdos possit impudiciæ complicem absolvere; tenetur tamen Confessarius complex talia pericula, si possit, avertere sub eadem pœna excommunicationis, licet tunc valide absolveret, etsi non averteret.

Alia circa jurisdictionem confessarii vide apud Auctorem hujus capituli dubio II. & III.

### CAPUT VIII.

#### De Peccatorum reservatione.

110. *Quæst. 1.* Quid sit reservatio, & quibus conveniat reservandi potestas? R. 1. reservatio est restrictio, vel negatio jurisdictionis circa peccatum aliquod. Certum est inesse Ecclesiæ hanc potestatem quædam graviora crimina reservandi, a quibus inferiores Ministri nequeant absolvere, ut ita subditi melius cognoscant il-

lorum gravitatem, & ab illis abstineant, quorum difficilem vident remissionem. R. 2. hæc potestas convenit R. Pontifici quoad omnem Ecclesiam, cujus est supremus Pastor; Episcopis quoad subditos suæ Diocesis. Prælati Religiosorum Ordinum ex decreto Clem. VII. undecim tantum casus reservare possunt, nec plures sine consensu Capituli generalis pro toto Ordine, aut Provincialis pro tota provincia; de his autem postea dicendum.

111. *Quæst. 2.* An, & quænam sit causa reservationis? R. Nemo potest reservare sibi peccata sine gravi, & justa causa, cum ea potestas, ut Tridentinum ait Sess. 14. c. 7. data sit Episcopis, *in edificationem, & non in destructionem.* Hinc reus est peccati lethalis, qui absque justa causa reservationem imponeret. Quid vero si injuste imponatur, eritne valida, an non? Invalidam aliqui dicunt cum Soto ex ratione adducta a Tridentino; sed communis, & magis vera sententia ait, illicitam esse, sed validam, quia tota jurisdictio pendet ab Episcopo, qui sicut potest Confessariis suis, etiam parochis non concedere facultatem absolvendi ab aliquo peccato, ita poterit illud sibi reservare; in re autem standum est pro potestate Superioris. Excipit autem De-Lugo, si reservatio facta Parocho sit talis, ut officio suo fungi recte non possit; tunc enim nulla esset hujusmodi reservatio.

112. *Quæst. 3.* An ingnorantes peccati reservationem, ab illa excusentur? R. neg. de peccati Episcopo reservatis, cum reservatio non

fex, Sacerdotem absolventem a peccato turpi socium criminis carere omni facultate, & jurisdictione, proindeque absolutionem irritam fore, ac nullam. 2. Ita absolventem incurrire Excommunicationem Papæ reservatam. 3. excipitur casus extremæ necessitatis, nempe mortis articulus, deficiente alio Confessario, etiam simplici Sacerdote, qui possit eum absolvere. In posteriori decreto declaratur, ad rem, de qua agitur, perinde esse, nullum adesse Sacerdotem præter complicem, ac eum tantum adesse, qui non possit excipere confessionem sine periculo scandali, aut infamiæ pœnitentis, proindeque in eo casu non prohiberi, quominus Sacerdos possit impudiciæ complicem absolvere; tenetur tamen Confessarius complex talia pericula, si possit, avertere sub eadem pœna excommunicationis, licet tunc valide absolveret, etsi non averteret.

Alia circa jurisdictionem confessarii vide apud Auctorem hujus capituli dubio II. & III.

### CAPUT VIII.

#### De Peccatorum reservatione.

110. *Quæst. 1.* Quid sit reservatio, & quibus conveniat reservandi potestas? R. 1. reservatio est restrictio, vel negatio jurisdictionis circa peccatum aliquod. Certum est inesse Ecclesiæ hanc potestatem quædam graviora crimina reservandi, a quibus inferiores Ministri nequeant absolvere, ut ita subditi melius cognoscant il-

lorum gravitatem, & ab illis abstineant, quorum difficilem vident remissionem. R. 2. hæc potestas convenit R. Pontifici quoad omnem Ecclesiam, cujus est supremus Pastor; Episcopis quoad subditos suæ Diocesis. Prælati Religiosorum Ordinum ex decreto Clem. VII. undecim tantum casus reservare possunt, nec plures sine consensu Capituli generalis pro toto Ordine, aut Provincialis pro tota provincia; de his autem postea dicendum.

111. *Quæst. 2.* An, & quænam sit causa reservationis? R. Nemo potest reservare sibi peccata sine gravi, & justa causa, cum ea potestas, ut Tridentinum ait Sess. 14. c. 7. data sit Episcopis, *in edificationem, & non in destructionem.* Hinc reus est peccati lethalis, qui absque justa causa reservationem imponeret. Quid vero si injuste imponatur, eritne valida, an non? Invalidam aliqui dicunt cum Soto ex ratione adducta a Tridentino; sed communis, & magis vera sententia ait, illicitam esse, sed validam, quia tota jurisdictio pendet ab Episcopo, qui sicut potest Confessariis suis, etiam parochis non concedere facultatem absolvendi ab aliquo peccato, ita poterit illud sibi reservare; in re autem standum est pro potestate Superioris. Excipit autem De-Lugo, si reservatio facta Parocho sit talis, ut officio suo fungi recte non possit; tunc enim nulla esset hujusmodi reservatio.

112. *Quæst. 3.* An ingnorantes peccati reservationem, ab illa excusentur? R. neg. de peccati Episcopo reservatis, cum reservatio non

sit pœna respiciens pœnitens, sed restrictio jurisdictionis, quæ ad confessarios pertinet. Id quod liquet ex Tridentino Sess. 14. c. 7. docente, *Sacerdotes nihil posse in casibus reservatis*. Et quamvis reservatio in pœnitentium remedium sit instituta, finis tamen reservationis non est tantum, ut fideles a culpis gravioribus absterreantur; sed etiam, inquit Fagnanus, ut recipiant a Superioribus pœnitentias, monita, ac remedia opportuniore, quæ non nisi a prudentibus adhiberi oportet: unde etiam in ignorantibus sine ipsorum culpa reservationem, non cessat omnino fini reservationis. Hæc quidem quoad casus reservatos Episcopo, aliisque Prælati inferioribus; & quidem etiamsi reservationi censura sit annexa, quia non reservantur præcipue propter censuram, sed propter criminum gravitatem; reservationi autem ut fortius liget, annectitur censura. Ita Suarius, Layman, & alii contra Wigand, Aversa, & alios, qui excusant a reservatione ignorantes eam, quodcumque casui censura est adjuncta.

113. Aliud est de peccatis Papæ cum excommunicatione reservatis; hæc enim cum præcipue reserventur propter censuram, invincibiliter ignorantes excusantur a reservatione, sicut liberantur a censura, ut nemo dubitat ex c. 2. de Const. in 6. Ita communiter TT. contra paucos. Si quis tamen sciens censuram, nescit esse reservatam, non ideo a reservatione excusatur; consentiens enim in censuram, tacite etiam consentit in pœnam censure, om-

nesque ipsius effectus. Hic tamen notare oportet, esse duos casus Pontifici reservados, sed absque censura. Primus est; dum quis vel per se, vel per alios falso accusat Sacerdotem de sollicitatione in tribunali Pœnitentiæ. Const. Bened. XIV. *Sacramentum*. Secundus; si quis accipiat dona a Regularibus utriusque sexus, nisi prius totum restituerit, si dona valeant pluris decem scutorum Romanorum; vel si valeant minoris, saltem partem ad arbitrium Pœnitentiarii.

114. *Quest. 4.* Quænam peccata cadant sub reservationem? R. 1. non possunt reservari peccata mere interna in opinione multorum; quamvis alii non minus probabiliter affirmant; cum ea non possint absolvi, nisi ex vi jurisdictionis, quæ cum detur ab Ecclesia, potest ab ea limitari, & restringi. Sed licet sit in Ecclesia potestas ea reservandi, nunquam tamen consuevit ea reservare. R. 2. neque reservantur peccata solum venialia, cum non sint materia necessaria confessionis; quicquid sit de controversia super potestate ipsa reservandi. Nec peccatum externum leve, licet ab interno malitiam gravem accipiat; quamvis enim actio externa malitiam imbibat actus interni, adeoque mereatur æternam pœnam; Ecclesia tamen quoad reservationem solum attendit malitiam externam, quæ ex objecto suo gravis sit. Nec vero quæcumque peccata gravia reservari solent, sed solum graviora, & opere consummata. Itaque cum reservatio sit lex odiosa, strictè interpretanda est; hinc reservato homi-



cidio, non intelligitur reservata percussio gravis, nisi sequatur mors; reservata fornicatione, solum reservatur copula carnalis; reservata sodomia, intelligitur perfecta, nisi aliud exprimitur, ut certe in aliquibus peccatis exprimitur.

115. *Quest. 5.* Quid agere debeat Confessarius inferior, cum ei poenitens confitetur reservatum? R. mittendus est poenitens ad Superiorem, nisi consultius sit, ut ipse confessarius a Superiore petat facultatem absolvendi a reservatis, tacita persona, & peccato. Quod si Superior adiri non possit, & sit urgens causa confitendi, potest inferior absolvere a reservatis, etiamsi censura connexis, cum onere; ut postea poenitens se sistat Superiori. Porro mihi certum est, in ea hypothesis poenitentem directe absolvi a non reservatis indirecte a reservatis, quamvis cum onere, manifestandi postea reservata legitimo Superiori, aut ejus delegato. Ita S. Carolus in *Instr.*

116. *Quest. 6.* An qui necessitate urgente confitetur ei, qui non habet facultatem ad reservata, teneatur ei confiteri etiam reservata? R. Sunt, qui doceant cum S. Antonino, Soto, & aliis, sufficere in eo casu confiteri non reservata, & postea Superiori reservatum manifestare. S. Thomas vero, Suarius, & alii communiter docent omnia tunc esse confitenda; tum ut servetur lex Divina de integritate confessionis; tum ut Sacerdos integre cognoscat statum poenitentis, quem sæpe non potest agnoscere, nisi reservata manifestentur; quæ est

potissima ratio D. Thomæ in 4. dist. 12. q. 3. a. 4. Et hæc est universalis Ecclesiæ praxis, quæ in re ista est maximi momenti.

117. *Quest. 7.* An Superior, auditis reservatis, possit ab eis absolvere, & mittere poenitentem ab inferiorem Sacerdotem, qui eum a non reservatis absolvat? Negant communiter DD. ex præcepto Divino integritatis confessionis; nec vero ulla est necessitas dimidiansi confessionem, cum Superior possit, etiamsi aliis negotiis sit obstrictus, tollere reservationem, & mittere ad inferiorem, a quo absolvatur, præscribendo remedia, si opportuerit, & injungendo poenitentiam. Quod si bona fide poenitens ita Superiori confiteatur, & ab eo absolvatur, valida erit absolutio cum obligatione confitendi non reservata cuilibet confessario.

118. *Quest. 8.* An Superiore injuste negante facultatem absolvendi a reservatis, possit inferior Sacerdos etiam directe ab eis absolvere? R. 1. certum est non posse Superiorem sine gravi causa eam facultatem denegare, nec in ea concedenda difficilem se præbere, ut cum D. Th. docet Suarius. Imo peccare graviter potest, si neget, cum sciat poenitentem nullo modo induci posse ad ipsum adeundum. Certum est pariter aliquando Superiorem posse justis de causis cogere poenitentem, ut ipsi se sistat, si aliter grave damnum vel scandalum communitatis jure timeri possit. Nec poenitens erit rite paratus ad suscipiendam absolutionem, si nolit se sistere. R. 2. si Superior injuste neget facultatem absolvendi a reservatis, non ideo confessarius potest

ab eis indirecte absolvere; tum quia ex Trid. Sacerdotes inferiores nihil possunt in reservatis; tum quia sicut valida est injusta reservatio, ita valida est injusta denegatio facultatis. Ita De-Lugo, Layman, & alii contra Henricum, & Dianam.

119. Notant autem Aversa, & Lugo, Confessarium Regularium ad id muneris designatum, si iudicet localem Superiorem injuste sibi negare facultatem absolvendi a reservatis, posse pro illa vice absolvere; atque ita declaratum esse a Clem. VIII. Confirmat autem ad ipsum Tourne-lyus, afferens decretum S. C. ab Urbano VIII. adprobatum. Quod ad omnes Confessores regularium extendit Pellizarius, qui vult idem habere locum, si poenitens ipse petat, et Confessarius putet injuste negari. Idem volunt aliqui, si Superior adiri nequeat, & tempus urgeat celebrationis, vel communionis, nec sine scandalo omitti possit. Adde FF. Minores habere privilegium semel absolvendi suos a reservatis absque facultate Superiorum, ut testatur Emmanuel Rodriguez, adeoque id potuerunt ii Regulares, qui in hoc privilegio cum Minoribus communicant.

120. *Quaest. 9.* An, & quomodo peregrinus absolvi possit a reservatis? R. 1. peregrinus discedens in aliam dioecesim, si peccatum habeat in utraque reservatum, non potest absolvi, nisi a confessario habente facultatem ad reservata. Ita communis sententia, & constat ex pro- damnata ab Alex. VII. quia ut ait Suarius, talis poenitens iudicandus est quoad confessionem

tanquam incola illius dioecesis. R. 2. si peccatum, quod confitetur, reservatum sit in ea dioecesi, sed non in patria, non potest absolvi quocumque illius loci confessario, nisi ab habente facultatem in reservata; tum quia cum peregrinus quoad forum Sacramentale sit velut incola illius loci, debet se subicere illius legibus; tum quia cum reservatio respiciat confessarios potius quam poenitentes, inferior confessarius limitatam habet jurisdictionem circa talia peccata. Atque ita resolvit S. C. Episcoporum 17. Nov. 1616. R. 3. peregrinus habens peccatum in patria reservatum potest absolvi a quocumque confessario loci, in quo non est reservatum. Ita communior, & probabilior sententia, probata universali consuetudine, & consensu Eugenii IV. qui, teste De-Lugo, & Salmant. id concessit iis, qui bona fide in alieno Episcopatu versantur. Idemque confirmavit Clemens X. in Bulla, quae incipit *superna*, nisi in fraudem reservationis ad alienam Dioecesim pro obtinenda absolutione migraverint.

121. Quid autem sit intelligendum per illa verba *in fraudem reservationis*, non omnes uno modo explicant. Daniel Concina dicit intelligi, *si fiat fide non bona*. Recte quidem, & in hoc omnes conveniunt, sed difficultatem non solvit. Omissis aliis explicationibus, mihi probabilior videtur ea, quam ex Lugo affert Roncaglia, qui to *in fraudem* de is intelligit, qui alienam petunt dioecesim praecipue ob finem obtinendi absolutionem, vitandique iudicii proprii Pastoris. Ratio est, quia fraus dicitur

intervenire, ubi lex redditur elusoria, ut ait Barbosa axiomate 102. Eluderetur autem reservationis lex, si pœnitens alio migraret ex principali motivo petendi absolutionem. Quod si præcipue ob alium finem iter agat, puta negotii pertractandi, vel indulgentiæ lucrandæ, vel ut Confessarium prudentiorem inveniat quocum sese melius expediat, absolvi poterit; modo finis præcipuus non sit reservationem effugere, & facilius absolvi.

122. Nota tamen, peregrinum extra diœcesim non posse absolvi a censuris in patria reservatis, quia in cap. *nuper de sent. Excom.* dicitur, simplex confessarius non posse a censuris absolvere. Ille tamen subjectus non est censuris latis ab Episcopo loci, quando non contraxerit domicilium, vel quasi domicilium in eo loco, ut probat Suarius ex c. *a nobis de sent. Excom. in 6.* ubi dicitur: *solo subditos comprehendendi sub Excommunicatione lata ab Episcopo pro futuris delictis.* Utrum autem peregrinus subeat reservationem, dubitant DD. Mihi probabilior videtur sententia affirmans; quia licet peregrinus, non subjaceat legibus loci, per quem transit, tamen ratione delicti, fit subditus eo tempore, quo peccat; tum præcipue, quia Confessarius, quem respicit reservatio, non potest absolvere peregrinos nisi juxta fines jurisdictionis sibi ab Episcopo præscriptos. Quid possint Episcopi circa peregrinorum absolutionem, vide apud auctorem.

123. Pro aliis quæstionibus dirimendis, nota 1. eum, qui a Superiore semel est a reservatis

absolutus, posse a quovis confessario iterum ab iisdem absolvi, cum non sint materia necessaria confessionis. 2. eum, qui bona fide confitetur peccatum reservatum, nesciens reservationem, vel putans Confessarium potestatem habere illud absolvendi, vel sine culpa illius obliviscitur; valide absolvi, directe quidem a non reservatis, indirecte tamen a reservatis, cum onere autem se sistendi Superiori, ubi noverit illa re vera fuisse reservata. Ita communis, & vera sententia cum Suario, Lugo, Salmant. cui adhæret Concina contra Antoine. 3. si quis confiteatur Superiori, & sine culpa obliviscatur peccati reservati, non ideo liberatur ab onere iterum Superiori se sistendi, ut ab illo peccato absolvatur; nec potest a simplici Sacerdote absolvi, ut multi satis probabiliter contendunt. Ratio nostræ sententiæ est; quia reservatio, non tollitur, nisi peccatum subjiciatur judicio superioris cujus est opportunum remedium, & pœnitentiam adhibere. Excipit Suarez, si Sacerdos Superiorem adiverit, ut facultatem obtineret absolvendi a reservatis, aut eam habeat ex privilegio, v. g. jubilæi, vel Bullæ Crutiæ.

124. Nota 4. in communi DD. sententia tolli reservationem per confessionem inculpabiliter in validam; quamvis enim ea ut plurimum non tollatur nisi per confessionem Sacramentalem, quæ re vera deesset in nostra hypothesis; Superior tamen eam tollere potest, ut fatetur ipse Concina, sine Confessione Sacramentali. Velle autem eam tollere Superior juere præsumitur, quoties subditus ejus judicio reservata

subjicit, ut præbere possit monita salutaria, & pœnitentiam imponere, quo modo finis obtinetur reservationis, etiamsi ex alio capite absque ulla culpa confessio evadat nulla, & invalida. Atque id evenit, inquit Salmantic. vigore consuetudinis, communi DD. auctoritate firmatæ. Non ita communis est doctrina docens tolli reservationem per confessionem culpabiliter nullam, cum non præsumatur Superior velle, ut subditus commodum ex iniquitate reportet. Nihilominus contraria sententia est forte communior, & probabilior ex ratione supra adducta de fine reservationis, qui re vera obtinetur, etiamsi confessio sit sacrilega. Quod autem commodum reo ex iniquitate proveniat, id accidentarium est.

125. Recte tamen excipit Wigandt ex Lugo, Suario, & aliis, si pœnitens esciens prudens taceat reservatum, aut in confessione alioqui sacrilega illud etiam sine culpa non confiteatur. Idem dico, si non sit in animo vitandi in posterum reservatum, & implendi adjunctam pœnitentiam. Tenetur enim semper implere pœnitentiam pro reservato injunctam, etiamsi postea ab inferiore absolvatur. Excipienda est etiam confessio invalida tempore jubilæi, in quo cum Pontifex eo fine tantum auferat reservationem, ut fideles lucrentur jubileum, non præsumitur velle reservationem auferre, nisi confessione valida, qualis est necessaria ad indulgentiam obtinendam.

126. Quæri etiam solet, an simplex confessarius possit absolvere in dubia reservatione? Equidem si dubitatio cadat super peccatum,

v. g. si pœnitens dubitet, an graviter peccaverit? obsolvi poterit a quolibet confessario; quia reservatio stricte est interpretanda de peccatis, quæ certo sint gravia. Quod si dubitet, an peccatum illud sit, nec ne reservatum, negant multis implicem confessarium absolvere posse, cum saltem dubia sit jurisdictio. Alii tamen communius affirmant, quia cum reservatio sit stricte interpretationis, possessio stat pro facultate absolvendi. Et cum hæc sententia sit valde probabilis, & communis, Ecclesia censetur supplere jurisdictionem. Quod autem objicit Concina, nempe Clementem VIII. prohibuisse Confessariis, etiam privilegiatis, absolvere a cassibus etiam dubiis, in *Bulla Cœnæ reservatis*, & in Extravag. *Perlectis* declarari percussionem Clerici esse Papæ reservatam, etiam cum dubitatur, num sit levis, vel gravis; id quidem nihil obstat, sed potius favet sententiæ nostræ, quod scilicet confessarius in aliis casibus possit absolvere, qui sunt dubie reservati, cum exceptio firmet regulam in contrarium. Addo cum Roncaglia, decretum illud moderatum esse a Clemente anno 1602. sublati illis verbis: *dubie reservatis*. Alia de reservatis vide apud Auctorem, qui notat præsumentes absolvere a reservatis Papæ, vel Episcopis, causantes aliquod privilegium, incurrere excommunicationem ipso facto, & quidem Papæ reservatam.

127. Denique a Trid. decretum est Sess. 14. c. 7. *Pie admodum, ne hac de ipsa occasione aliquis pererit, in Ecclesia Dei custoditum*

semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quolibet poenitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt. Neque ita absolutus tenetur postea, si convaluerit, Superiori se sistere, cum quilibet Sacerdos in gravi mortis periculo habeat potestatem directe absolvendi a quovis peccato. Et quamvis multi in ea sint opinione, simplicem Sacerdotem posse absolvere in articulo mortis, etiam praesente confessario ab Episcopo adprobato, idque significaret videantur verba Tridentini, dicentis, nullam esse reservationem in articulo mortis; alii tamen Doctores ea interpretantur de sola hypotesi, qua nullus adsit adprobatus Sacerdos, cum finis Concilii sit impedire, ne quis pereat ex defectu absolutionis. Ita declarat Rit. Romanum, ajens: si periculum mortis imineat, abprobatusque desit Confessarius, cet. S. Carolus in Instr. Confess. Adprobatus autem ab Ordinario potest absolvere a quibusvis peccatis, & censuris.

## CAPUT IX.

## De sigillo Confessionis.

128. *Quaest. 1.* Quae, & quanta sit obligatio sigilli Sacramentalis? R. est omnino gravissima. Ita ut nec ad vitandam mortem liceat unquam Sacerdoti aliquid in Confessione auditum revelare; nec in hoc admittitur parvitas materiae, ut DD. animadvertunt. Oritur autem haec obligatio tum ex jure naturae, tum Ecclesiasti-

co. Jus enim naturae vetat, ne arcanum alterius manifestetur, unde ipsius damnum possit emergere; in Confessione praeterea pactio quaedam tacita intercedit, vi cujus confessarius promittit secretum. Addo, in lege Divina Confessionis hoc secretum quodammodo contineri, neque enim aliter Christus instituit praecipuum confitendi, nisi sub onere tacite imposito Confessario nunquam revelandi audita in foro Sacramentali. De lege autem Ecclesiastica constat ex Lateran. IV. & Tridentino, gravibus efficiente poenis Confessarium, qui legem sigilli violaverit. Quae violatio malitiam gravem affert tum sacrilegii, tum infidelitatis, tum etiam detractionis, nisi peccatum alioqui sit publicum.

129. *Quaest. 2.* An sigillum frangatur, si confessio fuerit nulla, vel ficta? R. non frangi sigillum, si fingatur confessio ad furandum, illudendum Sacerdotem, vel pervertendum, vel ad se conquerendum, etsi & tunc prudenter taceendum sit. Nec si quis extra confessionem accipiat aliquid sub sigillo Confessionis; quia hinc solum oritur obligatio secreti naturalis; gravior quidem, aut levior pro rei gravitate, & exigentia. Tenetur tamen ad Sigillum Confessarius, etsi poenitens discedat indispositus, nec absolutus, modo peccata dixerit ad obtinendam absolutionem. Ita D. Th. in 4. d. 21. q. 3. a. 1. Imo sigillum obligat, ut Suarius notat, cum dubitatur utrum aliquid dictum sit a poenitente in ordine ad Confessionem; aliter odiosa redderetur confessio, & peccata plura in confessione audita ob defectum memoriae, &

semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quolibet poenitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt. Neque ita absolutus tenetur postea, si convaluerit, Superiori se sistere, cum quilibet Sacerdos in gravi mortis periculo habeat potestatem directe absolvendi a quovis peccato. Et quamvis multi in ea sint opinione, simplicem Sacerdotem posse absolvere in articulo mortis, etiam praesente confessario ab Episcopo adprobato, idque significaret videantur verba Tridentini, dicentis, nullam esse reservationem in articulo mortis; alii tamen Doctores ea interpretantur de sola hypotesi, qua nullus adsit adprobatus Sacerdos, cum finis Concilii sit impedire, ne quis pereat ex defectu absolutionis. Ita declarat Rit. Romanum, ajens: si periculum mortis imineat, abprobatusque desit Confessarius, cet. S. Carolus in Instr. Confess. Adprobatus autem ab Ordinario potest absolvere a quibusvis peccatis, & censuris.

## CAPUT IX.

## De sigillo Confessionis.

128. *Quaest. 1.* Quae, & quanta sit obligatio sigilli Sacramentalis? R. est omnino gravissima. Ita ut nec ad vitandam mortem liceat unquam Sacerdoti aliquid in Confessione auditum revelare; nec in hoc admittitur parvitas materiae, ut DD. animadvertunt. Oritur autem haec obligatio tum ex jure naturae, tum Ecclesiasti-

co. Jus enim naturae vetat, ne arcanum alterius manifestetur, unde ipsius damnum possit emergere; in Confessione praeterea pactio quaedam tacita intercedit, vi cujus confessarius promittit secretum. Addo, in lege Divina Confessionis hoc secretum quodammodo contineri, neque enim aliter Christus instituit praecipuum confitendi, nisi sub onere tacite imposito Confessario nunquam revelandi audita in foro Sacramentali. De lege autem Ecclesiastica constat ex Lateran. IV. & Tridentino, gravibus efficiente poenis Confessarium, qui legem sigilli violaverit. Quae violatio malitiam gravem affert tum sacrilegii, tum infidelitatis, tum etiam detractionis, nisi peccatum alioqui sit publicum.

129. *Quaest. 2.* An sigillum frangatur, si confessio fuerit nulla, vel ficta? R. non frangi sigillum, si fingatur confessio ad furandum, illudendum Sacerdotem, vel pervertendum, vel ad se conquerendum, etsi & tunc prudenter taceendum sit. Nec si quis extra confessionem accipiat aliquid sub sigillo Confessionis; quia hinc solum oritur obligatio secreti naturalis; gravior quidem, aut levior pro rei gravitate, & exigentia. Tenetur tamen ad Sigillum Confessarius, etsi poenitens discedat indispositus, nec absolutus, modo peccata dixerit ad obtinendam absolutionem. Ita D. Th. in 4. d. 21. q. 3. a. 1. Imo sigillum obligat, ut Suarius notat, cum dubitatur utrum aliquid dictum sit a poenitente in ordine ad Confessionem; aliter odiosa redderetur confessio, & peccata plura in confessione audita ob defectum memoriae, &

hallucinationem Confessarii possunt impune manifestari.

130. *Quæst. 3.* An sigillum frangatis, qui dicat, aliquem sibi esse confessum, vel confessum esse venialia in genere? R. neg. nisi dicatur in circumstantiis, in quibus aliqua suboriri possit suspicio de auditis in Confessione, aut in quibus colligi possit alios esse nocentes, vel mortalia confessos. Quod si pœnitens significaverit, se nolle sciri, quod sit confessus, quia pœnitens v. g. extraordinario Sacerdoti confitendo potest vereri, ne quis suspicetur se confessum esse grave crimen; tunc Confessarius non potest dicere ipsum audisse confessionem sine periculo fractionis sigilli. Nec licet in genere peccata referre, si inde aut in aliquam personam, aut Communitatem, præsertim exiguam, redundare prava suspicio possit; secus vero, si nullum inde oriatur periculum.

131. *Quæst. 4.* An Sacerdos possit dare testimonium Confessionis iis, quos non absolvit; & an illud negare possit sine fractione sigilli? R. probabilius, & communius est, quod si in schedula scriptum sit, pœnitentem tantum esse confessum, schedula danda sit, cum negare perinde sit, ac indirecte revalere eum non esse rite confessum. Minime vero si in schedula dicatur pœnitentem esse absolutum; id enim esset mendacium, quod proferre numquam licet. Idque verum est, etiam si schedula sit typis impressa, ubi asseritur absolutio imperita. Quanquam aliqui recentiores eam putent

tradi posse etiam non absolutis a confessario, si publice petant; quia tunc ille nec profero, nec scribit mendacium, sed tantum materiam actionem operatur, talem schedulam impertiendo.

132. *Quæst. 5.* Quænam cadant sub sigillum confessionis? R. omnia peccata pœnitentis, sive gravia, sive levia, sive futura, sive præterita; peccata etiam complicitis, peccata aliorum, quæ solum intelliguntur ex confessione, peccatorum circumstantias, pœnitentiam impositam, & omnia illa, quæ odiosam, vel onerosam reddunt confessionem Sacramentalem. Hinc non licet 1. confessario, complicem pœnitentis monere, vel corrigere, nisi cum expressa facultate pœnitentis, ut docent D. Th. opusc. 12. q. 6. & S. Antoninus 3. p. tit. 4. c. 29. Suarez, & alii. 2. non licet revelare pœnitentiam impositam, si gravis fuerit. Bona vero pœnitentis, ut propositum religionis, vel Sacerdotii, virtutes, revelationes, & similia cadunt sub sigillum, ait Lugo, si ab eo manifestentur in ordine ad confessionem; non vero si ob alium finem, nec ex revelatione possit reddi odiosa confessio Sacramentali. Idem dico de defectibus naturalibus, aut vitiis occultis corporis. Dicere autem, pœnitentem esse rudem, blæsum, scrupulosum, molestum, a sigillo excusat Lugo, nisi scrupulos aperiat pœnitens ad declaranda peccata. Quanquam ea etiam cadere sub sigillum, nisi aliunde nota sint, contendit Tamburinus, ut confessio sit omnino immunis a quocumque odio, & onere.

133. *Quest. 6.* Quid autem agere debeat confessarius, ad quem accedit surdus confitens grave peccatum, si opus sit eum interrogare, nec id possit facere; quin circumstantes audiant? R. si confessionis initio surditatem poenitentis advertat, injungat ei, ut redeat alio tempore, & loco opportuno; & interim potest aliis declarare surditatem poenitentis, quando ea communiter sit patens. Quod si in progressu confessionis id animadvertat, nec poenitens variis interrogationibus recte respondeat, non expedit, ut Confessarius illi palam imponat alio tempore redire, ne audientibus det ansam suspicandi eum esse confessum grave peccatum. Erit ergo iudicio meo consultius, auditis, quo fieri possit meliori modo, peccatis aliquot, eum absolvere, vel absolute, si poenitens rite paratus prudenter censeatur; vel conditionate, si de dispositione dubitetur.

134. *Quest. 7.* Quinam teneantur ad sigillum Confessionis? 1. Confessarius. 2. Superior, a quo facultas petitur absolvendi a reservato; quia illa petitio est veluti quaedam inchoatio confessionis, & ista alioquin odiosa redderetur. 3. interpres, ut ait Suarius, & communis est doctrina T. contra Sotum, & Cajetanum, qui eum solum obligari ajunt ad secretum naturale. 4. omnes qui forte aliquid confessionis audiunt, sive id ipsorum culpa eveniat, sive absque culpa. Pariter qui in necessitate audiunt peccatum aliquod confitentis, v. g. in conflictu, naufragio, cet.

5. Omnis, quibus Sacerdos per sacrilegium aliquid de confessione revelaverit. 6. Laicus, qui pro Sacerdote est habitus, si forte ei quis confessus fuerit. 7. Qui confessionem alterius scripsit, vel scriptam invenit, ac legit, quamvis aliqui eum excusent a secreto confessionis, sed non a secreto naturali. Peccabit autem graviter legendo, & multo magis divulgando, nisi forte sciens ea levia esse, legat ex curiositate.

135. *Quest. 8.* An poenitens teneatur ad sigillum confessionis? R. neg. cum communi, & vera sententia; quia sigillum est tantum institutum in favorem poenitentis, nec ulla lex extat Ecclesiastica ad sigillum obligans poenitentem. Obligatur tamen lege naturali ad non propalanda ea, quæ aut ipse dixit in Confessione, aut a Confessore audivit, quoties id redundare potest in damnum confessoris, aut in aliorum scandalum, ut Gersonius animadvertit.

136. *Quest. 9.* Quomodo respondere debeat Confessarius interroganti de peccato poenitentis? R. tenetur objurgare ita interrogantem, dicendo, has interrogationes velut impias non esse faciendas; & si rogetur, an aliquem absolverit, respondeat: *functus sum officio meo.* Quod si ista responsio non sit sufficiens, ut evenire aliquando potest, dicere debet se nescire; re vera enim nescit id quod nullo modo potest manifestare. Ita S. Thomas in 4. d. 21. q. 3. ar. 1. S. Antonius 3. p. tit. 17. c. 22. quibus subscribunt Suarius, Navarro, Lugo, &



communis sententia docens id posse affirmari a Confessario, etiam cum juramento; nam, ut ait Aug. citato loco: *homo non adducitur in testimonium, nisi ut homo; ideo potest jurare se nescire, quod scit tantum ut Deus.* Quid si confessarius alicui negaverit absolutionem, & dum Missam celebrat, rogetur a Ministro, an ponat formulam pro communi illius pœnitentis? R. Salmanticenses ipsum debere dicere: *roga pœnitentem, num velit communicare?*

137. *Quæst. 10.* An Doctor consultus a confessario cum facultate pœnitentis obligetur ad sigillum Sacramentale? Affirmant Suarius cum S. Th. & Antonino, & communi DD. contra alios cœsentes solum teneri ad secretum naturale. Est autem ratio petenda ex ipsa institutione Sacramenti, in qua ita creditur Christum obligationem sigilli imposuisse, ut ea comprehendat omnes, ad quos vel proxime, vel remote pervenerit notitia peccati in ordine ad confessionem; alioquin non satis provisum fuisset. Nec vero certum est, quod aliqui dicunt, pœnitentem, qui dat Confessario veniam consulendi, cedere juri suo, quod habet ad sigillum; cum potius contra sit præsumendum, non aliter ab eo permitti consultationem de peccato, nisi quoad opus fuerit, ut Confessor possit instrui ad pœnitentem dirigendum. Hinc iste tenetur ita consilium petere, ut taceat personam, & quoad fieri poterit, circumstantias omnes, unde pœnitens possit agnoscere. An autem is, a quo pœnitens consilium petit, ut melius postea confiteatur, te-

neatur ad sigillum Sacramentale? Affirmant Tamburinus, Sporer, Concina, & alii; sed alii probabilius negant, cum obligatio sigilli non oriatur nisi ex confessione Sacramentali, ut expresse tradit D. Thomas in 4. dist. 21. q. 3. a. 1. Excipit Suarius, si pœnitens ante confessionem consilium petat ab ipso Sacerdote, cui postea est confitendus, cum ea declaratio sit veluti quædam inchoata confessio pœnitentis, qui ut se expeditius gerat, consilium petit ad ipso Confessario.

138. *Quæst. 11.* An liceat unquam Confessario uti notitia habita in confessione? R. sine expressa licentia pœnitentis nunquam licet uti notitia per confessionem acquisita, ex qua periculum esse potest revelationis etiam indirectæ, vel oriri potest gravamen ipsius pœnitentis. Hinc decretum extat S. Cong. Inquis. auctoritate Innoc. XI. proscribens hanc thesim: *scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.* Itaque non licet confessario, pœnitenti ob audita in confessione ruborem, vel molestiam creare, vultum ei severiorem exhibere, ipsum declinare, dimittere famulum, ne furetur, aut claves ab eo auferre, & alia quæcumque facere, quæ quovis modo redundant in odium confessionis, vel onus pœnitentis. Unde Clem. VIII. decreto suo prohibuit, ne Superiores ea notitia, quam de peccatis aliorum habuerit in con-

fessione, ad exteriorem gubernationem utantur; adeoque Superior non potest ab officio, vel administratione subditum amovere, vel impedire, ut in Superiorem eligatur, etiamsi nulla inde revelatio sequatur, quicquid antiqui docuerint cum D. Th. quodlibet. 5. q. 7. a. 13.

139. Non frangit sigillum, qui utitur notitia confessionis ad sui regimen, vel ad reformandos proprios mores, & cavendum a periculis sive animi, sive corporis, ad orandum pro pœnitente, consulendos libros, ad instruendos alios pœnitentes, & similia, ex quibus nulla possit oriri suspicio revelationis peccati, nec gravamen ullum, vel minimum confitentis. Nec sigillum violat confessarius, qui narrat crimina audita in confessione, tacita persona; locum autem nominare periculosum est, nisi adeo sit amplius, ut nullo modo venire quis possit in suspicionem personæ. Dicere autem, Religiosum particularis monasterii sibi grave crimen esse confessum, vel in eo talia peccata committi, esset violatio sigilli. Secus autem, si solum dicatur, Religiosum alienjus Ordinis grave crimen esse confessum, nisi ordo sit strictioris observantiæ; tunc enim licet non violaretur sigillum, charitas tamen violari posset.

140. *Quest. 12.* An Confessarius possit agere cum pœnitenti de auditis in confessione? R. extra confessionem nullo modo licet sine ipsius venia. Communiter tamen DD. asserunt licere confessario agere cum pœnitente de auditis in confessione statim post absolutionem,

si forte oporteat de aliquo ipsum monere, vel errorem a se commissum retractare; quia confessio tunc moraliter perseverat; quamquam sit tutius petere ab eo veniam, & juxta aliquos sit omnino necessarium. Intra Confessionem autem licet Confessario agere cum pœnitente de rebus olim ab eo confessis, ut constat ex praxi confessariorum recidivos arguentium, & aliquando absolutionem denegantium. Imo qui confitetur, tacite dat licentiam confessario agendi de iis omnibus, quæ ad animæ suæ regimen opportuna censuerit.

## APPENDIX.

## De Sollicitatione.

141. Greg. Pontifex XV. in Bulla, quæ incipit *Universi Dominici gregis*, edita anno 1622. confirmavit, ampliavit, atque ad fideles omnes extendit constitutiones, quæ pro regnis Hispaniæ, & Portugalliæ ediderant Paulus IV. Pius item IV. Clemens VIII. & Paulus V. declarantes quoscumque Confessarios ad inhonesta sollicitantes pœnitentes, denunciandos esse Inquisitoribus hæreticæ pravitatis tanquam suspectos hæresis. Quam Gregorii, & Decessorum Bullam non ita pridem confirmavit Benedictus XIV. injungens Inquisitoribus, & Ordinariis, ut inquirent, & procedant contra sollicitantes confessarios, cujuscumque clasis fuerint, & dignitatis. Verba Gregorii XV. sunt ejusmodi...

142. Omnes Sacerdotes, tum Sæculares, quam Regulares, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta inter se, sive cum aliis quomodolibet in actu Sacramentalis Confessionis, sive ante, sive post immediate, seu occasione, vel prætextu confessionis, etiam confessione non secuta, sive extra confessionis occasionem in confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones audiuntur, ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint. . . Mandantes omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ut supra ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu tractantes, cet. Inquisitoribus, & locorum ordinariis.

143. Extant præterea propositiones duæ, damnatæ ab Alex. VII. 1. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti charitatem postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitare in confessione, ac proinde non est denunciandus. 2. Modus evadendæ obligationis denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi. Ex his propositionibus ab Ecclesia proscriptis, & ex constitutione Gregorii, & Benedicti deduci possunt regulæ certæ denuntiationis.

144. Prima regula: denunciandi sunt omnes Sacerdotes, tam Sæculares, quam regulares, proindeque etiam simplices Sacerdotes, qui ad sollicitandum Sacramento abutantur. Quæ lex

cum pœnalis sit, non est extendenda ad laicos, etiam interpretes, ut asserit communis sententia contra Escobarium, aliosque, volentes, interpretes etiam comprehendi sub nomine Confessorum. Ex alio tamen capite sunt denunciandi, tanquam hæresis suspecti; nempe ex edicto S. Inquisitionis Rom. jubente denunciari omnes, qui Sacramento Pœnitentiæ ad pravum sollicitandi finem abutantur.

145. Secunda regula: denunciari debent, qui personas quascumque in confessione ad turpia sollicitaverint. Unde non solum ii, qui feminas, sed qui masculos ad inhonesta provocaverint, deferendi sunt. Ita omnes. Tertia: in actu Sacramentalis Confessionis, immediate ante, vel post. Hinc non est opus, ut confessio sit perfecta, modo sit incepta. Cetera autem verba immediate ante, immediate post, morali sensu intelligenda sunt, ut non multum temporis intercesserit. Itaque si pœnitens confessionem petens sit a Confessario sollicitatus in confessione, vel proxime ante ipsam est denunciandus; secus si petita confessione, ad alia sermonem diverterit, & postea sollicitatio intercesserit, modo occasionem non acceperit ex confessione.

146. Quarta regula: vel occasione, aut prætextu confessionis. Ubi duo in se distincta exprimuntur, occasio, & prætextus confessionis. Hic enim dicitur sollicitare occasione confessionis, qui ex ipsa confessione motivum sumit ad provocandum; prætextu autem confessionis, qui ad sollicitandum simulat, vel prætextit confes-

sionem. Ex primo capite denunciandus est, qui rogatus a pœnitente, ut eum audiat confitentem, exinde ansam arripit sollicitandi, esto nondum sederit, nec pœnitens fuerit genuflexus. Pariter, qui rogatus a femina, v. g. ut cras ejus confessionem excipiat, eam sollicitet hodie, cum sollicitatio oriatur ex occasione confessionis. Pariter est denunciandus, qui notitia habita in confessione abutitur ad sollicitandum; ut si cognita mulieris fragillitate interroget de domo, ubi habitat, adeat ipsam, & ad malum excitet, vel id faciat per epistolam.

147. Ex confessionis prætextu denunciandus est confessarius, qui ex pravo fine fice invitatur feminam ad Confessionem, & deinde sollicitat. Quod si confessarius prætextu confessionis a Superiore obtineat facultatem ad eundem mulierem, eamque sollicitet, nulla facta mentione confessionis non est deferendus, cum prætextus Confessionis sit respectu Superioris, non vero pœnitentis. Ita Salmant. Roncaglia, & alii. Quid vero si confessarius conveniat cum femina, ut ad eludendos domesticos se fingat ægrotam, & ipsum accersat domum ad peccatum perpetrandum? Esse denunciandum, affirmant Sanctius, Concina, & Mazzota, quia titulus, seu prætextus confessionis videtur satis manifestus. Sed probabilius negat Roncaglia cum aliis, eo quod licet peccatum fiat prætextu confessionis, non vero sollicitatio; ita ut prætextus confessionis non jam ordinetur ad sollicitationem, sed ad familiares decipiendos.

148. Multo minus denunciandum esse puto

(contra Concina) eum Confessarium, qui a muliere, nomine confessionis, nulla prævia conventionem ad domum accersatur, ac provocetur, quamvis deinde rem habeant. Siquidem in Bulla denunciari debet Confessarius sollicitans prætextu confessionis, sed non ille, qui eo nomine a pœnitente sollicitatur. Aliud esset, si confessarius extra confessionem sollicitaret, & reuertentem ob infamiæ timorem mulierem induceret, ut simulans se ægrotam, eum accerseret ad peccandum; quia tunc vere diceretur confessarius prætextu confessionis feminam sollicitasse ad consentiendum. Idem dico, si a puellæ matre Sacerdos advocetur, ut ejus confessionem excipiat; ipse vero rogans, an velit confiteri, dicens, se vocatum fuisse ad confessionem, deinde sollicitet; id enim faceret prætextu confessionis.

149. Regula 5. in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire. Hæc Pontificiæ constitutionis clausula designat eos, qui denunciandi sunt ratione loci, in quo fit confessio, & simulationis confessionis. Ac primo quidem denunciandus est, qui sollicitat in confessionali, aut alio loco ad excipiendas confessiones electo. Nec opus est simulatione confessionis, si confessarius sollicitet in confessionali, ut probabilius censeo ex decreto S. Inquisitionis coram Paulo V. 10. Julii 1614. facta relatione, quod multi confessarii tractant cum mulieribus in confessionali extra occasionem confessionis de rebus

*inhonestis; Sanctissimus decrevit, ut contra hujusmodi confessarios procedatur in S. Officio. Si vero fiat sollicitatio in aliis locis, requiritur simulatio confessionis; v. g. si in loco ad confessionem electo femina coram Sacerdote genuflectat, ipse autem illam audire simulet; hæc enim adstantibus ingerunt suspicionem confessionis.*

150. Regula 6. aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones habuerint. Quibus verbis denunciari jubentur confessarii, qui tractant de rebus turpibus, & inhonestis; & quidem, ut ait cum multis Potestas, licet ad turpia non sollicitent poenitentes; id enim videtur indicari per hanc clausulam, quæ est omnino distincta a superiori clausula, in qua provocantes jubentur denunciari. Alii tamen excusant, nisi re vera sollicitatio intercedat, & quidem mutua, vel saltem ex parte confessarii; nam si poenitens, inquit, sollicitet, non incurrit obligationem denunciandi, quando confessarius non sollicitat. An vero iste censeatur sollicitare, si provocatus consentiat, dubitant DD. Certum est id maxime pendere ex circumstantiis sermonis, & tractatus, qui inter confessarium, & poenitentem intercedant. Ad denunciationem vero satis est sollicitatio ad tactus, & quascumque alias actiones impudicas; non vero si confessarius sollicitet ad alia peccata, quantumvis gravia, sed non venerea; ita enim fert praxis, & Bulla Gregorii tota refertur ad extirpandum abusum eorum, qui Sacramento abutuntur ad turpia, & inhonesta.

Reg. ultima: mandantes omnibus Confessariis... Itaque Sacerdos nequit absolvere poenitentem sollicitatum, nisi iste prius denuntiet, vel saltem promittat se declaraturum Confessorem sollicitantem Judici competenti. Quæstiones alias de hoc argumento solutas reperies apud auctorem nostrum: hæc enim sufficiunt ad ea, quæ in praxi communiter occurrunt.

## TRACTATUS V.

DE EXTREMA UNCTIONE, ET ORDINE.

## CAPUT PRIMUM.

De Sacramento Extremæ Uctionis.

1. Quæst. 1. Quid est Extrema Unctio?  
R. Est Sacramentum a Christo institutum ad conferendam ægroto de vita periclitanti gratiam ad perferendos labores, resistendum tentationibus, peccati reliquias abstergendas; atque etiam salutem corporis, si oporteat, per unctionem olei benedicti, & orationem Sacerdotis. Illud esse verum Sacramentum, definitum est a Trid. Sess. 7. Can. 1. Institutum est a Christo post Resurrectionem suam, ut cum aliis TT. docet Suarius, promulgatum autem est in ep. Jacobi c. 5. his verbis: *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Certum est hoc Sa-

*inhonestis; Sanctissimus decrevit, ut contra hujusmodi confessarios procedatur in S. Officio. Si vero fiat sollicitatio in aliis locis, requiritur simulatio confessionis; v. g. si in loco ad confessionem electo femina coram Sacerdote genuflectat, ipse autem illam audire simulet; hæc enim adstantibus ingerunt suspicionem confessionis.*

150. Regula 6. aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones habuerint. Quibus verbis denunciari jubentur confessarii, qui tractant de rebus turpibus, & inhonestis; & quidem, ut ait cum multis Potestas, licet ad turpia non sollicitent poenitentes; id enim videtur indicari per hanc clausulam, quæ est omnino distincta a superiori clausula, in qua provocantes jubentur denunciari. Alii tamen excusant, nisi re vera sollicitatio intercedat, & quidem mutua, vel saltem ex parte confessarii; nam si poenitens, inquit, sollicitet, non incurrit obligationem denunciandi, quando confessarius non sollicitat. An vero iste censeatur sollicitare, si provocatus consentiat, dubitant DD. Certum est id maxime pendere ex circumstantiis sermonis, & tractatus, qui inter confessarium, & poenitentem intercedant. Ad denunciationem vero satis est sollicitatio ad tactus, & quascumque alias actiones impudicas; non vero si confessarius sollicitet ad alia peccata, quantumvis gravia, sed non venerea; ita enim fert praxis, & Bulla Gregorii tota refertur ad extirpandum abusum eorum, qui Sacramento abutuntur ad turpia, & inhonesta.

Reg. ultima: mandantes omnibus Confessariis... Itaque Sacerdos nequit absolvere poenitentem sollicitatum, nisi iste prius denuntiet, vel saltem promittat se declaraturum Confessorem sollicitantem Judici competenti. Quæstiones alias de hoc argumento solutas reperies apud auctorem nostrum: hæc enim sufficiunt ad ea, quæ in praxi communiter occurrunt.

## TRACTATUS V.

DE EXTREMA UNCTIONE, ET ORDINE.

## CAPUT PRIMUM.

De Sacramento Extremæ Uctionis.

1. Quæst. 1. Quid est Extrema Unctio?  
R. Est Sacramentum a Christo institutum ad conferendam ægroto de vita periclitanti gratiam ad perferendos labores, resistendum tentationibus, peccati reliquias abstergendas; atque etiam salutem corporis, si oporteat, per unctionem olei benedicti, & orationem Sacerdotis. Illud esse verum Sacramentum, definitum est a Trid. Sess. 7. Can. 1. Institutum est a Christo post Resurrectionem suam, ut cum aliis TT. docet Suarius, promulgatum autem est in ep. Jacobi c. 5. his verbis: *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Certum est hoc Sa-

cramentum unum esse; licet enim plures sint unctiones, omnes tamen pertinent ad unum significandum, scilicet medelam animi, & corporis. Utrum in qualibet unctione partialis gratia conferatur, disputant DD. Affirmant Scotus, Suarius, & alii; sed negat S. Thomas in Supplem. q. 30. art. 1. docens, *in ultima unctione gratiam conferri*. Docent autem multi cum Suario, hoc Sacramentum esse posse validum, & informe, ita ut recedente obice, gratia conferatur. Unde, inquirunt, ægrotus, qui sensibus destitutus, aut bona fide in mortali hoc Sacramentum suscipit, si postea habeat attritionem, recipiet gratiam Sacramenti, modo tollatur obex, perseverante eodem morbo, & periculo.

2. *Quæst. 2.* Quænam est materia remota hujus Sacramenti? R. oleum olivarum ab Episcopo benedictum: sive benedictio sit necessaria ex institutione Christi, sive ut aliis placet, ex præcepto Ecclesiæ. De commissione R. Pontificis potest a simplici Sacerdote benedicere, ut fit apud Orientales, teste Bened. XIV. *lib. VII. c. 16. de Syn. Diac.* Renovari debet quotannis, veteri exusto; quod si istud non sufficiat, nec haberi possit benedictum, potest admisceri oleum benedictum, sed in minori quantitate. Nec officit validitati materiæ, si oleo admisceatur aliquantulum balsami, ut olim in usu fuisse multi credunt.

3. *Quæst. 3.* Quænam est proxima materia Extr. Uctionis? R. est unctio aliquarum partium corporis, quæ fieri a Sacerdote debet pol-

lice manus dexteræ; id tamen solum de præcepto, nam in necessitate, v. g. lue grassante, fieri potest virga oleo tincta, quæ postea est comburenda. Controvertitur a TT. an sit de necessitate Sacramenti unctio quinque sensuum, an una tantum sufficiat ad valorem? Pro pluribus stant antiquiores fere TT. S. Bonaventura, Suarius, aliique citantes D. Thomam, qui tamen in supplem. q. 32. a. 6. solum ait, unctionem quinque sensuum esse *quasi de necessitate Sacramenti*. Alii tamen multi cum Merbesio, Natali Alex. Tournelyo docent, unam tantum unctionem pertinere ad essentiam Sacramenti. Pro qua sententia adducitur usus aliquarum Ecclesiarum, Ritualia quædam, & Pastoralia. Quicquid sit de hac controversiâ, quæ nondum est ab Ecclesia definita, facile omnes admittunt, unctiones quinque sensuum ex præcepto saltem esse adhibendas, nec nisi in periculo mortis, aut alia urgente gravi necessitate, illas esse omittendas.

4. Cum autem instat necessitas, ungendum est unum tantum organum, vel potius caput, ut ait Bened. XIV. dicendo: *indulgeat tibi Deus, quicquid per sensus deliquisti*, ut habet Rit. Parisiense; vel potius exprimendo quinque sensus, & præmittendo verbum *deliquisti*, ne, si forte interim æger moriatur, nullum sit Sacramentum. Quod si vivere dubitetur, prosequatur Sacerdos sub conditione, ut præscribit Rituale Romanum. Si post unam unctionem ægrotus supervixerit, repetendas esse in singulis sensibus, additis Orationibus, a Rituali præ-

copo ordinentur; ipse tamen nequit ordinare ante sui consecrationem, per quam accipit ordinandi potestatem. R. 2. Episcopus, qui non est Sacerdos, nequit valide ordinare, & multo minus, qui non est baptizatus: ita omnes. 3. ordines collati ab Episcopo rite consecrato, quantumvis suspenso, excommunicato, degradato, interdicto, validi quidem sunt; sed ille incurrit censuras; & ordinatus ab eo, qui notorie talis est, manet suspensus.

22. *Quest. 2.* Quosnam possit Episcopus ordinare? R. Episcopus non potest ordinare nisi solos subditos. Potest autem quis esse subditus Episcopi ratione originis, si in ipsius diocesi sit natus, vel ratione domicilii, si in ea domicilium habeat, vel quasi domicilium cum animo permanendi; vel ratione beneficii, quod habeat intra diocesim. Quocumque ex his modis subditus potest ab Episcopo ordinari; potest quoque non subditus ordinari ratione *famulatus*, modo per triennium fuerit cum Episcopo commoratus, & beneficium, remota omni fraude, statim re ipsa illi conferatur, ut statuit Trid. Ses. 23. c. 9. De cetero Episcopus ordinans non subditum sine licentia sui Ordinarii suspenditur per annum a collatione Ordinum. Nec vero sibi subditos potest Episcopus ordinare in aliena diocesi absque facultate Episcopi Diocesani; utrum vero hæc prohibitio ad collationem tonsuræ pretendatur, res est inter DD. controversa.

23. *Quest. 3.* Quisnam possit dare litteras dimissoriales ad Ordines suscipiendos? R. potest Ordinarius, sive sit originis, sive domicilii,

sive beneficii. 2. Capitulum Sede vacante, sed non nisi post annum vacationis transactum, ut tradit Trid. Sess. 7. de ref. c. 1. Possunt tertio Abbates, aliique exempti circa suos subditos, quos possint ordinare, scilicet subditos sibi Regulares; nam subditos Sæculares neque ordinare possunt, nec eis dare dimissorias ex Trid. decreto. Quod si aliter egerint, Abbates manent suspensi ex decreto S. Cong. Concilii, approbato ab Urbano VIII. Excipit tamen Bened. XIV. Abbates aliquot speciale privilegium habentes, ut sunt Cassinensis, Claravallensis, alii. An autem valide, licet non licite ordinentur non subditi ab Abbatibus jurisdictionem Episcopalem habentibus, incertum est. Negant Suarius, Aversa cum aliis, sed verius affirmant alii multi, atque ita declaratum esse a S. C. docet Benedictus XIV. lib. 2. de Syn. c. 10. Dubitatur pariter, utrum Novitii Regulares possint a Prælati suis Abbatibus ordinari, non secus ac professi? probabilior est sententia affirmans cum Suario; cum nomine Regularium veniant etiam Novitii in favorabilibus.

24. *Quest. 4.* An, & quomodo peccabit Ordinarius, qui conferat Ordines in statu lethalis? R. eum graviter peccare, quia injuriam gravem irrogat Sacramento. Aliqui excusant a mortali Ministrum conferentem minores Ordines in peccato mortali, cum probabile sit eos non esse Sacramenta. Certum est autem gravis peccati reum fore, qui Ordines etiam minores conferat, vel suscipiat, aliqua censura irretitus; qui autem sic ordinat, incurrit irregularitatem; susci-



laborant, ut mortis periculum imminere videatur. Sic habetur in Trid. Sess. 14. c. 3. & in decreto Eugenii ad Armenos. Unde nequit sanis conferri; quod si conferatur, erit invalidum, ut docet communis doctrina TT., contra Jueninum, & Roncaglia. Nec valide confertur ægrotis, qui gravi mortis periculo non laborant; nec mulieri parturienti, nisi revera partus sit adeo periculosus, ut in proximo sit vitæ discrimine. Non est ministrandum pueris, aut perpetuo amentibus, neque excommunicatis, & publicis peccatoribus, si in manifesto peccato moriantur. Nec ministratur navigaturis, aut iis, qui prælium iniri sunt, aut reis ultimo supplicio afficiendis, ut habetur in Rituali Romano.

9. Sed non est expectandum, ut ægroti sint omnino sensibus destituti: imo peccabunt graviter Parochi, si differant ministrare hoc Sacramentum, donec infirmus privetur usu rationis: Ita Catechismus Romanus; adque id præcipitur a Bened. XIV. in Euchol. Græcorum. Imo docent multi, & graves TT. cum Suario, Holzmanno, Tournelyo, posse ministrari Extremam Unctionem statim ac ægrotus prudenter judicetur laborare periculo mortis, etsi adhuc non proximæ. Et adducunt pro hac sententia Concilia Aquisgranense; & Moguntinum; favet etiam Florentinum dicens: *subjectum hujus Sacramenti esse infirmum, de cuius morte dubitatur.* Confirmatur etiam ex Trid. Sess. 14. c. 3. dicente; *hanc unctionem infirmis adhibendam; iis vero præsertim, qui in exitu vitæ constituti videantur* Ubi verbum præsertim satis indicat pos-

se ministrari quoque infirmis, qui non videntur constituti in exitu vitæ. Et videtur id consonum bullæ Benedicti ad Græcorum institutionem.

10. *Quest. 7.* An, & quando iterari possit hoc Sacramentum? R. posse, ac debere iterari, cum ægrotus diversa laborat infirmitate, cum gravi, & proximo vitæ periculo. Sed non est denuo inungendus infirmus in eadem, quantumvis longa infirmitate, nisi ita convaluerit, ut nova censeatur ægritudo, novumque periculum. Ita Rit. Romanum, & Cath. R.

11. *Quest. 8.* An sit obligatio recipiendi Extremam-Unctionem? R. affirmat cum a Christo Domino ea sit instituta, tanquam instrumentum, & ut Trid. ait, *presidium firmissimum ad roborandam animam contra diaboli tentationes, quæ tunc maximæ esse solent, & tollendas reliquias peccatorum.* Hinc *tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere esse non potest*, verba sunt Tridentini Sess. 14. cap. 3. Imo non pauci cum Toletio affirmant divinum esse præceptum illud recipiendi ex illo Jacobi 5. *inducat Presbyteros Ecclesie.* Communis tamen opinio TT. hæc verba de consilio tantum interpretatur ex D. Th. in 4. d. 23. q. 1. ar. 1. docente, Sacramenta tam Confirmationis, quam Extremæ Unctionis non esse *de necessitate salutis.* Itaque ajunt, illa omittere solum esse veniale, nisi contemptus, vel scandalum intersit.

## CAPUT II.

## De Sacramento Ordinis.

12. *Quest. 1.* Quid est Ordo, & quotuplex?

R. Ordo sumitur vel pro ipsa ordinatione, & ritu sacro, quo potestas spiritualis confertur; vel pro ipsa potestate conficiendi Eucharistiam: in primo sensu est Sacramentum, in secundo effectus Sacramenti. Jam vero primo modo acceptus definitur: Sacramentum novæ legis, quo traditur potestas ad consecrandam Eucharistiam, & ad alia ministeria spiritualia, quæ ad illam quodammodo referuntur. Hinc per Ordinem duplex ministris confertur potestas, alia circa Christi Corpus reale, alia circa corpus Christi mysticum in ordine ad absolvendum a peccatis. Porro Ordinem esse vere, & proprie Sacramentum, definitum est a Trid. Sess. 23. Can. 3.

13. Ubi etiam definitum est, plures esse Ordines. Si quis dixerit, præter Sacerdotium, non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & majores, & minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit. Septem assignantur ex Florentino, & Tridentino; scilicet Presbiteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytatus, Exorcistatus, Lectoratus, Ostiariatus. Tres primi dicuntur Majores, & sacri, tum ob votum solemne castitatis illis annexum; tum quia propius pertinent ad Eucharistiam. Quatuor reliqui dicuntur Minores; tonsura autem proprie non est ordo, sed via,

& dispositio ad Ordines; quia per illam nulla confertur potestas spiritualis, sed solum homo constituitur in statu Clericali, fitque capax obtinendi Beneficia Ecclesiastica. An Episcopatus sit ordo distinctus a Presbyteratu, disputant TT.; sed S. Thomas, Bonaventura, & alii volunt solum esse extensionem quandam presbyteratus. Alii cum Bellarmino docent esse Ordinem omnino diversum, tum quia in ipso iraditur specialis potestas constituendi Ministros Eucharistiæ; tum quia Episcopatus confertur per manus impositionem, & per formam: *accipe Spiritum S. cet.*

14. *Quest. 2.* An omnes Ordines sint Sacramenta? R. 1. certum est fide, Sacerdotium esse Sacramentum, ut definitum est a Tridentino laudato. De Diaconatu etsi non sit de fide, mihi certum est illum quoque rationem habere Sacramenti, & contraria sententia Cajetani, & Durandi est omnino improbabilis. Equidem in ordinatione Diaconi tria conveniunt sufficientia ad Sacramentum. 1. signum sensibile, scilicet impositio manum. 2. institutio Divina, definiente Tridentino institutam esse Divina ordinatione Hierarchiam, quæ constat Episcopis, Presbyteris, & Ministris. Atqui to ministris saltem diaconi intelligendi sunt. 3. promissio gratiæ per verba Episcopi: *accipe Spiritum S. ad robur, cet.* Quod attinet ad Subdiaconatum, varia est DD. opinio: communis est sententia DD. cum S. Th. Bellarmino, & aliis, eum inter majores ordines, & Sacramenta recensendum; alii id negant cum Magistro Sent. Gratiano, Estio, quibus adhæ-

rēt Cabasutius, & Tournelyus. Profecto Ecclesia Græca inter minores Ordines Subdiaconatum enumerat, atque eodem modo sensisse per multos annos Latinam Ecclesiam multis videtur. V. *Bened. XIV. de Syn. Diæces. lib VIII. c. 24.*

15. R. 2. Minores Ordines in communi, & magis probabili opinione non sunt Sacramenta, sed veluti quidam gradus ad majores Ordines. Quamquam omnes Ordines, nullo excluso, esse Sacramenta, multi, & graves TT. docent, eosque unum esse dicunt Sacramentum, vel quia ad Eucharistiam referuntur, vel quia plenitudo omnium est in uno Sacerdotio, ut ait D. Th. in *Suppl. q. 37. a. 1.*

16. *Quest. 3.* Quænam est materia, & forma singulorum Ordinum? R. materia remota uniuscujusque Ordinis est aliquod instrumentum, traditum ordinandis in signum potestatis spiritualis: proxima est ejusdem traditio, & acceptio. Forma sunt illa verba, quibus ea potestas confertur. An ad valorem requiratur contactus physicus, gravis est controversia; sed in praxi standum est sententiæ requirenti non solum moralem materiæ contactum, sed etiam physicum, cum agatur de valore Sacramentorum. Hinc Sacerdotio iniandus non solum debet tangere calicem, in quo patena est superposita, sed ipsam etiam patenam cum hostie.

17. Circa materiam, & formam Minorum Ordinum facile convenit inter DD. *Ostiaris* itaque ordinatur traditione clavium Ecclesiæ, qua confertur ipsi specialis potestas aperiendi, & claudendi januas Ecclesiæ, ac admittendi

dignos, & indignos excludendi. *Lector* traditione libri lectionum, qua datur specialis potestas legendi psalmos, & lectiones ex suggestu in Ecclesia, ac populum catechizandi, seu instruendi in rebus fidei. *Exorcista* traditione libri Exorcismorum, qua confertur potestas ejiciendi Dæmonia. *Acolytus* traditione urceolorum, & candelabri, sive utrumque materiam constituat, sive sola urceolorum porrectio, in quo auctores dissentiunt. Ejus officium est, in Missa solemnī Subdiacono inservire, cereos accendere, præparare, & porrigere ipsi ampullas vini, & aquæ. *Subdiaconi* munus est Diacono inservire, calicem cum patena præparando, & legere epistolam. Circa materiam autem ejus ordinationis, dubitatur a TT. Apud Græcos est manuum impositio; apud Latinos calix cum patena, quibus aliqui tanquam materiæ partem addunt librum epistolarum. Tum calix quam patena debent esse consecratæ, sive ex præcepto tantum, ut volunt aliqui; sive etiam ex vi Sacramenti ad valorem ipsius, ut multis placet.

18. Nec vero convenit inter DD. circa materiam, & formam diaconatus. Alii censent solam impositionem manuum cum illis verbis *accipe Spiritum S.* cet. esse de essentia ordinationis Diaconi, neque aliter Græci ordinantur. Alii volunt consistere in sola traditione libri Evangeliorum cum illis Episcopi verbis: *accipe Spiritum S. ad robur*, cet. Alii denique non solam dationem libri, sed etiam manuum impositionem ad materiam volunt necessariam pertinere. Ita cum aliis Bellarminus, eo quod Ecclesia declaraverit,

apud Græcos materiam Diaconatus esse solam impositionem manuum; quoad Latinos vero præter impositionem requiri libri traditionem. Potuit enim Ecclesia auctoritate sibi a Christo tradita determinare materiam, & formam, quam Christus solum in genere præscripsit: vel potius, ut aliis placet, definire condiciones, & addere tanquam materiam integram porrectionem instrumentorum. V. Bened. XIV. *de Syn. l. 7. c. 2.*

19. Hac posita opinione discrepant AA. in assignanda materia, & forma presbyteratus. Quod ad materiam attinet, certum est ad illam duo concurrere, scilicet traditionem instrumentorum, & manuum impositionem; Episcopus enim in ordinatione Presbyteri ter manus imponit: 1. cum eas extendit, nihil omnino dicens. 2. cum una cum Presbyteris extendit manus super initiandos, dicens: *accipe potestatem offerendi Sacrificium* cet. 3. cum post communionem: *accipe Spir. S.* cet. Ad formam quod attinet, ter quoque Episcopus preces fundit. 1. cum tradit calicem cum patena, dicens *accipe potestatem*, cet. 2. cum in ipsa impositione manuum dicitur ab Episcopo: *accipe Spiritum S.* 3. cum in tertia impositione iterum dicit: *accipe Spirit. S.* Omnis igitur AA. opinionibus, apud Latinos invalida censetur ordinatio, in qua non concurrant datio instrumentorum, impositio manuum, saltem secunda (nam tertia tantum est declaratoria) & Episcopi verbi: *accipe potestatem*, quæ profertur in traditione calicis; & illa *accipe Spiritum S.* quæ in secunda manuum impositione pronuntiantur. Hinc ordinatio facta sine secunda manuum

impositione repetenda est, ut declaravit S. C. apud Bened. XIV., secus si absque tertia, quæ solum est supplenda.

## CAPUT III.

## De Ministro Ordinis.

20. *Quæst. 1.* Quisnam est ordinis Minister? R. solum Episcopum esse ministrum ordinarium, ut definitum est a Tridentino Sess. 23. c. 4. Ex commissione autem R. Pontificis potest quis Sacerdos Ordines minores conferre, ut docet Bellarminus cum D. Thoma. Cardinalibus autem ex consuetudine concensum est; Abbatibus tamen solum circa suos subditos, non autem alios sine speciali consensione ipsorum Ordinarii. Ordo Presbyteratus, & Diaconatus non potest a simplici Sacerdote conferri, etiam ex Papæ commissione, qui tamen potest cuius Sacerdoti potestatem dare ordinandi Subdiaconos, quamvis id concedere non soleat. Nec vero prima Tonsura dari potest a Presbytero etiam Parochiali sine Pontificis facultate, ut constat ex praxi Ecclesiæ. Episcopus autem munus ordinandi exercere per se debet, nec potest alteri non Episcopo committere.

21. *Quæst. 2.* An valida sit ordinatio ab Episcopo facta, qui non est Sacerdos, vel nondum est consecratus, vel suspensus est, aut excommunicatus? R. 1. Episcopatus electus, & confirmatus, sed nondum consecratus potest quidem subditis dare facultatem, ut ab alio Epis-

copo ordinentur; ipse tamen nequit ordinare ante sui consecrationem, per quam accipit ordinandi potestatem. R. 2. Episcopus, qui non est Sacerdos, nequit valide ordinare, & multo minus, qui non est baptizatus: ita omnes. 3. ordines collati ab Episcopo rite consecrato, quantumvis suspenso, excommunicato, degradato, interdicto, validi quidem sunt; sed ille incurrit censuras; & ordinatus ab eo, qui notorie talis est, manet suspensus.

22. *Quest. 2.* Quosnam possit Episcopus ordinare? R. Episcopus non potest ordinare nisi solos subditos. Potest autem quis esse subditus Episcopi ratione originis, si in ipsius diocesi sit natus, vel ratione domicilii, si in ea domicilium habeat, vel quasi domicilium cum animo permanendi; vel ratione beneficii, quod habeat intra diocesim. Quocumque ex his modis subditus potest ab Episcopo ordinari; potest quoque non subditus ordinari ratione *famulatus*, modo per triennium fuerit cum Episcopo commoratus, & beneficium, remota omni fraude, statim re ipsa illi conferatur, ut statuit Trid. Ses. 23. c. 9. De cetero Episcopus ordinans non subditum sine licentia sui Ordinarii suspenditur per annum a collatione Ordinum. Nec vero sibi subditos potest Episcopus ordinare in aliena diocesi absque facultate Episcopi Diocesani; utrum vero hæc prohibitio ad collationem tonsuræ pertendatur, res est inter DD. controversa.

23. *Quest. 3.* Quisnam possit dare litteras dimissoriales ad Ordines suscipiendos? R. potest Ordinarius, sive sit originis, sive domicilii,

sive beneficii. 2. Capitulum Sede vacante, sed non nisi post annum vacationis transactum, ut tradit Trid. Sess. 7. de ref. c. 1. Possunt tertio Abbates, alique exempti circa suos subditos, quos possint ordinare, scilicet subditos sibi Regulares; nam subditos Sæculares neque ordinare possunt, nec eis dare dimissorias ex Trid. decreto. Quod si aliter egerint, Abbates manent suspensi ex decreto S. Cong. Concilii, approbato ab Urbano VIII. Excipit tamen Bened. XIV. Abbates aliquot speciale privilegium habentes, ut sunt Cassinensis, Claravallensis, alii. An autem valide, licet non licite ordinentur non subditi ab Abbatibus jurisdictionem Episcopalem habentibus, incertum est. Negant Suarius, Aversa cum aliis, sed verius affirmant alii multi, atque ita declaratum esse a S. C. docet Benedictus XIV. lib. 2. de Syn. c. 10. Dubitatur pariter, utrum Novitii Regulares possint a Prælati suis Abbatibus ordinari, non secus ac professi? probabilior est sententia affirmans cum Suario; cum nomine Regularium veniant etiam Novitii in favorabilibus.

24. *Quest. 4.* An, & quomodo peccabit Ordinarius, qui conferat Ordines in statu lethali? R. eum graviter peccare, quia injuriam gravem irrogat Sacramento. Aliqui excusant a mortali Ministrum conferentem minores Ordines in peccato mortali, cum probabile sit eos non esse Sacramenta. Certum est autem gravis peccati reum fore, qui Ordines etiam minores conferat, vel suscipiat, aliqua censura irretitus; qui autem sic ordinat, incurrit irregularitatem; susci-

piens autem cum censura manet ab Ordine suscepto suspensus.

#### CAPUT IV.

*De iis, quæ in Ordinando requiruntur.*

25. *Quæst. 1.* Quænam requiruntur, ut quis valide ordinetur? R. ut sit mas, & baptizatus, & non invitus. Hinc feminae sunt Ordinis omnino incapaces, ut constat ex c. *Nova de pæn. & tem. 2.* Hermaphroditi, nisi in eis prævaleat sexus virilis. 3. non baptizati, ex c. *veniens de præbyt. 4.* qui omnino invitus, & coactus ordinatur, non recipit characterem, secus si metu etiam injusto & gravi coactus ordinetur, tunc enim recipit characterem, cum habuerit voluntatem accipiendi Ordinem. Sed si metus fuit gravis, & injustus, non tenetur uti Ordine sacro, & potest uxorem ducere. Valide quoque ordinantur infantes, amentes, & pueri carentes usu rationis, sed non tenentur ad votum castitatis, nisi post completum annum 14. obligationem voti velint, & ratam habeant.

26. *Quæst. 2.* Quænam sint necessaria, ut quis licite ordinetur? R. præter dicta ad valorem Ordinis necessaria, requiritur de præcepto 1. confirmatio ex Trid. Sess. 23. c. 4. Ref. 2. ut ordinandus sit tonsura initiatus, ex eodem Trid. 3. ætas legitima, quæ unicuique Ordini præfixa est ab Ecclesia. Nimirum ut nemo tonsura initiatur ante completum septenium ex c. *nullus*; alias Episcopus suspenditur per an-

num ab ejus collatione, nisi initiatus religionem ingrediatur, ut ait Toletus. Circa alios minores Ordines ætas præfixa non est, sed relinquatur Episcopi arbitrio, ut post septennium eos conferat illis, qui linguam latinam intelligant. Subdiaconatus requirit annum 22. Diaconatus 23. Presbyteratus 25. sed isti possunt esse tantum inchoati. Ad Episcopatum requiruntur anni 30. atque idem dicitur de Cardinalitia dignitate, quamvis ex concessione Sixti V. Cardinales Diaconi possint annorum 22. Beneficium ex Tridentino postulat annos 22., nisi Curatum sit, quod nequit conferi ante 25. inchoatum. Canonicatus in Cathedralibus requirit annos 22. inchoatos secundum Tridentinum; in Collegiatis sufficit annus 14. cum nihil de ipso sit in jure statutum. Ubi notari oportet, eum, qui ante legitimam ætatem sciens ordinatur, subjacere ipso facto perpetui suspensioni ab exercicio sui ordinis.

27. Servanda quoque sunt temporis interstitia ex decreto Trid. Sess. 23. c. 11. Quantum temporis intervallum intercedere debeat inter unum, & alterum Minorem Ordinem, non definit Tridentinum; & potest in hoc Episcopus justa de causa dispensare. A minoribus autem Ordinibus ad Subdiaconatum nemo ascendere debet, nisi post intervallum unius anni, nisi aliud exposcat iudicio Episcopi necessitas Ecclesie, vel utilitas. A Subdiaconatu ad Diaconatum requiritur spatium anni, nisi aliud Episcopo videatur. Idem saltem requiritur intervallum, ut Diaconus Sacerdotio initiatur, nisi ob Ecclesie

piens autem cum censura manet ab Ordine suscepto suspensus.

#### CAPUT IV.

*De iis, quæ in Ordinando requiruntur.*

25. *Quæst. 1.* Quænam requiruntur, ut quis valide ordinetur? R. ut sit mas, & baptizatus, & non invitus. Hinc feminae sunt Ordinis omnino incapaces, ut constat ex c. *Nova de pæn. & tem. 2.* Hermaphroditi, nisi in eis prævaleat sexus virilis. 3. non baptizati, ex c. *veniens de præbyt. 4.* qui omnino invitus, & coactus ordinatur, non recipit characterem, secus si metu etiam injusto & gravi coactus ordinetur, tunc enim recipit characterem, cum habuerit voluntatem accipiendi Ordinem. Sed si metus fuit gravis, & injustus, non tenetur uti Ordine sacro, & potest uxorem ducere. Valide quoque ordinantur infantes, amentes, & pueri carentes usu rationis, sed non tenentur ad votum castitatis, nisi post completum annum 14. obligationem voti velint, & ratam habeant.

26. *Quæst. 2.* Quænam sint necessaria, ut quis licite ordinetur? R. præter dicta ad valorem Ordinis necessaria, requiritur de præcepto 1. confirmatio ex Trid. Sess. 23. c. 4. Ref. 2. ut ordinandus sit tonsura initiatus, ex eodem Trid. 3. ætas legitima, quæ unicuique Ordini præfixa est ab Ecclesia. Nimirum ut nemo tonsura initietur ante completum septenium ex c. *nullus*; alias Episcopus suspenditur per an-

num ab ejus collatione, nisi initiatus religionem ingrediatur, ut ait Toletus. Circa alios minores Ordines ætas præfixa non est, sed relinquatur Episcopi arbitrio, ut post septennium eos conferat illis, qui linguam latinam intelligant. Subdiaconatus requirit annum 22. Diaconatus 23. Presbyteratus 25. sed isti possunt esse tantum inchoati. Ad Episcopatum requiruntur anni 30. atque idem dicitur de Cardinalitia dignitate, quamvis ex concessione Sixti V. Cardinales Diaconi possint annorum 22. Beneficium ex Tridentino postulat annos 22., nisi Curatum sit, quod nequit conferi ante 25. inchoatum. Canonicatus in Cathedralibus requirit annos 22. inchoatos secundum Tridentinum; in Collegiatis sufficit annus 14. cum nihil de ipso sit in jure statutum. Ubi notari oportet, eum, qui ante legitimam ætatem sciens ordinatur, subjacere ipso facto perpetui suspensioni ab exercicio sui ordinis.

27. Servanda quoque sunt temporis interstitia ex decreto Trid. Sess. 23. c. 11. Quantum temporis intervallum intercedere debeat inter unum, & alterum Minorem Ordinem, non definit Tridentinum; & potest in hoc Episcopus justa de causa dispensare. A minoribus autem Ordinibus ad Subdiaconatum nemo ascendere debet, nisi post intervallum unius anni, nisi aliud exposcat iudicio Episcopi necessitas Ecclesie, vel utilitas. A Subdiaconatu ad Diaconatum requiritur spatium anni, nisi aliud Episcopo videatur. Idem saltem requiritur intervallum, ut Diaconus Sacerdotio initietur, nisi ob Ecclesie

utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videtur. Qui autem una, eademque die duos ex Sacris Ordinibus susciperet, non solum graviter peccaret, sed etiam subiret suspensionem, & irregularitatem. Minores Ordines possunt conferri in quolibet die festo; majores, nisi adsit dispensatio solum in quatuor temporibus, Sabato Sancto, & Passionis: Prima tonsura, quolibet die, & loco.

28. *Quaest. 3.* Quænam præterea requiruntur ex parte Ordinandi? R. præter dicta, ut licita sit ordinatio, necessaria est in eo immunitas ab irregularitate, & censura. 2. status gratiæ. 3. animus clericandi ex Trid. Sess. 23. c. 4. Unde nequit a gravi culpa excusari, qui sine animo sequendi statum clericalem suscipit minores Ordines, solum ex animo effugiendi iudicii sæcularis. 4. scientia eorum, quæ ad ministrandum unumquemque Ordines sunt necessaria. 5. vocatio Divina, sine qua suscipiens Sacros Ordines se exponit gravissimo periculo æternæ damnationis, ut SS. PP. passim ex S. litteris ostendunt; præsertim Chrysostomus, Anselmus, Bernardus, quibus accedit D. Thomas 2. 3. q. 18. a. 1. Tandem probitas vitæ, de qua loquens Tridentinum Sess. 23. c. 12. ait: *Sciant Episcopi, debere ad hos Ordines assumi dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit juxta illud Sap. 4. 9. Ætas senectutis vita immaculata.*

29. Præcipit quoque Episcopis Synodus Tridentina, ut neminem ad Sacros Ordines promoveant absque sufficienti titulo sustentationis, sive patrimonii, sive beneficii, sive paupertatis

Religiøsæ; alioquin ipse Episcopus tenetur ei suppeditare ad victum necessaria. Tenetur quoque Episcopus examinare vel per se, vel per alium omnes Ordinibus initiandos, nisi aliunde ipsi constet esse idoneos.

30. *Quaest. 4.* Quænam sunt præcipua officia eorum, qui Sacros Ordines suscipiunt? R. quatuor: horas canonicas quotidie recitare; servare cœlibatum; deferre habitum, & tonsuram; propria Ordinis suis ministeria exercere. De obligatione cœlibatus, & de titulis Ordinandi late agit auctor noster in hoc loco, nec non de obligatione tonsuram, ac vestem Clericalem deferendi. Duo a nobis tantum notanda sunt. 1. eum qui ab Episcopo ter admonitus, nolit uti veste Clericali, ac tonsura, amittere privilegium fori, & Canonis. 2. Presbyterum in ordinatione sua promittere obedientiam Episcopo, scilicet in iis, quæ muneris sui propria sint, atque etiam ex vi hujus legis teneri a servicio Ecclesiæ suæ non discedere sine licentia Episcopi, ut ait Bened. XIV. nisi velit ad Monasterium transire; nam tunc etiam repugnante Episcopo, potest libere discedere, ut statuit Urbanus II. Potest vero Episcopus Clericum suum, etiam post professionem, ad Ecclesiam suam revocare, si ex ejus absentia gravem Ecclesia jacturam pateretur. V. Constit. Bened. XIV. datam 14 Jan. 1747. cujus initium est; *ex quo dilectus.*



utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videtur. Qui autem una, eademque die duos ex Sacris Ordinibus susciperet, non solum graviter peccaret, sed etiam subiret suspensionem, & irregularitatem. Minores Ordines possunt conferri in quolibet die festo; majores, nisi adsit dispensatio solum in quatuor temporibus, Sabato Sancto, & Passionis: Prima tonsura, quolibet die, & loco.

28. *Quaest. 3.* Quænam præterea requiruntur ex parte Ordinandi? R. præter dicta, ut licita sit ordinatio, necessaria est in eo immunitas ab irregularitate, & censura. 2. status gratiæ. 3. animus clericandi ex Trid. Sess. 23. c. 4. Unde nequit a gravi culpa excusari, qui sine animo sequendi statum clericalem suscipit minores Ordines, solum ex animo effugiendi iudicii sæcularis. 4. scientia eorum, quæ ad ministrandum unumquemque Ordines sunt necessaria. 5. vocatio Divina, sine qua suscipiens Sacros Ordines se exponit gravissimo periculo æternæ damnationis, ut SS. PP. passim ex S. litteris ostendunt; præsertim Chrysostomus, Anselmus, Bernardus, quibus accedit D. Thomas 2. 3. q. 18. a. 1. Tandem probitas vitæ, de qua loquens Tridentinum Sess. 23. c. 12. ait: *Sciant Episcopi, debere ad hos Ordines assumi dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit juxta illud Sap. 4. 9. Ætas senectutis vita immaculata.*

29. Præcipit quoque Episcopis Synodus Tridentina, ut neminem ad Sacros Ordines promoveant absque sufficienti titulo sustentationis, sive patrimonii, sive beneficii, sive paupertatis

Religiøsæ; alioquin ipse Episcopus tenetur ei suppeditare ad victum necessaria. Tenetur quoque Episcopus examinare vel per se, vel per alium omnes Ordinibus initiandos, nisi aliunde ipsi constet esse idoneos.

30. *Quaest. 4.* Quænam sunt præcipua officia eorum, qui Sacros Ordines suscipiunt? R. quatuor: horas canonicas quotidie recitare; servare cœlibatum; deferre habitum, & tonsuram; propria Ordinis suis ministeria exercere. De obligatione cœlibatus, & de titulis Ordinandi late agit auctor noster in hoc loco, nec non de obligatione tonsuram, ac vestem Clericalem deferendi. Duo a nobis tantum notanda sunt. 1. eum qui ab Episcopo ter admonitus, nolit uti veste Clericali, ac tonsura, amittere privilegium fori, & Canonis. 2. Presbyterum in ordinatione sua promittere obedientiam Episcopo, scilicet in iis, quæ muneris sui propria sint, atque etiam ex vi hujus legis teneri a servicio Ecclesiæ suæ non discedere sine licentia Episcopi, ut ait Bened. XIV. nisi velit ad Monasterium transire; nam tunc etiam repugnante Episcopo, potest libere discedere, ut statuit Urbanus II. Potest vero Episcopus Clericum suum, etiam post professionem, ad Ecclesiam suam revocare, si ex ejus absentia gravem Ecclesia jacturam pateretur. V. Constit. Bened. XIV. datam 14 Jan. 1747. cujus initium est; *ex quo dilectus.*

## TRACTATUS VI.

## DE SACRAMENTO MATRIMONII.

## CAPUT I.

*De Sponsalibus.*

1. *Quest. 1.* Quid sunt sponsalia? R. sunt promissio voluntaria, deliberata, & mutua, signo sensibili expressa, futuri matrimonii inter personas jure habiles. Dicitur 1. *promissio*, quia propositum non sufficit; cum non inducat obligationem. 2. *voluntaria*, ac *deliberata*, scilicet deliberatione sufficiente ad peccatum mortale; unde valida non sunt ante completum septennium, nisi constet aetatem a malitia suppleri; imo etsi id constet, multi docent non valere contractum, cum Jus Canonicum definierit aetatem c. 4. & 5: *de sponsal. impub.* Nec valeant, si contracta sint cum vi, dolo, errore, vel ignorantia circa substantiam, aut conditionem substantialem juxta dicta de voto, & contractibus. 3. *promissio debet esse mutua*, cum in quovis contractu oneroso nemo censeatur velle sese obligare, nisi alter simul repromittat. Requiritur etiam aliud externum signum, cum sit contractus humanus. Denique ut personæ sint habiles, nullo impedimento irretitæ.

2. *Quest. 2.* An teneatur matrimonium contrahere, qui fictè promisit sponsalia alteri vere repromittenti? R. 1. Si fictè promisit sine ani-

mo contrahendi, certe non tenetur stare promissis; nullus est enim contractus, ubi desit contrahendi voluntas. R. 2. Si cum animo contrahendi, sed absque animo sese obligandi, multi satis probabiliter docent teneri ad matrimonium; quia in ipsa promissione, quando est vera, necessario est insita obligatio ipsi conveniens. Cum ergo quis minime vult promittere, minime quidem obligatur; sed cum re vera promittit non potest nolle obligari juxta conditionem contractus, nec potest a promissione obligationem ipsi propriam separare. Ita Sotus, Vazq. Pontius, alii. Mihi tamen videtur probabilior sententia negans ullam esse obligationem contrahendi matrimonii. Ratio præcipua est, quia omnis obligatio, quæ non oritur ex lege, pendet a privata hominis voluntate: ubi ergo deest voluntas se obligandi, deficit obligatio. Et hoc habet locum, etiamsi promissio fuerit juramento firmata, cum juramentum sequatur naturam promissionis, ut ex D. Thoma docet Sanctius cum S. Bonav. Antonio, & aliis. Nec obstat ratio superius adducta ab Adversariis. Esto enim fictè promittens peccarit contra justitiam, alteram partem decipiendo, non tenebatur tamen ex justitia ponere verum consensum, cum nulla ei esset obligatio contractum ineundi; & contra, alter nullum jus acquisierit in eum ex suo consensu. Unde tenetur quidem ratione deceptionis damna resarcire, sed non tenetur ratione promissionis verum consensum ponere, & matrimonium contrahere. Aliter tamen sentiendum est de eo, qui sub ficta promissione matrimonii puellam viola-

verit, cum non possit alia via illatum ei damnum resarcire. R. 3. qui promisit matrimonium cum animo sese obligandi ad contractum, sed sine animo adimplendi promissa, eum absque ulla dubitatione teneri, cum obligationem contraxerit.

3. *Quest. 3.* An irrita sint sponsalia, contracta per dolum dantem causam contractui, etsi versantem circa qualitatem tantum? R. juxta dicta de contractibus probabilius esse contractum non irritare; sed eum, qui deceptus est, habere actionem irritandi contractum. Imo satis probabile est deceptum non obligari in consuetudine ad standum contractui si error talis fuerit, ut vincii nullo modo potuerit. Layman, Viva, Sporer, alii.

4. *Quest. 4.* An dum quis acceptat promissionem matrimonii, jam tum intelligatur & ipse vicissim promittere? Affirmant multi cum S. Antonino, quia sponsalia sequuntur naturam matrimonii. Sicut ergo acceptatio matrimonii de presentia includit in se repromissionem, cum valere illud nequeat, nisi utraque pars obligetur; haud secus non valet promissio unius de futuro matrimonio, nisi alter repromittat: unde neuter manet obligatus, nisi maneat uterque. Ita illi probabiliter, sed alii probabilius negant acceptationem includere repromissionem, cum possit quis acceptare obligationem alterius, quin velit se ipsum obligare. Quod intellectum volunt, si certum sit promittentem voluisse se obligare independenter a promissione alterius, quod praesumi non debet. In qua hypotesi promittens

obligaretur ex virtute fidelitatis, non vero sponsalium, quæ quidem non essent. An autem possint quis se obligare ad contrahendum matrimonium vi gratuita promissionis, libera remanente altera parte; alii negant, alii ajunt, sed in praxi vix eveniet, ut sponsi intendant sese obligare sine animo alterum reciproce obligandi, ut Sporer animadvertit.

5. *Quest. 5.* An valeat sponsalia, quæ Parentes contrahunt coram filiis tacentibus, nec contradicentibus? R. affirm. ex c. un. §. 1. de desp. impub. ubi Bonifacius VIII. declaravit: porro ex sponsalibus, quæ parentes pro illis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, ut si presentes fuerint, nec contradixerint, obligantur. Idemque dicendum, si mater contrahat, cum nomine parentum mater perinde ac pater intelligatur. Sed non ita dicendum de curatoribus, & tutoribus, ut communis est opinio contra paucos alios. Quamvis autem in foro externo valida sint sponsalia contracta a parentibus coram filiis tacentibus, nec repugnantibus; sed in foro interno præter silentium ipsorum requiritur internus consensus, aliter nulla est obligatio. Atque in utroque erunt invalida, si alius præter parentes contrahat, filiis solum tacentibus; illa enim juris regula: qui tacet, consentire videtur (43. in 6.) solum habet locum in iis, quæ non sunt onerosa; nam in rebus obligationem inducentibus, & maxime in sponsalibus contrarium potius præsumi debet. Ita communiter TT. ex S. Th. in 4. d. 27. q. 1. a. 2. Quod

si parentes contrahunt sponsalia pro filiis absentibus, & hi certiores facti per nuntium, vel epistolam ab ipsis parentibus, non contradicant, valida censentur sponsalia a TT. multis cum D. Th. quamvis alii non ignobiles requirant præter silentium aliud speciale signum, sive tacitum sive expressum.

6. *Quest. 6.* Quænam signa sufficiant ad valorem sponsalium? R. sufficiunt verba, vel alia externa signa, quæ attentis circumstantiis exprimant utriusque liberum consensum in futurum matrimonium. Itaque cum dubia sunt verba, in foro interno standum est menti contrahentium, si de illa constet; in externo autem communi; & obvio sensui verborum, & adjectis circumstantiis. Verba de præsentibus inter impuberes, alioquin apta ad matrimonium, cum ex jure nullum reddant matrimonium, valent tamen ad sponsalia; ea enim mens intelligitur esse contrahentium, ut vim habeant, quam habere possunt; proindeque valent ad sponsalia, nisi impubes interius dissentiat. An autem idem valeat inter puberes, si clandestinum contrahere intendant, dubitant aliqui. Affirmant Laymanus, Vega, & alii, sed repugnat communis sententia, cui favet S. C. Cardinalium. Ratio est, quia nulla oriri potest obligatio ex actu, qui sit nullus non quidem ex parte contrahentium, sed ratione sui ipsius, & a jure infirmatur, ut bonis moribus contrarius. Talis autem declaratur a Trid. actus clandestini Matrimonii, & insuper personæ fiunt inhabiles ad ita contrahendum.

7. Non sufficit ad sponsalia dicere, v. g. non ducam aliam præter te, nisi ex circumstantiis colligatur sic loquentem voluisse contrahere sponsalia. Contrahit certe, qui expresse dicat: ducam te in uxorem, alio acceptante. Quid vero si quis dicat: ducam te, si Papa dispensaverit? Negant aliqui, per ea verba quemquam obligari ad contrahendum; probabilius tamen alii affirmant impleta conditione esse valida sponsalia. Interim autem licet non valeant ad inducendum impedimentum publicæ honestitatis, obligant tamen ad petendam dispensationem, si dispensari in eo soleat; secus si aut nunquam, aut raro soleat dispensari, juxta dicta T. 1. lib. 3. pag. 284.

8. Missio annuli, & munerum jocalium, ubi ferat consuetudo, si alter recipiat, vices gerit sponsalium: secus vero ubi ex more patrio non significet sponsalia. Quod si parentes annulum mittant ad sponsam, non præsumitur filium contraxisse, nisi ipso consentiente missus fuerit. Denique in aliquibus locis sponsalia fieri solent coram Parocho, & testibus, quamvis rata sint, & valida, si fiant absque præsentia Parochi, cum a jure non exigatur.

9. *Quest. 7.* Utrum sponsalia per metum gravem injustum contracta sint ipso jure invalida? R. multi, & graves Theologi affirmant, probantque ex c. ex litteris de desponsat. impub. ubi Pontifex liberam esse declaravit ab sponsalibus puellam, quæ ita contraxisset, & quidem juramento, nolens tamen & invita, minis parentum impulsæ in domum sponsi fuit adducta. Alii

probabiliter id negant, cum solum matrimonium sit ipso jure irritum, si per metum fiat, sed non alii contractus. Utraque sententia est probabilis; sed prima mihi videtur probabilior; tum quia connexorum idem esse debet iudicium ex c. *translato de Const.* quare sicut nullum est matrimonium ex metu extortum, ita & nulla debent esse sponsalia; tum quia diversa est ratio de sponsalibus, & de ceteris contractibus; nam hi cum per se non sint nulli, nec eis jus resistat, nihil obstat, quo minus metum passus, nisi velit contractum rescindere, maneat obstrictus ad illum exequendum. At nemo potest obligari ad matrimonium durante metu contrahendum cum sit ipso jure irritum; atque adeo neque ad media, seu dispositiones illius, qualia sunt sponsalia. Hæc quidem de metu gravi, sed injuste incusso; non ita de justo, qui hominem non reddit cum ratione invitum.

10. Idem dico de metu levi, licet injusto, qui non infirmat contractum, etiamsi contractui causam dederit, ut probabilior tenet sententia contra Navarrum, & alios; nam cum facile repeli ab eo possit; non censetur invitum eum sustulisse, qui non repulit. Potest vero iis, qui ullum est passus, illum rescindere, ut fert communis opinio TT. & qui intullit, ad rescindendum tenetur; si ille dedit causam contractui.

Quod potiori jure locum habet, si metus in se levis ab eo, qui patitur, gravis forte iudicetur.

11. *Quæst. 8.* Quænam sit obligatio sponsalium? R. 1. obligant sub gravi ad ineundum Matrimonium, ut patet ex c. *litteris de sponsal.*

Est enim contractus mutuus, & onerosus in re quidem gravi. 2. obligant ad ipsum contrahendum tempore præfinito. Quod si nullum tempus per sponsos, vel consuetudinem sit stabilitum, contrahi debet matrimonium, cum altera pars requirat, nisi justa sit causa differendi. Quid vero si taceat, nec exigat? nunquid alter tenetur matrimonium inire, cum commode possit? R. si taciturnitatis oriatur ex timore, verecundia, vel oblivione, ut in femina evenire potest, sponsus, cum commode possit tenetur contrahere; quod si, cum sit opportunità exigendi, altera pars non exigat, videtur tacite consentire dilationi. Atque ita conciliantur sententiæ, quæ videntur inter se contrariæ.

12. *Quæst. 9.* An resiliens possint a iudice compelli? R. nemo dubitat injuste resilientem graviter peccare; sed ut plurimum non oportet, ut iudex invitum cogat ad matrimonium, cum ex eo raro non timeatur pravus exitus. Potest tamen justis de causis eum compellere etiam censuris Ecclesiasticis, ut constat ex c. *ex litteris de sponsal.* ubi dicitur: *Ecclesiastica censura compellas, nisi rationabilis causa obstiterit.* Quod si iudex secundum allegata, & probata cogat ad matrimonium, illud erit validum, etiamsi forte coactio sit injusta.

13. *Quæst. 10.* An valeant sponsalia contra priorem fidem inita? R. Si secunda sponsa constia fuerit priorum sponsalium, profecto nulla sunt secunda, etiamsi juramento firmentur, quia tunc ipsa non fuit decepta, sed voluit sponte decipi. Idem dico, si secunda ignara contra-

xit, sed absque copula, cum sit promissio de re illicita contra fidem alteri datam. Quid vero si sponsus cum secunda copulam habuerit? R. Sunt, qui dicant sponsum teneri ad contrahendum cum secunda; quia hæc per corporis sui traditionem jus acquirit ad matrimonium, præsertim cum ante Tridentinum sponsalia transierint in matrimonium per copulam affectu maritali habitam. Accedit, quod dum agit unus de lucro acquirendo, alter de damno vitando, huic potius favendum est, quam primo. Hæc quidem DD. aliqui satis probabiliter; sed alii communiter, & magis probabiliter docent promissionem secundam, etiam copula firmatam, esse omnino nullam, cum fit de re illicita; nec injuria illata secundæ jus admittit priori sponsæ. Idque verum esse, ait Holzman cum aliis, etiamsi secunda promissio firmata sit juramento, quia hoc nequit esse vinculum iniquitatis. Per copulam autem quæ vera esset fornicatio, jus nullum acquiritur contra fidem præstitam; neque hic agitur de contractu lucrativo, sed oneroso, cum sit ultro, citroque obligans. Sentiunt tamen Sporer, Sanctius, & alii, priorem sponsam ex lege quadam æquitatis, teneri cedere juri suo, ne altera grave detrimentum patiatur, adeoque sponsum posse a iudice compelli, ut secundam ducat, quam violavit. Sed negant probabiliter Holzman, & alii, sponsam obligatam esse ad cedendum juri suo, cum secunda suo crimini imputare debeat, quod tale damnum patiatur.

14. *Quæst. 11.* An valeant, & liceant filiorum sponsalia, & matrimonia contra parentum

voluntatem? R. 1. matrimonia esse valida, definit Trid. Sess. 24. c. 1. de refor. contra Lutherum, Bucerum, & alios, qui falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse. Atque idem docent Theologi communiter de sponsalibus; textus enim in l. 1. §. 2. de sponsal. requirens ad sponsalia consensum parentum, prohibet illa quidem fieri invitatis parentibus, sed illa non infirmat. Ubi autem leges civiles prohibent matrimonia a filiis, vel servis, invitatis dominis, vel parentibus contracta, intelligendum est, ea solum esse irrita quoad effectus civiles, ut de Galia declaravit Ludov. XIII. & habetur in actis Cleri Gallicani. Idem de Hisp. pronuntiavit Carolus III. an. 1776.

15. R. 2. Filiis non licere, invitatis parentibus, matrimonium contrahere, nisi parentes rogati veniam injuste denegent. Ita conciliantur variæ Theologorum opiniones in hac materia. Prima pars constat ex Trid. c. 1. Sess. 24. testante, ea matrimonia semper Ecclesiam Dei fuisse detestatam: & ex lege civili lib. 2. de ritu nup. ubi dicitur: *si filii sint, consensum habeant parentum, nam hoc fieri debere, & civilis, & naturalis ratio suadet*; tum quia id exigit honor, & reverentia parentibus debita; tum quia ex nuptiis contra ipsorum voluntatem initis gravia orirentur incommoda, & scandala. Quod autem possint filii sine peccato matrimonio conjungi, si parentes injuste veniam negent, docet D. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 5; quia cum per matrimonium homo perpetuæ servituti obli-

getur, jus naturæ postulat, ut in eo contrahendo integra libertate fruatur. Idem eodem jure intellectum volo de sponsalibus.

## CAPUT II.

## De dissolutione sponsalium.

16. Quæst. 1. Quibusdam de causis dissolvuntur sponsalia? R. dissolvuntur 1. per matrimonium validum cum alia initum, saltem eo tempore, quo durat matrimonium. An autem mortuo conjugè, reviviscat obligatio sponsalium, disputatur a TT. Certum est, eum, qui non contraxit, manere liberum; cum ille, qui contraxerit, cesserit juri suo ad matrimonium cum priore sponsa. Verum is, qui contraxit, mortua conjugè, probabiliter tenetur ad priora sponsalia, cum nullo jure sint irrita, licet suspendantur, ut accidit in eo, qui votum Religionis emisserit, ad quod tenetur conjugè mortua. Sed alii id negant de matrimonio, quod vinculum est perpetuum, & ejusdem rationis, ac sponsalia.

17. Dissolvuntur 2. per mutuum utriusque consensum, & quidem etiamsi fuerint juramento roborata; juramentum enim in utilitatem alterius imbibit hanc conditionem, si alter acceptet, vel non remittat. Quod si una pars tantum consentiat dissolutioni sponsalium, non solvuntur absolute, sed tantum datur jus resiliendi alteri parti, ut docent Salmant. cum communi DD. sponsalia vero facta inter impuberes non solvuntur,

donec annos attigerint pubertatis. Tunc enim quæque pars potest reclamare coram iudice, vel testibus, atque ita resilire; verum si id statim non faciat sciens prudens, censetur consentire. Constat ex c. de despons. impub. Ille autem statim reclamasse dicitur, qui intra triduum reclamet; sed non sufficit internus dissensus, nisi exterius manifestetur. Quid vero si impuberes sponsalia juramento firmaverit? Eos, invita altera parte, non posse resilire, censent Roncaglia, Aversa, & alii; id tamen adhuc eis concedi, affirmant Pontius, Viva, Concina.

18. Solvuntur 5. sponsalia, si superveniat impedimentum dirimens matrimonium. Certe ex parte innocentis ita dissolvuntur, ut iste non teneatur petere dispensationem. An autem etiam solvantur ex parte nocentis, non ita certum est, imo probabilius existimo solum remanere suspensa, donec tollatur impedimentum; æquum enim non est, ut reus ex suo crimine commodum reportet. Quod si impedimentum sponsalibus contractis adveniens non sit dirimens, sed tantum impediens, non dissolvit sponsalia, nisi oriatur ex voto religionis, & valde probabiliter etiam castitatis.

19. Dissolvuntur 4. per crimen atrox alterius, sed non nisi ex parte innocentis: censetur autem crimen atrox fornicatio, sive spiritualis, ut heresis, sive corporea tam sponsi, quam sponsæ, habita post sponsalia. Quod si fornicatio sponsæ sponsalia præcesserit, potest vir, ea cognita, resilire, etiamsi ipsa invita vim passa fuerit, ut communius docent DD. cum S. An-

getur, jus naturæ postulat, ut in eo contrahendo integra libertate fruatur. Idem eodem jure intellectum volo de sponsalibus.

## CAPUT II.

## De dissolutione sponsalium.

16. Quæst. 1. Quibusdam de causis dissolvuntur sponsalia? R. dissolvuntur 1. per matrimonium validum cum alia initum, saltem eo tempore, quo durat matrimonium. An autem mortuo conjugè, reviviscat obligatio sponsalium, disputatur a TT. Certum est, eum, qui non contraxit, manere liberum; cum ille, qui contraxerit, cesserit juri suo ad matrimonium cum priore sponsa. Verum is, qui contraxit, mortua conjugè, probabiliter tenetur ad priora sponsalia, cum nullo jure sint irrita, licet suspendantur, ut accidit in eo, qui votum Religionis emisserit, ad quod tenetur conjugè mortua. Sed alii id negant de matrimonio, quod vinculum est perpetuum, & ejusdem rationis, ac sponsalia.

17. Dissolvuntur 2. per mutuum utriusque consensum, & quidem etiamsi fuerint juramento roborata; juramentum enim in utilitatem alterius imbibit hanc conditionem, si alter acceptet, vel non remittat. Quod si una pars tantum consentiat dissolutioni sponsalium, non solvuntur absolute, sed tantum datur jus resiliendi alteri parti, ut docent Salmant. cum communi DD. sponsalia vero facta inter impuberes non solvuntur,

donec annos attigerint pubertatis. Tunc enim quæque pars potest reclamare coram iudice, vel testibus, atque ita resilire; verum si id statim non faciat sciens prudens, censetur consentire. Constat ex c. de despons. impub. Ille autem statim reclamasse dicitur, qui intra triduum reclamet; sed non sufficit internus dissensus, nisi exterius manifestetur. Quid vero si impuberes sponsalia juramento firmaverit? Eos, invita altera parte, non posse resilire, censent Roncaglia, Aversa, & alii; id tamen adhuc eis concedi, affirmant Pontius, Viva, Concina.

18. Solvuntur 5. sponsalia, si superveniat impedimentum dirimens matrimonium. Certe ex parte innocentis ita dissolvuntur, ut iste non teneatur petere dispensationem. An autem etiam solvantur ex parte nocentis, non ita certum est, imo probabilius existimo solum remanere suspensa, donec tollatur impedimentum; æquum enim non est, ut reus ex suo crimine commodum reportet. Quod si impedimentum sponsalibus contractis adveniens non sit dirimens, sed tantum impediens, non dissolvit sponsalia, nisi oriatur ex voto religionis, & valde probabiliter etiam castitatis.

19. Dissolvuntur 4. per crimen atrox alterius, sed non nisi ex parte innocentis: censetur autem crimen atrox fornicatio, sive spiritualis, ut hæresis, sive corporea tam sponsi, quam sponsæ, habita post sponsalia. Quod si fornicatio sponsæ sponsalia præcesserit, potest vir, ea cognita, resilire, etiamsi ipsa invita vim passa fuerit, ut communius docent DD. cum S. An-



tonino. Contra vero sponsa nequit rescindere sponsalia propter fornicationem viri quæ præcesserit, nisi ex alia femina prolem genuerit, vel huic vitio noscatur valde fuisse deditum. Quod si uterque sponsus post sponsalia fornicetur, neutri licet resilire juxta aliquos TT. sed alii probabilius existimant id soli viro licere, cum dispar sit utriusque ratio, & dispar damnum. Quoad alias actiones impudicas attinet, illæ si a sponsa permittantur quoad alium, poterit sponsus resilire, sed non vice versa, nisi adeo sint frequentes in sponso, ut merito timeri possit eum sponsæ fidem non servaturum.

20. *Quest. 2.* Qualis mutatio sufficiat, ut alter sponsus possit a sponsalibus resilire? R. mutatio gravis, & notabilis, quæ si ab initio cognita fuisset, a sponsalibus deteruisset. Hujusmodi est 1. inimicitia, vel odium grave inter sponsos, quo refertur morum asperitas, vel sævitia post sponsalia primum cognita; item justus timor futuri scandali, vel rixarum inter parentes, vel consanguineos. 2. specialis deformitas, vel infirmitas in alterutro, v. g. paralyssis, morbus venereus, mutilatio, cet. Vel talis defectus, qui reddat sponsum ineptum ad officium exercendum, quo familia sustentari possit. Quod si vitium sit occultum, & graviter perniciosum, sponsus eo laborans tenetur illud detegere ante sponsalia, & contractis sponsalibus, ante matrimonium. 3. si magna alterius debita detegantur, vel grave sit periculum famæ, morbi, fortune, paupertatis cet.

21. Hinc censetur gravis mutatio, si sponsa dotem afferre nequeat, si filius a Patre timeatur exhæredandus; si quæ virgo habebatur, postea corrupta detegatur; quamvis ipsa non teneatur vitium occultum manifestare, ut communis fert opinio TT.: si alter sine alterius venia proficiscitur in terras longinquas; quia censetur renunciare juri suo, ut constat ex c. de illis 5. de sponsal. Non vero si discessit in propinquum locum cum animo redeundi, quamvis nisi post multum tempus ex causa necessaria non redeat. Verum si absentia sit diuturna, & ille requisitus non accedat ad matrimonium contrahendum intra certum tempus, sponsa libera remanebit, ut docet Bened. XIV. Not. 46. ex declar. S. C. 1723. Quod si terminus sit præfixus non solum ad sollicitandam obligationem, sed etiam ad finiendam, elapso termino, innocens potest omnino resilire. An etiam id possit is, qui per culpam distulit, dubitatur. Negat communior sententia, alii tamen affirmant cum D. Th. in 4. d. 27. q. 2. a. 3.

22. *Quest. 3.* Quo modo solvantur sponsalia per professionem Religiosam, & votum castitatis? R. 1. certum est ea omnino dissolvi, quamvis jurata fuerint, per solemnem professionem in Ordine adprobato. An autem dissolvantur etiam per solum ingressum alterius sponsi in Religionem, magna est controversia. Relictis aliorum opinionibus, probabilius existimo ea dissolvi tantum ex parte manentis in sæculo, sed non ex parte ingredientis, si postea ad sæculum redeat. Ratio primi est, quia

ingrediens censetur renunciare juri suo, & aliunde in eo mutatio gravis accidit, si religionem deserat, quod ut plurimum dedecori habetur. Ratio est autem secundi, eo quod per ingressum non redditur quisquam inhabilis ad matrimonium, sicut redderetur per professionem. Non tenetur autem ingrediens Religionem stare juramento de promissione matrimonii, cum hoc censeatur emissum de contrahendo, nisi status perfectior eligatur. Quod intellego, nisi matrimonium esset necessarium ad legiendam prolem, scandalum reparandum, vel honori sponsæ providendum.

23. R. 2. Per susceptionem Ordinis Sacri dissolvuntur sponsalia, non autem matrimonium ratum. Ita omnes; & constat ex *Extrav. antiq. de voto*. Utrum vero peccaret is, qui inscia, vel invita sponsa Sacros Ordines susciperet, affirmant aliqui, alii negant, utriusque valde probabiliter. Quod attinet ad Minores Ordines, eos dissolvere sponsalia ex parte sponsæ, censent Roncaglia, Sporer, alique, cum per eos videatur sponsus cedere juri suo ad matrimonium, statum amplectendo, qui ordinatur ad Sacros Ordines matrimonio repugnantes. Sed opinio verior, & communior id negat, cum revera status Minorum Ordinum consistere possit cum matrimonio, ut constat ex *c. 1. de Cler. Conjugatis*.

24. R. 3. Per votum simplex Castitatis, vel suscipiendi Ordinis Sacri non dissolvi sponsalia prius contracta, etiam ex parte voventis, docent multi cum S. Antonino, Navarro, To-

leto, & aliis; eo quod Deo accepta esse nequeat promissio rei alteri debita, vel promissæ. Verum contraria sententia est quoque probabilissima, eamque tuetur D. Th. in *Suppl. q. 53. ar. 11.* dicens: *per votum simplex sunt sponsalia dirimenda*; neque enim aliter censetur facta promissio matrimonii nisi sub tacta conditione: *quandiu melior status non eligatur*. Affertur autem decretum S. C. Concilii 5. Martii 1701. declarantis, votum castitatis, aut suscipiendi Sacros Ordines, per electionem melioris status irritare sponsalia, etiam juramento firmata. Recte autem ait Concina, eum, qui votum eliceret, ut sponsam eluderet, scilicet animo petendi dispensationem, & alteram ducendi, graviter peccatorum, nec fore liberum ab obligatione priorum sponsalium.

25. *Quest. 4.* Quo pacto matrimonium dirimat sponsalia? R. quoad eum, qui non contraxit, dirimi quidem sponsalia, ut nemo dubitat. Quoad eum vero, qui contraxit, certum est durante matrimonio cum alia contracto, cessare sponsalium obligationem ex *c. si inter de sponsal. & ex c. 1. de spons. duor.* Quod si conjugium solvatur morte conjugis, dubitatur, an augeat obligatio priorum sponsalium? Negant multi, duce S. Bonav. eo quod obligatio semel extincta nunquam reviviscat ex *c. quaris de consecr. d. 4.* Sed mihi probabilior videtur sententia affirmans; quia nullo jure constat sponsalia omnino irritari per subsequens matrimonium; non quidem positivo, quod nulli habetur; non naturali, cum non extingua-

tur, sed suspendatur obligatio, cui sublato impedimento, possit satisfieri, ut patet in eo qui post votum Religionis matrimonium consummaret; hic enim, mortua conjuge, teneretur quidem votum adimplere.

26. *Quæst. 5.* Quando requiritur auctoritas judicis ad sponsalia dissolvenda? R. si causæ manifestæ sunt, aut omnino certæ, licet occultæ, opus non est judicis auctoritate; seculus vero, si causa sit dubia jure, vel facto. Imo etsi causa certa sit, sed occulta, ut ex dissolutione oriri possint scandala. Quod si causa probari nequeat coram iudice, saltem cum uno teste jurato, auctoritas judicis non exigitur. Cum vero defectus alterius sponsi probari quidem potest, sed est occultus, debet innocens alterum monere, & minari se coram iudice revelaturum esse culpam, nisi solutioni sponte acquiescat.

### CAPUT III.

#### De natura Matrimonii secundum se.

27. *Quæst. 1.* Quid est matrimonium? R. Matrimonium, prout commune est etiam infidelibus, est contractus legitimus, quo vir, & mulier sibi invicem corpora sua tradunt ad perpetuam vitæ societatem, usum prolis suscipiendæ, & remedium concupiscentiæ. Ante Christi adventum tantum habuit vim contractus, sed a Christo Domino fuit evectum ad rationem Sacramenti, ut definit Trid. Sess. 24. c. 1. ex

Apost. ad Eph. 5. dicente: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia; significat enim conjunctionem spirituales inter Christum, & Ecclesiam.* Hinc in matrimonio tria considerantur, nimirum ratio contractus, vinculum conjugii perpetuum, & copula carnalis. Hæc autem non est nisi effectus Matrimonii, sine quo illud potest optime consistere, ut constat de B. Virgine, & aliis Viris Sanctis, qui absque usu conjugii, imo cum voto continentiæ matrimonium contraxere.

28. *Quæst. 2.* Quænam est materia, & forma hujus Sacramenti, & quisnam ejus Minister? R. aliqui ex TT. cum Cano, Tournelyo, & aliis docent, Ministrum Matrimonii, quia Sacramentum est, esse Sacerdotem assistentem, & formam ipsius verba: *ego vos conjugo*, cet. Communis tamen sententia DD. est, ipsos contrahentes esse Ministros Sacramenti, & formam esse ipsorum verba mutuam consensum exprimentia. R. 2. materia Sacramenti juxta multos sunt ipsa verba sponsorum, vel alia externa signa consensum exprimentia. Alii vero cum S. Antonino, Bonav., Gersonio dicunt materiam remotam esse corpora contrahentium, proximam vero ipsam corporum traditionem. Convenit autem inter omnes, ad Sacramenti rationem non requiri traditionem actualem, sed sufficere voluntatem externis signis expressam, ut S. Ambrosius, & Chrys. aperte docent.

29. *Quæst. 3.* Quisnam est finis Matrimonii? R. Triplex, scilicet procreatio prolis, remedium concupiscentiæ, obsequium reciprocum:

duo priora intrinseca sunt Matrimonio, tertium est omnino extrinsecum. Ad essentiam Matrimonii opus non est hos fines intendi a contrahentibus: unde valide, sed illicite contrahit qui habet animum vitandi prolem, vel adulterandi, modo id in pactum non deducat, nec finem præcipuum positive excludat. Qui autem præcipue nubat in remedium concupiscentiæ, venialiter peccabit, inquit DD. multi cum S. Th. cum eligat finem minus præcipuum præ magis præcipuo, quod ordini naturæ adversatur. Alii non minus probabiliter excusant etiam a veniali, probantque ex Apost. 1. ad Cor. 7. propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum. Et quamvis D. Th. respondeat, id ab Apostolo dictum secundum indulgentiam, quod veniale non excludit, nec intelligi de vitanda propria, sed conjugis fornicatione; pace tamen Angelici Doctoris, ejus interpretationi non acquiesco. Placet magis explicatio D. Chrysostomi, qui ea verba intelligit de cavenda fornicatione propria, idque ex tota serie textus aperte colligitur; deinde indulgentiæ verbum non significat permissionem culpæ, sed permissionem rei licitæ. Neque ulla est inordinatio eligere finem honestum, licet minus præcipuum, modo finis primarius ad secundarium non referatur. Idem dico, si quis nubat ob alios fines honestos, v. g. ob pacem familiæ, honorem proprium, cet. si finis primarius positive non excludatur.

30. Non licet tamen nubere ob solam carnis voluptatem, vel ob cupiditatem divitiarum,

vel inanis gloriæ, aut honoris, cum non sint fines honesti. Peccant etiam; & quidem graviter contrahentes in statu peccati lethalis, etiam si per procuratorem contrahant, quia verum Sacramentum suscipiunt. Aliud est de procuratore contrahente, & de Sacerdote assistente, quia nec suscipit, nec administrat Sacramentum. Ita communiter T. Th. cum Lugo, Salamant. & aliis contra paucos alios.

31. Quæst. 4. Quænam requiruntur ad contrahendum matrimonium per Procuratorem? R. sequentia: 1. speciale mandatum, sive scripto detur, sive ore tenus, sive viro, sive femina, modo sit de contrahendo cum definita persona. 2. ut procurator per se contrahat; non enim potest ipse alium delegare sine expressa mandantis facultate. Constant hæc omnia ex c. final. de procurat. in 6. Requiritur 3. ut mandatum non sit revocatum, etiam in mente, antequam contrahatur; nec sit tacite revocatum, ut si quis dederit mandatum contrahendum cum una, & ante contractum matrimonium sponsalia inierit cum alia. 4. ut procurator ostendat mandatum parochi, & testibus, & coram eis contrahat ad formam Tridentini; non requiritur autem, ut eis tradatur mandatum ipsum Procuratoris ex parte mandantis. Quod si procurator excedat limites remandantis, negligendo condiciones a mandante requisitas, scilicet, ut contrahat sub tali dote, tempore, cet. matrimonium erit nullum; non vero, si omittat condiciones a jure requisitas, sine quibus valet per se matrimonium, quamvis non sit

licitum; ut sunt v. g. publicatio denuntiatio-  
num, facultas Episcopi, & similia.

32. Si quis mandatum dedit sine animo  
contrahendi, sed ante celebrationem illud ra-  
tum habuit, valet matrimonium; nam eo tem-  
pore, quo procurator contrahit, re vera adest  
voluntas mandantis, quod satis est ad valo-  
rem contractus: est communis opinio TT. con-  
tra paucos. Matrimonium vero per epistolam  
contrahitur, quando alter, v. g. sponsus scri-  
bit ad sponsam, sese illi tradere in maritum,  
& exinde eam in conjugem accipere, & spon-  
sa idem rescribit viro; & uterque postea epi-  
stolas legit coram paracho, & testibus. Pariter  
quando vir scribit feminae, sese illi in virum  
tradere, & ratum habere illius consensum, ex  
quo illa praestiterit eum; tunc licet femina non  
rescribat, sufficit ad matrimonium contrahen-  
dum, quod femina coram Parocho, & testi-  
bus aperiat litteras, & consensum praestet. Ita  
Navarrus, Salmant. Sanctius, alii.

33. *Quaest. 5.* Quinam consensus sufficiat  
ad contrahendum? R. requiri consensum de praesenti, sive verbo, sive scripto, sive nutibus  
expressum. Sufficit etiam ipsum exprimere per  
alium, ut parentes pro filiis, modo quo de  
sponsalibus est dictum. Sufficit etiam, si alterius  
consensui praecedenti, & non revocato pos-  
tea consensus alterius accedat. Quamvis autem  
ad valorem matrimonii non sint necessaria ver-  
ba consentientium, ut docet D. Th. & constat  
ex c. unico §. *fin. de spons.*, illa tamen esse de  
praepcepto, contendunt nonnulli, aliis repugnan-

tibus. Ego autem censeo probabilius, excusari  
non posse a veniali sponsos, qui cum possint  
verbis, solum nutibus suum consensum expri-  
munt; agunt enim contra consuetudinem Ec-  
clesiae. Sed ab ea culpa bene excusaret vere-  
cundia, aut alia justa causa.

34. Non sufficit ad valorem matrimonii do-  
natio annuli, vel traductio sponsae in domum  
sponsi; nisi hujusmodi signa ex loci consue-  
tudine vim habeant significandi consensionem.  
Sufficit autem, si viro exterius consentienti fe-  
mina manum porrigat. An autem satis sit fe-  
mina manum non retrahere a viro, manum  
porrigente? dubitari potest. Affirmant Pontius,  
Viva, sed melius alii negant cum Sanctio, nisi  
simul ore, vel alio nutu consensum exprimat.  
V. Glosam verbo *stringit*.

35. *Quaest. 9.* An sufficiat consensus con-  
ditionatus? R. 1. affirm. si conditio sit de praeterito, vel de praesenti, stante conditione, quia  
tunc contractus non suspenditur; idque etiam  
si conditio sit turpis; ut v. g. *volo te si for-  
nicata es; si odio habes inimicum meum*; tunc  
enim non verificata conditione, nullum est ma-  
trimonium, quia deficit consensus. R. 2. con-  
ditio necessaria de futuro, ut *si cras sol oria-  
tur*, aut impossibilis, v. g. *si Calum tetigeris*  
non suspendit ex se matrimonium, nisi contra-  
hens intendat differre matrimonium usque ad  
eventum necessarium. Quod attinet ad condi-  
tionem turpem de futuro, distinctione opus  
est; nam si ea sit contra substantiam matri-  
monii, v. g. bonum Sacramenti, fidei, vel pro-

lis, tunc utique nullum reddit Sacramentum; contra vero si non repugnet substantiæ matrimonii, ut *velo te, si patrem occideris*; nam consensus censetur absolutus, & conditio habetur pro non adjecta. Sed in foro interno si deficiat legitimus consensus, re vera nullum erit matrimonium. Constat ex *c. finali de condit. appos.* R. 3. conditio honesta de futuro facit quidem sponsalia, sed non matrimonium, quod exigit consensum de præsentibus. Hinc postquam conditio impletur, non valet matrimonium, nisi accedat novus consensus, ut multi volunt cum D. Th. aut saltem prior virtualiter perseveret, ut aliis placet.

36. *Quest. 7.* Quid sit Matrimonium celebratur sub conditione: *si Pater consentiat*? R. si conditio sit de præsentibus, vel præterito, stante consensu Patris, valet matrimonium, etiam si contrahentes illum ignorent. Quod si conditio sit de futuro, suspenditur matrimonium usque ad eventum conditionis. Ita omnes. Quod si Pater taceat, aut aliter dubitetur de ipsius assensu, standum est circumstantiis, & præcipue menti contrahentium, an contenti fuerint, quod positive non disenserint. Recte autem animadvertit Roncaglia, cavendum esse Parochis, ne abque urgentissima causa admittant conditionata hujusmodi matrimonia, ex quibus oriri gravia possunt incommoda, & difficultates contra validitatem ipsorum.

37. Nota, valde differre conditionem a demonstratione, modo, die, causa, & similibus. Demonstratio enim, vel causa matrimonio ad-

jecta, etiam si turpis sit, vel falsa non suspendit matrimonium. Hinc si quis dicat: *duco te, quia es virgo, dives*, cet. esto errore feratur, valide contrahit, cum præbeat consensum absolutum, qui non impeditur nisi ab errore circa substantiam, vel circa conditiones substantiales matrimonii. Neque suspendit *modus*, v. g. *duco te, ut mihi inservias*, etiam si de re turpi sit, vel impossibili, v. g. *duco te, ut occidas*, quia consensus non pendet a modo, sicut a conditione. Verum si *modus* sit contra substantiam matrimonii, v. g. *duco te, ut adulterium facias*, videtur excludere animum vere contrahendi per intentionem contractui oppositam. *Dies* autem appositus, v. g. *duco te post triduum* suspendit contractum, quia ita contrahens non intendit perfectum ponere consensum, nisi post diem tertium.

## CAPUT IV.

## De usu Matrimonii.

38. *Quest. 1.* Quando sit illicitus usus conjugii? R. eum per se licitum esse docet Apost. ad Cor. 1. c. 2. *Uxori vir debitum reddat*. Potest autem ex accidenti esse illicitus. 1. si dubium sit de valore matrimonii, donec moraliter constet matrimonium carere legitimo impedimento. Hinc dubitans de morte prioris conjugis non potest iterum contrahere, nisi constet saltem moraliter priorem conjugem obiisse; ex *c. dominus de secund. nup.* Pariter is, qui

lis, tunc utique nullum reddit Sacramentum; contra vero si non repugnet substantiæ matrimonii, ut *volo te, si patrem occideris*; nam consensus censetur absolutus, & conditio habetur pro non adjecta. Sed in foro interno si deficiat legitimus consensus, re vera nullum erit matrimonium. Constat ex *c. finali de condit. appos.* R. 3. conditio honesta de futuro facit quidem sponsalia, sed non matrimonium, quod exigit consensum de præsentibus. Hinc postquam conditio impletur, non valet matrimonium, nisi accedat novus consensus, ut multi volunt cum D. Th. aut saltem prior virtualiter perseveret, ut aliis placet.

36. *Quest. 7.* Quid sit Matrimonium celebratur sub conditione: *si Pater consentiat*? R. si conditio sit de præsentibus, vel præterito, stante consensu Patris, valet matrimonium, etiam si contrahentes illum ignorent. Quod si conditio sit de futuro, suspenditur matrimonium usque ad eventum conditionis. Ita omnes. Quod si Pater taceat, aut aliter dubitetur de ipsius assensu, standum est circumstantiis, & præcipue menti contrahentium, an contenti fuerint, quod positive non disenserint. Recte autem animadvertit Roncaglia, cavendum esse Parochis, ne abque urgentissima causa admittant conditionata hujusmodi matrimonia, ex quibus oriri gravia possunt incommoda, & difficultates contra validitatem ipsorum.

37. Nota, valde differre conditionem a demonstratione, modo, die, causa, & similibus. Demonstratio enim, vel causa matrimonio ad-

jecta, etiam si turpis sit, vel falsa non suspendit matrimonium. Hinc si quis dicat: *duco te, quia es virgo, dives*, cet. esto errore feratur, valide contrahit, cum præbeat consensum absolutum, qui non impeditur nisi ab errore circa substantiam, vel circa conditiones substantiales matrimonii. Neque suspendit *modus*, v. g. *duco te, ut mihi inservias*, etiamsi de re turpi sit, vel impossibili, v. g. *duco te, ut occidas*, quia consensus non pendet a modo, sicut a conditione. Verum si *modus* sit contra substantiam matrimonii, v. g. *duco te, ut adulterium facias*, videtur excludere animum vere contrahendi per intentionem contractui oppositam. *Dies* autem appositus, v. g. *duco te post triduum* suspendit contractum, quia ita contrahens non intendit perfectum ponere consensum, nisi post diem tertium.

## CAPUT IV.

## De usu Matrimonii.

38. *Quest. 1.* Quando sit illicitus usus conjugii? R. eum per se licitum esse docet Apost. ad Cor. 1. c. 2. *Uxori vir debitum reddat*. Potest autem ex accidenti esse illicitus. 1. si dubium sit de valore matrimonii, donec moraliter constet matrimonium carere legitimo impedimento. Hinc dubitans de morte prioris conjugis non potest iterum contrahere, nisi constet saltem moraliter priorem conjugem obiisse; ex *c. dominus de secund. nup.* Pariter is, qui

dubitat de impedimento matrimonium dirimente, nequit matrimonium contrahere, etiam cum opinione probabili de insubsistentia impedimenti; quia illicitum est ministrare Sacramentum cum sola opinione probabili de valore ipsius, ut declaravit Innoc. XI. Idem dico, si constet de impedimento, & dubitetur de dispensatione; tunc enim neque potest contrahi matrimonium, neque illo forte contracto peti debitum, cum possessio stet pro impedimento. Secus vero, si constet de dispensatione, dubitetur vero de ipsius valore, cum pro illo stet possessio; scilicet si impedimentum sit de jure Ecclesiastico.

39. *Quæst. 2.* An matrimonium jam inito, liceat contrahentibus petere debitum, aut reddere, si dubius sit valor ipsius? R. 1. durante dubitatione, sive ipsa antecesserit matrimonium, sive illi supervenerit, conjux dubitans ante diligentiam adhibitam ad vincendum dubium non potest debitum petere; sed potest, ac debet reddere conjugi bona fide petenti. Constat ex *c. dominus de secund. nup.* & ex *c. inquisit. de sent. excommun.* Est autem expressa doctrina D. Thomæ, Bonaventuræ, & Antonini. Ratio autem est, quia petens debitum operaretur cum conscientia practice dubia; non ita reddens, cum alter conjux habeat possessionis, quo nequit exspoliari, nisi certo constet de nullitate matrimonii.

40. R. 2. Contracto matrimonio bona fide, si adveniat ratio dubitandi, quæ adhibita diligentia vinci non possit, non solum licet reddere, sed etiam petere, cum possessio stet pro illius valore in eo, qui bona fide contra-

xit. Sic possessor bonæ fidei, post diligentiam adhibitam, sicut potest rem apud se retinere, ita etiam potest ea uti. Sic etiam cum dubitatur de valore matrimonii propter dubitationem de impotentia, in *cap. laudabilem* conceditur triennii experimentum, ut certi fiant conjuges de tali impedimento. Textus autem ab adversariis adducti intelligendi sunt de vitanda petitioni, antequam adhibeatur prudens diligentia, & ipsa adhibita possit deponi dubitatio per judicium reflexum de possessione valoris matrimonii.

41. Jam vero ad dignoscendum, utrum validum censi possit matrimonium, an potius nullum, tres afferuntur regulæ. 1. ut plurimum non tenetur conjux credere alteri asserenti se fecte consensisse, etiamsi id assermet cum juramento, ex *c. per tuas de probat.* & *c. cum a nobis, de Test. & attest. Dixi ut plurimum*, aliquando enim est ratio aliter censendi, vel saltem dubitandi; puta, si conjux versetur in articulo mortis; si non soleat mentiri, aut pejerare; si sit persona pia, & velit separari, aut religionem ingredi, cet. 2. regula: si quis audiat ab aliis fide minime dignis, vel ex fama incerto auctore vulgata, adesse impedimentum, non habet prudentem rationem dubitandi, adeoque licite potest contrahere matrimonium ex *c. si duo q. 6. 3.* testimonium unius fide digni, aut fama publica ex certo auctore, ut dicunt, exorta, sufficit, ut conjux ab debito petendo absteat, donec veritatem inquirat; sed non tenetur interim negare con-



jugi petenti; imo, si adhibita prudenti inquisitione nihil inveniatur, potest & reddere, & petere. *Salmant. Navarrus, alii.*

42. An liceat debitum petere cum periculo gravi vitæ, aut valetudinis? R. negat, cum nemo sit dominus suæ vitæ, vel salutis. Hinc si alter conjugum laboret lepra, morbo venereo, phthisi, vel alio morbo contagioso debet ab usu conjugii abstinere, ne sibi, vel conjugii grave detrimentum inferat. Potest autem excusari aliquando, qui in diuturno morbo petit, aut reddit debitum, ut vitet in se, vel in alio periculum incontinentiæ. Nunquam licet uti copula conjugali cum periculo abortus, qualis esse potest tempore prægnationis. Et ideo a S. Hieronymo, & aliis PP. graviter increpantur viri coeuntes cum muliere prægnante; *non tamen ita, quod semper sit peccatum mortale, nisi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus;* inquit D. Th. in 4. dist. 81. Semper autem esse peccatum, saltem veniale, censent multi cum S. Antonino 3. p. tit. 1. c. 20. quod quidem ego verum esse sentio, nisi adsit periculum incontinentiæ, vel alia honesta causa. Idem dico de coeuntibus tempore menstrui, qui venialiter peccant, nisi justa ratio excuset.

43. *Quæst. 4.* An & quale sit peccatum usus conjugii voluptatis causa? R. extat propositio damnata ab Innoc. XI. dicens: *opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.* Est autem ratio, quia ordo naturæ invertitur, cum delectatio,

quæ solum est via quædam ad generationem instituta, habet rationem finis. Non est tamen mortale, ut tert communis opinio cum S. Th. *Suppl. q. 64. art. 6.* cum objectum non sit conjugibus graviter vetitum, nec delectatio habeat rationem ultimi finis. Imo nullum erit peccatum, si conjuges intendant procreationem prolis, & utantur moderate naturali voluptate, ut finem assequantur. Nequit autem a mortali vir excusari, qui dum accedit ad suam conjugem, aliam cogitat, ut animam pascat, vel ut se ad coitum, respiciendo ad imagines alieni sexus ob periculum delectationis de prohibito objecto. Ob quam rationem non licet conjugatis delectari de copula aliena, quicquid aliqui dicant.

44. *Quæst. 5.* Quale sit peccatum in conjugibus vii copula modo naturæ indebito. Paucis rem expedit, quæ ex tradita doctrina de sexto decalogi præcepto facile potest intelligi. R. igitur 1. grave peccatum est in conjugem non servare vas debitum, quod quidem esse veram sodomiam, docetur communiter. 2. grave item peccatum est coire situ, & ratione minus apta, & naturali, si periculum sit effusionis semini; etiam tamen veniale, si absque hujusmodi periculo fiat, aut sine alio affectu graviter interdicto. Ita D. Th. in 4. dist. 31. in fine. 3. erit etiam mortale inceptam cohibere seminationem, ubi sit periculum pollutionis extra vas naturale, aut impediendi generationem. Nota, permitti conjugibus oscula, & tactus, si proxime referantur ad copulam; aliter sunt veniale peccatum; erunt autem mortale, si proximum sit periculum pollutionis V. A.

45. *Quæst. 6.* Quando usus conjugii sit præceptus? R. 1. Conjuges nulla lege obligantur ad usum matrimonii, cum ille non sit de essentia conjugii, nec teneantur uti jure suo. R. 2. sæpe tenentur vel ex caritate, vel ex justitia ad reddendum, atque etiam petendum debitum conjugale. Ac primo quidem graviter peccat conjux, qui alteri serio, & juste petenti debitum negat; cum materia gravis sit, & ex justitia debita. Non erit tamen peccatum saltem grave, si conjux viro neget benevolo, & remissi animo petenti, modo absit periculum incontinentiæ. Nullum autem erit peccatum, si justa sit negandi ratio, puta, si alter conjux sit immoderatus, si modo innaturali, vel in loco publico, aut sacro, vel cum proprio peccato. Non est tamen ratio sufficiens negandi, si plures nascantur liberi, quam possint alii, nisi id cedat in grave damnum filiorum, qui prius nati sunt, & nullum sit periculum incontinentiæ. Neque est ratio negandi peccatum ejus, qui petit, v. g. ob pravum finem, vel voto castitatis obstrictus, cum valide quidem petat, quantumvis illicite. Intellige, nisi ex reciproco consensu uterque voverit castitatem, quo in eventum adhuc probabiliter valide petunt, cum non intendunt cedere juri suo.

46. Sed conjux a reddendo excusatur, si reddere non possit absque peccato proprio, etiam si veniali. Aliud vero dicendum, si peccatum se habeat ex parte exigentis; tunc enim nisi precibus ipsum retrahere possit, non solum potest reddere, verum etiam debet. Excusatur etiam

nolens reddere conjugi ebrio, vel amenti; licet tamen eidem reddere, modo absit periculum scandali, vel abortus. Peccaret tamen, qui excitaret ad copulam conjuges ambos amentes, quia esset causa, ut filii carerent debita educatione. Nec vero tenetur quis reddere conjugii laboranti morbo contagioso cum periculo vitæ, vel gravis morbi; secus si periculum sit leve, aut levioris damni.

47. *Quæst. 7.* An, & quando conjuges teneantur petere debitum? R. Easi nemo per se loquendo ad id obligetur, tenetur tamen ex caritate, v. g. ad avertendum periculum incontinentiæ imminens conjugii. Hinc ait D. Th. Suppl. 3. p. q. 44. a. 2. *quando vir percipit per aliqua signa, quod uxor vellet sibi debitum reddi sed propter verecundiam tacet, tenetur reddere.* Quod non obligat mulierem, nisi vir expresse petat, cum in eo verecundia præsumi non debeat. Excipe, nisi feminæ certo constet de pudore, & timiditate mariti. Uxor autem non tenetur petere, nisi necesse id foret ad liberandum maritum a periculo incontinentiæ. An autem hæc obligatio oriatur ex justitia, ut multis placet, an solum ex charitate, ut alii plures volunt, parum refert ad praxim. Ex justitia vero legali tenetur conjux petere debitum, quando salus publica periclitatur, si prole careat.

48. Nota 1. Conjux prohibitus a petendo conjugali debito ratione voti, vel affinitatis, vel cognationis spiritualis post matrimonium contractæ, potest ac debet illud reddere, si adsit periculum incontinentiæ in altero conjugate. 2.

confux impeditus, quamvis in periculo sit incontinentiæ, non potest debitum petere, sed potest dispensationem postulare; nisi forte aliquando sit periculum in mora, & commode obtineri nequeat dispensatio, ut probabiliter docent aliqui.

3. Quod liceat conjugi petere debitum ab excommunicato, constat ex c. *quoniam multos* c. 11. q. 3. an autem excommunicato id liceat, non ita certum est. Probabilior tamen DD. sententia affirmat; eo quod lex Ecclesiastica non obliget cum tanto periculo, in quo versaretur Excommunicatus, qui nec posset separari a conjugē, nec posset petere.

## CAPUT V.

*De cohabitatione, & divortio Conjugum.*

49. *Quæst. 1. An, & quando teneantur conjuges simul commorari?* R. Conjuges tenentur ex justitia ad habitandum in eadem domo, mensa, & thoro. Unde nemo conjugum, altero invito, potest alio discedere ad longum tempus ex c. 1. *de conjug. lepr.* nisi adsint justæ causæ, v. g. publici boni, vel aliendæ familiæ. Quod si vir diu alibi manere debeat, tenetur, si commode possit, secum ducere uxorem, ut cum ipso habitet; ipsa vero sequi virum tenetur, tanquam sui, & familiæ caput. Intellige, nisi inde timeatur grave ipsius, vel periculum, vel onus, aut nisi aliter pactum fuerit in contractu matrimonii. Virum autem vagum sequi mulier non tenetur; uti nec exulem, ut probabiliter, do-

cent multi, aliis repugnantibus, mea quidem sententia probabilius.

50. Possunt conjuges ex mutuo consensu invicem separari, modo absit periculum incontinentiæ, & nullum detrimentum afferatur educationi prolis. Ita communiter DD. ex illo Apost. 1. ad Cor 7. : *nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; & iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas.* Potest quoque vir; invita muliere, peregrinationem, saltem brevem suscipere; sed in muliere non licet, cum sit subjecta viri potestati, nec deceat feminam ut plurimum peregrinari.

Dubitari solet, an liceat viro non habitare cum uxore, quæ promissam dotem non solvit, & an eam alere teneatur? Quod ad primum attinet, negant communiter TT. eo quod obligatio simul habitandi oriatur ex lege naturali, ac Divina Matrimonii, quæ non pendet a solutione dotis. Ad 2. vero respondent, virum non obligari ad alendam uxorem, quæ cum possit solvere dotem, non solvit. Ita constat ex l. *pro oneribus* c. *de jure dotis*, ubi ideo dicitur constitui dotem, ut ex ea vir uxorem alat. Excipe, nisi vir duxerit absque promissione dotis; aut dos fortuito, & sine uxoris culpa perit: vel uxor denique famulatum suum viro præstet; ratione ejus alii debet a viro: ob adulterium autem potest vir uxori negare alimenta; verum si sit occultum, nequit illa negare cum infamia uxoris, aut aliorum scandalo.

51. *Quæst. 2. Quid est divortium, & quod duplex?* R. divortium in genere est separatio

conjugum inter se; est autem duplex: divor-  
tium quoad vinculum, cum ita separantur, ut  
nullum maneat vinculum matrimonii; & quoad  
thorum, cum manente vinculo, separantur quoad  
habitationem, mensam, thorum. Jam vero cer-  
tum est, matrimonium inter fideles esse quoad  
vinculum indissolubile, & declarat Trid. Sess.  
24. Can. 5. & 7. Idque jure naturali, & Divino,  
cum solubilitas repugnet fini institutionis Matrimo-  
nii, nimirum rectæ educationi prolis. Nec  
solum consummato id convenit, sed etiam rato,  
quod pariter ad eum finem ordinatur. De jure  
autem divino positivo constat Matth. c. 19.  
*quod Deus conjunxit, homo non separet*; & Lu-  
cæ 17. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & al-  
teram ducit, mæchatur*. Pauli 1. ad Cor 7. *Iis,  
qui matrimonio conjuncti sunt, præcipio, non ego,  
sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod  
si discesserit, manere innuptam, aut viro suo  
reconciliari*.

52. *Quæst. 3.* An aliquando matrimonium  
consummatum dissolvi possit quoad vinculum?  
R. 1. certum est illud dissolvi morte alterius con-  
jugis, ita ut is, qui superstes sit, possit iterum  
matrimonio copulari. 2. certum est dictis est,  
vivente conjugè nullo humano jure posse solvi  
vinculum matrimonii, cum sit divino jure inso-  
lubile. R. 3. ex privilegio in favorem fidei a  
Christo Domino concesso, dissolvi matrimonium  
infidelium, si altero ad fidem converso, alter in  
sua infidelitate obduratus renuit cohabitare cum  
converso, aut cohabitare vult, sed non sine  
contumelia Creatoris, aut periculo subversionis

conjugis fidei. Patet ex c. *quanto de divort.* & ex  
1. Cor. 7. *quod si infidelis discedit, discedat: non  
enim servituti subjectus est frater, aut soror in  
hujusmodi*.

53. Quod si uterque conjux ad fidem conver-  
titur, matrimonium fit ratum, id est indissolu-  
bile ex c. *quanto de divort.* modo sit consumma-  
tum post conversionem; alias R. Pontifex gra-  
vibus de causis dispensare potest, ut constat ex  
decreto Urbani VIII. & late probat Bened. XIV.  
de Syn. lib. 6. c. 4. adducens auctoritatem S.  
Pii V. & Greg. XIII. qui id aliquando in pra-  
xim deduxere. Quid vero si infidelis nolit qui-  
dem Christianam religionem amplecti, sed ta-  
men cum conjugè fidei habitare vel sine al-  
terius periculo, nec injuria Creatoris? Adhuc  
illud matrimonium dissolvi posse, censent TT.  
multi cum Bellarmino de Mat. c. 12. Est ta-  
men hoc loco animadvertendum 1. cum D. Tho-  
ma, matrimonium illud non solvi, donec fi-  
delis transeat ad alias nuptias. 2. iste prius  
monere debet infidelem, an velit ad fidem con-  
verti ex præcepto Greg. XIII. & Pii V. Quod si  
infidelis sit longe absens, aut ita latitans, ut  
facile interpellari nequeat, multi requirunt dis-  
pensationem S. Pontificis, ut possit alter no-  
vum matrimonium contrahere. V. laudatum Be-  
ned. qui plures solvit quæstiones ad hoc argu-  
mentum pertinentes.

54. *Quæst. 4.* Quomodo solvatur quoad vin-  
culum matrimonium ratum? R. Matrimonium ra-  
tum, & legitimum, sed nondum copulâ consum-  
matum dissolvitur 1. per professionem Religio-

sam. 2. per Papæ dispensationem, Constat primum ex Trident. Sess. 4. Can. 6. *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugis non dirimi, anathema sit.* Cuiuslibet ergo conjugum datur bimestre ad deliberandum, utrum velit matrimonium consummare, an potius Religionem ingredi. Quo tempore exacto, non licet ulterius solvere matrimonium, & tenetur quilibet alteri eorum exigenti reddere debitum, Dum autem conjux ordinem religiosum est ingressus alter nequit ad alias nuptias transire, donec conjux profiteatur; quod si ille professionem non emitat, tyrocinio exacto, tenetur stare contractui matrimonii, qui per solam professionem dissolvitur.

55. Dissolvitur quoque matrimonium ratum auctoritate Papæ ob causam gravissimam, ut re ipsa in eo dispensarunt Martinus V. & Eugenius IV. & teste S. Antonino Pius II., & Pius IV.; teste Navarro, Greg. XIII. & alii. Videtur enim hanc potestatem ad bonum Ecclesiæ concessam esse a Christo ipsius Vicario, sicut & ad dispensandum in professione Religiosa, quæ fortius est vinculum. Ita Bellarminus, Navarrus, & alii contra S. Bonav. Scotum, & alios non paucos.

56. *Quest. 5.* Quando licet divortium quoad *thorum*? R. manente vinculo matrimonii licet conjugibus invicem separari quoad *thorum*, & domicilium, si justæ, & graves causæ intercedant. Causæ autem divortii sex omnino assignari solent. 1. est adulterium alterius. 2. sævitia

alterius, sed non nisi auctoritate judicis. 3. si conjux alterum ad hæresim, aliudve grave peccatum inducit, vel in grave ipsius periculum. 4. morbus contagiosus, ex quo probabiliter imminet periculum infectionis. 5. hæresis, vel apostasia matrimonio superveniens, quæ si periculum afferat subversionis, innocens tenetur ab alio separari; si secus, non tenetur, sed potest ab eo discedere imo, & potest ingredi religionem, si hæresis ab Ecclesia sit judicata. 6. mutuus consensus ob finem aliquem spiritualem. Quod tamen non solet permitti, nisi uterque ingrediatur Religionem; aut altero Religionem ingressio, conjux remanens in sæculo emitat votum continentiæ.

57. *Quest. 5.* Qualis adulterii notitia sufficiat ad divortium faciendum? R. certum est omnibus, virum posse dimittere uxorem adulteram, ut constat ex verbis Christi Matth. 5. v. 19. *Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur.* Idem communiter docetur de viro adultero, quem potest uxor dimittere, ex c. *præterea* 32. q. 5. & c. *idolatria* 37. q. 1. Resp. 2. ad id non sufficit suspicio quævis de adulterio, sed talis, quæ secum ferat moralem quandam certitudinem, ut cum D. Th. & Antonino TT. docent; quamquam non requiratur certitudo tanta in foro interno, quanta in externo. Hinc ad faciendum divortium non sufficiunt amplexus, oscula, tactusque impudici, nisi ex adjunctis vehemens oriatur suspicio de adulterio. Nomine autem adulterii in hoc loco veniunt etiam so-

domia, & bestialitas, ut probabilior sententia docet cum D. Th. *suppl. q. 62. ar. 1.*

58. *Quæst. 7.* An vir cognito adulterio uxoris teneatur eam dimittere? R. ratione adulterii tantum non teneri, quia divortium, introductum in favorem innocentis, non debet in ejus poenam verti. Ita D. Th. loco cit. *ar. 5. ex c. idol. 27. q. 1.* Ubi laudatur Aug. dicens: *Dominus autem permisit, causa fornicationis uxorem dimitti, non jussit, dedit locum Apostolo monendi, ut qui voluerit non dimittat uxorem infidelem.* Monent autem Doctores cum D. Th. virum sæpe ad id obligari ad vitandum scandalum, ne videatur ejus peccati particeps; vel ad correptionem uxoris, nisi alia via eam possit corrigere. Uxor autem non nisi raro tenetur virum adulterum dimittere; nisi forte ad tempus, dum spes affulget probabilis ea via fore corrigendum. Utrum autem innocens conjux teneatur alterum recipere ex adulterio emendatum? Aliqui ajunt ad id obligari ex lege charitatis; ergo vero non ausim id ei onus imponere, cum ex una parte id a Christo permissum videam; & ex alia non videam, cur lex charitatis obliget ad tantum onus, ut quis recipiat eum apud se, qui sibi fregit conjugii fidem. Unde verba illa c. si vir adulter: *debet, sed non sæpe recipere peccatricem, a glossa explicantur de debito quodam honestatis, non necessitatis.*

59. *Quæst. 8.* An, & quando non liceat conjugii divortium facere ab adultero conjuge? R. id non licere 1. si uterque sit adulter, quod

si alter sit emendatus, potest juxta multos divertere ab adultero, qui nolit resipiscere; quod tamen alii probabiliter negant. 2. si conjux consentiat in adulterium alterius, amittit jus recedendi ex c. *discretionem de eo, qui cogn.* Sed consentire censendus non est, qui vel ignorat, vel prudenter præbuit tantum remotam, ut vir, qui feminam male tractavit. 3. conjux, qui per vim, aut errorem innoxium adulterium commisit; sed metus non excussat. Notat etiam Dicastillo, virum posse uxorem dimittere, quæ extra matrimonium fornicetur, putans virum esse mortuum; secus si vir fornicetur, putans mortuam uxorem. 4. si injuria sit remissa, sibi verbo, sibi tacite aliquando externo signo; sed qui post condonationem in adulterium relabatur, jus alteri præbet dimittendi.

60. Demum notare oportet sequentia. 1. facto divortio per sententiam judicis, potest innocens cogere adulteram, ut ad se redeat, nisi ex ejus licentia votum continentiae emiserit. Ita contra paucos tenet communis sententia cum D. Th. in 4. d. 35. q. un. a. 6. quia, ut ait S. D. *cum divortium sit inductum in favorem viri, non aufert ei jus revocandi uxorem.* Id tamen non nisi raro expedit ob timorem mortis, aut sævitiae facile a viro inferendæ. 2. si conjux innocens, facto juridice divortio, in adulterium labitur, secundum multos, cum injuria sit compensata, jus amittit divortii, ita ut, altero petente, teneatur ad eum redire. Negat tamen probabilior sententia cum D. Th. quia per judicis senten-

tiam innocens absolutus fuit a servitute, & adulter jure suo privatus. Nihilominus ait D. Th. *secundum æquitatem iudex ex officio suo debet eum cogere, ut caveat periculo animæ ejus, & scandalo aliorum, quamvis non possit revocationem petere.* 3. *divortium non potest celebrari, nisi iudicio Ecclesiæ, inquit D. Th. quem Bellarminus, & alii sequuntur, cum sit actio publica, quæ privata auctoritate si fieret, magnis foret perturbationibus obnoxia.* Alii id solum requirunt, cum adulterium est occultum, alii denique multi divortium fieri posse contendunt privata auctoritate, modo adulterium sit certum, nec ex separatione oriatur scandalum.

61. Nota 4. facta juridica separatione, vir innocens potest Religionem ingredi, etiam invita adultera & sacros Ordines suscipere, manente tamen vinculo matrimonii, si istud fuerit consummatum. Contra, etiam post divortium non licet adultero religionem ingredi, vel sacris initiari, nisi annuente ipsius conjuge, vel nisi is statum perpetuum assumpserit, aut aliter tacite veniam ei dederit. Nota 5. nomine sævitæ non potest conjux propria auctoritate conjugem dimittere ex c. *significasti de divortio*, nisi sit in mora periculum, aut iudex facile nequeat conveniri. Sed non est arguendus sævitæ conjux, qui alterum minis tantum, aut moderata pœna coercet, sed requiruntur mala gravia, & injusta, quæ nimis molestam reddant vitam, attenta conditione personarum. Facto autem divortio filii educandi sunt apud conjugem innocentem. Quod vero ad expensas attinet, si divortium fa-

ctum sit culpa patris, ejus expensis proles est educanda ex auct. *si Pater. c. divortio facto*; e contrario expensis matris, si ista fuerit in culpa, ut habetur in glossa, & communis docet sententia; quamquam in hoc non ita DD. consentiant requiritur tamen iudicis sententia.

## CAPUT VI.

*De impedimentis matrimonii, & præsertim de iis, quæ matrimonium impediunt tantum.*

62. Sunt quædam impedimenta, quæ matrimonium reddunt tantum illicitum; alia insuper illud irritum faciunt. Priora dicuntur impediencia; posteriora dirimentia. Jam vero quod Ecclesia possit constituere impedimenta matrimonium impediencia non negant vel ipsi hæretici, qui tamen ipsi denegant potestatem adstruendi impedimenta dirimentia. Sed contra ipsos statuit Trid. Sess. 24. Can. 4. *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse instituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in is constituendis errasse, anathema sit.* Quamvis enim Ecclesia non possit invalida reddere Sacramenta a Christo D. instituta, potuit tamen ob bonum commune Ecclesiæ infirmare contractum, sine quo Sacramentum matrimonii non conficitur.

Hanc potestatem convenire R. Pontifici, & Concilio Generali, nemo unus dubitat. An etiam eam habeant Episcopi, controversitur a TT. Quicquid sit de ipsorum jure primitivo, ipsis per se non licet ex veteri Ecclesiæ consuetudine,

tiam innocens absolutus fuit a servitute, & adulter jure suo privatus. Nihilominus ait D. Th. *secundum æquitatem iudex ex officio suo debet eum cogere, ut caveat periculo animæ ejus, & scandalo aliorum, quamvis non possit revocationem petere.* 3. *divortium non potest celebrari, nisi iudicio Ecclesiæ, inquit D. Th. quem Bellarminus, & alii sequuntur, cum sit actio publica, quæ privata auctoritate si fieret, magnis foret perturbationibus obnoxia.* Alii id solum requirunt, cum adulterium est occultum, alii denique multi divortium fieri posse contendunt privata auctoritate, modo adulterium sit certum, nec ex separatione oriatur scandalum.

61. Nota 4. facta juridica separatione, vir innocens potest Religionem ingredi, etiam invita adultera & sacros Ordines suscipere, manente tamen vinculo matrimonii, si istud fuerit consummatum. Contra, etiam post divortium non licet adultero religionem ingredi, vel sacris initiari, nisi annuente ipsius conjuge, vel nisi is statum perpetuum assumpserit, aut aliter tacite veniam ei dederit. Nota 5. nomine sævitæ non potest conjux propria auctoritate conjugem dimittere ex *c. significasti de divortio*, nisi sit in mora periculum, aut iudex facile nequeat conveniri. Sed non est arguendus sævitæ conjux, qui alterum minis tantum, aut moderata pœna coercet, sed requiruntur mala gravia, & injusta, quæ nimis molestam reddant vitam, attenta conditione personarum. Facto autem divortio filii educandi sunt apud conjugem innocentem. Quod vero ad expensas attinet, si divortium fa-

ctum sit culpa patris, ejus expensis proles est educanda ex auct. *si Pater. c. divortio facto*; e contrario expensis matris, si ista fuerit in culpa, ut habetur in glossa, & communis docet sententia; quamquam in hoc non ita DD. consentiant requiritur tamen iudicis sententia.

## CAPUT VI.

*De impedimentis matrimonii, & præsertim de iis, quæ matrimonium impediunt tantum.*

62. Sunt quædam impedimenta, quæ matrimonium reddunt tantum illicitum; alia insuper illud irritum faciunt. Priora dicuntur impediencia; posteriora dirimentia. Jam vero quod Ecclesia possit constituere impedimenta matrimonium impediencia non negant vel ipsi hæretici, qui tamen ipsi denegant potestatem adstruendi impedimenta dirimentia. Sed contra ipsos statuit Trid. Sess. 24. Can. 4. *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse instituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in is constituendis errasse, anathema sit.* Quamvis enim Ecclesia non possit invalida reddere Sacramenta a Christo D. instituta, potuit tamen ob bonum commune Ecclesiæ infirmare contractum, sine quo Sacramentum matrimonii non conficitur.

Hanc potestatem convenire R. Pontifici, & Concilio Generali, nemo unus dubitat. An etiam eam habeant Episcopi, controversitur a TT. Quicquid sit de ipsorum jure primitivo, ipsis per se non licet ex veteri Ecclesiæ consuetudine,



& declaratione Urban. VIII. decreto suo approbantis declarationem S. Congreg. id expresse prohibentem, ut refert. Bened. XIV. *De Syn. Diac. l. 7. c. 68.* Lex autem de impedimentis obligat quidem fideles omnes, non vero infideles, nisi eos, qui in ditione Pontificia degunt, sicut obligantur aliis legibus circa contractus.

63. *Quest. 1.* Quænam sunt impedimenta impedientia tantum? R. præter culpam mortalem, & vinculum excommunicationis, sex potissimum reddunt matrimonium graviter illicitum, quæ his versibus continentur.

*Ecclesie vetitum, necnon tempus feriatum,  
Atque Catechismus, crimen, sponsalia, votum  
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

Ac primo sponsi graviter peccarent contrahendo contra prohibitionem Ecclesie, quæ fit a Parocho, vel Episcopo ob dubium impedimenti alicujus, vel inhabilitatis inter copulandos; leviter tamen, si prohibitio sit ob venerationem alicujus festi, nec adsit aliorum scandalum. Tempus autem *feriatum* a Trid. Sess. 23. c. 10. assignatur ab adventu Domini usque ad Epiphaniam *inclusive*, & a die Cinerum usque ad Octavam Paschæ *inclusive*. Quo tempore solemnitas nuptiarum interdicitur.

64. Itaque prohibentur eo tempore benedictio nuptialis, solemnis sponsæ traductio in domum sponsi, solemnia convivia, cet. quæ sæpe erunt grave peccatum propter excessum; secus si fiant moderate. Nec vero eo tempore vetatur contractus matrimonii, modo fiat sine apparatu, & solemnitatibus. Et quamvis D. Th. S. Antoninus, &

plures Canonistæ censeant interdictum esse usum conjugii tempore feriato, eo quod Canones prohibeant uxoris traductionem; ab eis tamen dissentiunt communiter DD. quibus adhæret Ben. XIV. *Notif. 80. n. 17.* Cujus est ratio præcipua, quia non sunt onera certa imponenda, ubi lex certa ea non præscribat. Canones autem adduci soliti consilium continent, non præceptum; affertque in hæc rem declarationem S. C. editam 10. Jun. 1684. quæ permittit traductionem sponsæ in domum sponsi, modo fiat sine solemnitatibus. Tridentinum autem hortatur quidem conjuges ad non consummandum matrimonium ante benedictionem, sed non præcipit, ut communis est DD. interpretatio, & tradit idem Benedict. loco citato.

65. *Quest. 2.* An, & quando contrahitur impedimentum catechismi? R. nomine catechismi venit hoc loco illa fidei professio, quæ ante baptismum fit nomine baptizandi. Et olim ad eo contrahi poterat, qui respondet pro infante; sed hodie videtur sublatum a Tridentino, ut decrevit S. C. teste Diana. Hinc Parochi in libro distinguere debent patrilinos catechismi a patrilinis baptismi.

*Quest. 3.* Quodnam crimen impediatur matrimonium? R. 1. incestus cum consanguinea conjugis imprimò, vel in secundo grado, qui matrimonium impedit cum quacumque alia persona; item incestus cum propria matre, vel filia. 2. raptus alienæ sponsæ. 3. uxoricidium. 4. presbytericidium. 5. susceptio propriæ prolis ex baptismo impedit redditionem debiti. 6. publica pœnitentia.

tia, quandiu durat. 7. Matrimonium cum moniali. Sed hæc per non usum sublata sunt, exceptis voto, interdicto & sponsalibus. Episcopus autem tantum in interdicto dispensare potest.

66. *Quest. 4.* Quid de impedimentis sponsalium, & voti? R. 1. impediunt matrimonium sponsalia cum alio contracta, & non dissoluta; violaretur enim in re gravi fides alteri data contra iustitiam. R. 2. impedit quoque matrimonium votum simplex sive castitatis, sive religionis; vel non nubendi. Votum autem Religionis, & castitatis absolutum ante matrimonium nequit ab Episcopo dispensari, sed potest si fuerit conditionatum, aut pœnale. Potest etiam dispensare in voto ab ipsis emisso post consummatum matrimonium, nisi ex mutuo consensu emiserint. Ita DD. multi cum S. Antonino contra alios. Idem dico de potestate dispensandi votum ante matrimonium elicium, ut conjux possit petere debitum, tum quia hæc facultas datur Episcopis ex antiqua consuetudine; tum quia Pontifex non videtur voluisse sibi reservare hanc potestatem, cum hæc reservatio cederet in destructionem animarum propter periculum incontinentiæ, quod frequenter adesse solet. Imo si periculum sit in mora, nec facilis aditus ad Papam, potest Episcopus dispensare hoc votum, ad contrahendum matrimonium.

67. *Quest. 5.* Quomodo necessariæ sint denunciationes? Præscriptum est a Trid. Sess. 24. c. 1. ut ne celebretur Matrimonium sine præviis proclamationibus; quæ fieri debent in Ecclesia intra Missarum solemniam, & quidem a proprio

Parocho, & intra propriam uniuscujusque conjugis parochiam, tribus diebus festivis, non immediatis, continuis tamen, id est, qui feriatis quidem diebus, nullo tamen festo interpolentur. Post ultimam denunciationem licet contrahere eadem die; non licet autem differre ultra quatuor menses, intra quot si non contrahant, repetendas esse denunciations declaravit S. C. in *Sess. 24. c. 1. de reform.* Imo Rit. Romanum post duos integros menses repetendas esse jubet denunciations, nisi aliud videatur Episcopo.

68. Non potest Parochus dispensare, nisi urgeat necessitas, & Episcopus audiri nequeat, modo factus sit certior nullum subesse impedimentum. Potest autem facere denunciations per alium Sacerdotem, & quidem probabliter etiam tempore concionis, vel magni concursus, si aliqua instet causâ; cum ita finis Tridentini obtineatur. Quod si alter sponsorum ante breve tempus in suam parochiam venit, S. C. declaravit, denunciations faciendas, in loco, unde discessit. Si vero alter sponsorum sit exterus, ante denunciations debet Parochus fidem habere auctenticam coram Ordinario, & quidem originis, de sponsi libertate. Quod multo magis circa vagos curandum est, quorum matrimoniis nequit Parochus assistere sine licentiâ Episcopi, ut præscribit Tridentinum.

69. *Quest. 6.* An, & quis teneatur impedimentum denunciare? R. post factas proclamationes unusquisque, sciens impedimentum,

etiamsi sit occultum, tenetur illud denuntiare. Quod si tale sit, ut alteri infamia oriri possit, monendus est prius, & privatim corrigendus, si spes emendationis affulgeat, nec sit in mora periculum. Denunciatio autem est facienda ab eo, qui noverit impedimentum, etiamsi illud per testes probare non possit; quia huiusmodi revelatio proderit vel ad vitandum peccatum, vel ad reparandum injuriam Sacramenti; præsertim cum in probabilissima multorum sententia unus testis fide dignus satis sit ut Episcopus prohibeat matrimonium, nisi agatur de præiudicio tertii, in qua hypothesis requiritur plena probatio ex c. licet, & c. *Omni de Testam.* Vide alia apud auctorem.

## CAPUT VII.

*De impedimentis Matrimonium dirimentibus.*

70. Præter defectum veri consensus, impedimenta dirimentia sunt quindecim his versibus contenta.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen, nec Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, Ætas, affinis, si clandestinus, & impos, Raptave sit mulier, nec parti reddita tuta.

71. *Quest. 1.* Quisnam error dirimat matrimonium? R. 1. Error personæ de jure naturæ irritat matrimonium; variata enim persona, variatur substantia contractus, dum qui intendi contrahere cum una, v. g. Bertha, non consensit contrahere cum alia, v. g. Anna. Ita

omnes TT. cum D. Th. *Suppl. q. 51. a. 1.* Et hoc locum habet, etiam si error sit crassus, & qui facile vinci posset; imo etsi error sit comitans, nec dederit causam contractui, ita ut adhuc errore cognito, initum fuisset matrimonium. Hoc enim solum probat, quod tunc foret quidem consensus, sed re vera talis in præsentem contractum non adfuit. R. 2. error circa qualitatem personæ comitans, sed non dans causam contractui, non irritat matrimonium; unde si quis contraheret cum corrupta, aut pauvere, vel ignobili, quam putabat virginem, vel divitem, aut nobilem, his qualitatibus præcipue non motus, sed aliunde, valet præcudubio matrimonium; quia in eo eventu adest voluntarium ad illud requisitum. Ita DD. communiter.

72. R. 3. Magna lis est inter TT. an valeat matrimonium cum errore circa qualitatem personæ, qui det causam contractui; quo scilicet cognito matrimonium non fuisset contractum. Communis est auctorum doctrina ipsum irritare matrimonium, si qualitas redundet in substantiam. Sed quo pacto id dignoscatur, hoc opus, hic labor. Triplex tamen regula adsignari potest. 1. tunc qualitas in substantiam redundat, cum quis habet animum contrahendi sub tali conditione, & non aliter. 2. cum qualitas non est communis aliis, sed propria, & individua aliquis personæ particularis, puta, si quis crederet se contrahere cum primogenita Regis; error enim qualitatis redundaret in persona. Tertia regula, quam tradit D. Th. ea est: si

etiamsi sit occultum, tenetur illud denuntiare. Quod si tale sit, ut alteri infamia oriri possit, monendus est prius, & privatim corrigendus, si spes emendationis affulgeat, nec sit in mora periculum. Denunciatio autem est facienda ab eo, qui noverit impedimentum, etiamsi illud per testes probare non possit; quia huiusmodi revelatio proderit vel ad vitandum peccatum, vel ad reparandum injuriam Sacramenti; præsertim cum in probabilissima multorum sententia unus testis fide dignus satis sit ut Episcopus prohibeat matrimonium, nisi agatur de præiudicio tertii, in qua hypothesis requiritur plena probatio ex c. licet, & c. *Omni de Testam.* Vide alia apud auctorem.

## CAPUT VII.

*De impedimentis Matrimonium dirimentibus.*

70. Præter defectum veri consensus, impedimenta dirimentia sunt quindecim his versibus contenta.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen, nec Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, Ætas, affinis, si clandestinus, & impos, Raptave sit mulier, nec parti reddita tuta.

71. *Quest. 1.* Quisnam error dirimat matrimonium? R. 1. Error personæ de jure naturæ irritat matrimonium; variata enim persona, variatur substantia contractus, dum qui intendi contrahere cum una, v. g. Bertha, non consensit contrahere cum alia, v. g. Anna. Ita

omnes TT. cum D. Th. *Suppl. q. 51. a. 1.* Et hoc locum habet, etiam si error sit crassus, & qui facile vinci posset; imo etsi error sit comitans, nec dederit causam contractui, ita ut adhuc errore cognito, initum fuisset matrimonium. Hoc enim solum probat, quod tunc foret quidem consensus, sed re vera talis in præsentem contractum non adfuit. R. 2. error circa qualitatem personæ comitans, sed non dans causam contractui, non irritat matrimonium; unde si quis contraheret cum corrupta, aut paupe, vel ignobili, quam putabat virginem, vel divitem, aut nobilem, his qualitatibus præcipue non motus, sed aliunde, valet præcudubio matrimonium; quia in eo eventu adest voluntarium ad illud requisitum. Ita DD. communiter.

72. R. 3. Magna lis est inter TT. an valeat matrimonium cum errore circa qualitatem personæ, qui det causam contractui; quo scilicet cognito matrimonium non fuisset contractum. Communis est auctorum doctrina ipsum irritare matrimonium, si qualitas redundet in substantiam. Sed quo pacto id dignoscatur, hoc opus, hic labor. Triplex tamen regula adsignari potest. 1. tunc qualitas in substantiam redundat, cum quis habet animum contrahendi sub tali conditione, & non aliter. 2. cum qualitas non est communis aliis, sed propria, & individua aliquis personæ particularis, puta, si quis crederet se contrahere cum primogenita Regis; error enim qualitatis redundaret in persona. Tertia regula, quam tradit D. Th. ea est: si

consensus fertur directe, & principaliter in qualitatem, & minus præcipue in personam ipsam; secus vero si consensus præcipue fertur in personam, & minus præcipue in ipsius qualitatem. Unde si quis dicat: *volo ducere Titiam, quam puto esse nobilem*, tunc error non redundat in personam, nec invalidat matrimonium; contra, si apud se statuatur: *volo ducere nobilem qualem puto esse Titiam*.

73. *Quest. 2.* Quid de impedimento conditionis? R. homo liber per ignorantiam ducens servam invalide contrahit ex jure Ecclesiastico, ut probabilius docet D. Thomas, sed fundato in jure naturæ, cum talis contractus quodammodo adversetur & bono prolis, & bono Sacramenti. Quod si liber scienter contrahit cum serva, matrimonium est validum ex jure Can. etsi jus Civile aliud videatur statuere in *l. de ancillis. c. de incestis nupt.* Esset tamen irregularis ex *c. si quis. dist. 34.* Quæcumque autem ignorantia, quantumvis crassa, nullum reddit matrimonium hujusmodi. Sunt, qui velint esse quoque nullum matrimonium servi cum serva ignoranter contractum; sed hoc probabilius nego cum S. Th. in *suppl. q. 52. art. 1.* cum Ecclesia solum attendat inæqualitatis conditionem. Certum est autem eum, qui deceptus est, posse propria auctoritate resilire, atque etiam servam, nisi id vetet prudens timor scandalii. Erit autem validum matrimonium hominis liberi cum liberta, & probaliter cum serva, quæ per ipsum matrimonium fiat libera; puta, si dominus eam accipiat in conjungem,

aut ei contrahendi libertatem donet.

74. *Quest. 3.* Quo modo votum dirimat matrimonium? Nemo dubitat votum solemnne castitatis, vel Religionis dirimere matrimonium; sive dirimat jure tantum Ecclesiastico, ut Scoto cum aliis placuit; sive etiam jure Divino, ut fert communis sententia cum D. Th. in *4. d. 38. q. 1. n. 3.* De voto, quod emittitur in susceptione Ordinis sacri, dicemus postea.

*Quest. 4.* Quænam cognatio sit impedimentum dirimens matrimonium? Nota, triplicem distingui cognationem; prima dicitur *legalis*, proveniens ex adoptione perfecta, qua persona sui juris transit in potestatem, & familiam alterius, non secus ac si ejus sit filius, quæ requirit auctoritatem supremi principis. Secunda est *Spiritualis*, quæ jure Ecclesiastico oritur inter personas alicuas ratione baptismi, & confirmationis. 3. est consanguinitatis carnalis, quæ oritur ex vinculo carnis inter personas ab eodem stipitem descendentes. His positis....

75. R. 1. Cognatio legalis dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inter adoptantem, & adoptatum, ejusque decedentes ex *c. per adoptionem.* 3. Aliqui contra communem sententiam volunt, per eam solum dirimi post Trid. usque ad secundum gradum *inclusive.* V. Layman. Hoc tamen impedimentum est perpetuum inter adoptantem, & adoptatum, & uxorem illius, & e converso; sed inter filios adoptantis, & adoptatum est solum temporaneum, scilicet usque dum filii sint sub potestate illius. Hic autem dubitatur, ad quos extendatur hæc legalis

cognatio? Nonnulli eam extendunt usque ad quartum gradum; sed communis est DD. sententia non prætergredi primum gradum, cum hic tantum a jure positivo assignetur. Comprehendit autem adoptantem, & omnes, qui sunt sub potestate adoptati. *Salmant. Sanct. alii. 76. R.*

2. cognatio spiritualis dirimit matrimonium, ut constat ex *Trid. Sess. 24. c. 2.* inter baptizantem, & baptizatum, & hujus patrem & matrem: item inter susceptorem, & susceptum, & hujus patrem & matrem. De aliis, quæ dici possunt circa cognationem spiritualem, egimus in *Tract. de bapt. R. 3.*

3. cognatio consanguinitatis carnalis matrimonium dirimit usque ad quartum gradum lineæ transversæ *inclusive*. Et quidem quoad primum gradum, saltem in linea recta, jure naturæ; tres reliqui vetiti sunt jure Ecclesiastico. Pro gradibus agnoscendis statuo sequentes regulas. *Linea* est series personarum ab uno stipite descendentium per varias generationes, diversos continens gradus; aliaque est recta, alia transversa. Recta est series personarum, quæ in eadem linea conjunctæ sunt cum stipite, seu quæ recta oriuntur ab eodem principio; transversa est series personarum, quæ non nisi oblique cum eo stipite sunt conjunctæ. *Stipes* dicitur ille, a quo descendunt contrahentes, tanquam a principio consanguinitatis. *Gradus* est distantia unius personæ ab alia, qui in linea recta totidem sunt, quot sunt personæ una dempta, scilicet stipite. Hinc pater & filius sunt consanguinei in primo gradu, nepos, & avus in secundo, cetera. Linea transversa æqualis est

inter personas æqualiter distantes a communi stipite, & in ea tot gradibus personæ inter se distant, quot distant a communi stipite. Unde frater, & soror sunt in primo gradu lineæ; transversæ, patruales, & consobrini in secundo, filii eorum in tertio.

77. In linea transversa inæquali inter personas inæqualiter distantes ab stipite, personæ singulæ tot gradibus inter se distant, quot gradibus remotior persona distat a stipite. Unde patruus, & nepos, filius, & soror patris sunt consanguinei in secundo gradu. Quæ omnia facilius intelliges ex adjuncto schemate...\*

78. *Quæst. 5.* Quodnam est crimen dirimens matrimonium? R. triplex: homicidium, adulterium, & raptus. De raptu speciatim agemus ad calcem hujus capituli, nunc de duobus aliis criminibus est sermo. Ac primo homicidium ut matrimonium dirimat, debet fieri ab altero conjugis, & tertia persona, vel saltem ex utriusque consensu cum animo contrahendi matrimonium cum socio homicidii; requiritur ut animus matrimonii externis saltem indicibus manifestetur. Nec satis est, ut cædes tentata sit, nisi opere sit perfecta. Atque ea quidem de homicidio, quod non præcesserit adulterium; nam si istud forte præcessit, ad dirimendum matrimonium sufficit, quod alter perpetret homicidium, quamvis alter sit omnino inscius. Constat ex *c. si quis vivente 5.* ubi dicitur, non obstante adulterio valere matrimonium cum adultero post mortem conjugis, nisi forte vir, aut mulier virum, qui

mortuus fuerat, occidisse notetur. Et ex c. propositum 1. de eo, qui duxit.

\* SCHEMA CONSANGUINITATIS.

	IV. Abavus Abavia	
IV. M. Patruus M. Proamita.	III. Proavus Proavia	IV. M. Proavunc. M. Matertera
III. M. Patruus M. Amita	II. Avus Avia.	III. M. Avunculus M. Matertera
II. Patruus Amita	I. Pater Mater	II. Avunculus Matertera
I. Frater	* Stipes	I. Soror.
II. Filii, & filia fratris	I. Filius Filia	II. Filii, & filia sororis
III. Nepotes, & neptes ex fratre	II. Nepos Neptis	III. Nepotes, & neptes ex sorore.
IV. Pronepotes, & proneptes ex fratre	III. Pronepos Proneptis.	IV. Pronepotes, & proneptes ex sorore
	IV. Abnepos Abneptis	

79. Sed hoc impedimentum non subeunt adulteri, qui non sunt conscii alterius matrimonii. Imo quævis ignorantia excusat in multorum sententia, saltem nisi sit affectata, & dolus intercedat. Requiritur etiam, quod tam adulterium, quam promissio matrimonii fiat vivente conjuge, nec fuerit revocata ante adulterium, revocatio enim post adulterium non tollit im-

pedimentum ex c. *fin de eo qui duxit*. Promissio autem matrimonii cum adulterio debet esse expressa, ut ait Sanctius, quamvis alii dicant sufficere tacitam cum adulterio, ut impedimentum inducat. Sed non est satis ficta promissio, ut probabilius docent TT. cum jura exigant fidem matrimonii, quo nomine non comprehenditur ficta promissio, præsertim cum res sit odiosa, adeoque stricte sit interpretanda. Idem dico de promissione conditionata, quæ tamen inducit impedimentum, postquam impleta est conditio ante mortem conjugis. V. alia apud auct.

80. *Quæst. 6.* Quomodo dirimit matrimonium disparitas cultus, seu Religionis? R. ea solum ex jure Ecclesiastico matrimonium dirimit inter baptizatum, & non baptizatum, etiam catechumenum. Inter baptizatos impedit quidem, sed non dirimit, ita ut matrimonia cum hæreticis valida sint, sed illicita. Ita declaravit Bened. XIV. in bulla, quæ incipit: *matrimonia*, ubi tamen legitur; *dolens Sanctitas sua, esse inter Catholicos, qui insano amore turpiter dementati ab hisce detestabilibus connubiis, quæ S. Mater Ecclesia perpetuo damnavit, ex animo non abhorrent: Episcopos omnes, Vicarios, Parochos in iis partibus degentes serio, graviterque hortatur, & monet, ut Catholicos ab hujusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis, quantum possint, absterreant, atque efficaciter impedire satagant.*

81. *Quæst. 7.* Quænam vis, & metus dirimat matrimonium? Nota, vim a metu differre, cum vis sit ab externo principio; tollatque vo-

luntarium, metus autem cum voluntario consistere; potest autem oriri a causa intrinseca, vel naturali, ut metus mortis, naufragii, cet. vel ab externa, & libera, nempe ab alio homine. R. igitur 1. vis, seu violentia, ut & metus gravis, injuste incussus ad extorquendum matrimonium, istud irritat in utroque foro. D. Th. cui omnes consentiunt, ex c. *significavit de divort.* Et quidem etiam si intervenerit juramentum; nisi juramentum sit de ponendo consensu libero, quod certe obligat, ut animadvertit Viva q. 4. d. *Matr. a. 3. & 4.* Utrum autem metus gravis irritet matrimonium juræ naturæ, an positivo tantum, disputant TT. quorum multi cum D. Th. tuentur, matrimonium metu gravi initum esse nullum jure naturæ; cum hic contractus perficiatur solo consensu, qui si non careat omni coactione, firmus, & perpetuus esse non potest. Alii stant pro jure tantum Ecclesiastico, cum metus imminuat quidem, sed non tollat voluntarium.

82. R. 2. Ut metus dirimat connubium, debet esse ab extrinseco, sive ab homine; metus enim ab intrinseco exortus, v. g. mortis, naufragii, cet. non irritat matrimonium, 2. debet esse incussus ad finem contrahendi matrimonii; nam si, ad alios fines incutiatur, non tollit libertatem consensus. 3. debet esse injuste incussus; nam si juste inferatur, non tam ab alio inferitur, quam ab ipsomet, qui causam dedit. 4. debet esse gravis, cadens in constantem virum; non censetur enim invitatus contraxisse, qui contraxit ex metu levi; alias in-

numera matrimonia nulla essent. Ad metum autem gravem refertur metus reverentiæ, qualis debetur patri, matri, avo, aliisque locum parentum habentibus, si ad eum accedant verbera, minæ, aut timor gravis mali; secus, si solam pariat quandam erubescerentiam. Quod si contrahatur matrimonium ex metu gravi incusso ab altero ex contrahentibus, iste non potest resilire ratione illatæ injuriæ, ut multi sentiunt; quamquam alii sentiant probabiliter, utique id licere, cum matrimonium fuerit nullum; verum hæc ultima sententia, ut ego sentio, solum potest locum habere, cum injuria potest alia via reparari. Ex data in genere doctrina solvi possunt particulares quæstiones, quæ in hæc materia oriri possunt.

83. Quæst. 8. Quale sit impedimentum Ordo Sacer? R. majores Ordines, quos Sacros vocamus; dirimere matrimonium ejus, qui non coactus eos susceperit. Constat ex c. *diacono*, & c. *litterarum*, & ex *Extrav. antiqua de voto. Sed quod impediatur matrimonium* (Ordo Sacer) ex constitutione Ecclesiæ habet, inquit D. Th. in 4. d. 37. quæst. 1. ar. 1. cui subscribit maxima pars Doctorum contra aliquos docentes, Ordinem Divino jure irritare matrimonium. V. Continuatores Tournely.

Aliud impedimentum est *ligamen*, vi cujus is, qui ligatus est conjugii adhuc viventi, invalide contrahit cum alio. Quod si moraliter certus de morte conjugis, alium accipiat, non peccat; verum si prior forte compareat, tenetur ad eum redire, dimisso posteriore; quia secundum conju-



gium, etsi fide bona contractum, re vera nullum fuit.

84. *Quæst. 9.* Unde oritur impedimentum publicæ honestatis? R. ex sponsalibus, & matrimonio rato; ita ut qui cum aliquo sponsalia, vel ratum matrimonium contraxit, nequeat valide contrahere cum consanguineis ejus cum quo iniit sponsalia, vel matrimonium ratum. Cum hoc tamen discrimine, quod sponsalia post Tridentinum solum irritant usque ad primum gradum, si valida fuerint, minime vero si fuerint invalida; matrimonium vero ratum usque ad quartum, idque etiam si istud fuerit nullum, nisi nullitas sit ex defectu consensus. Non oritur autem hoc impedimentum ex sponsalibus incertis, hoc est, contractis cum persona incerta v. g. cum una ex filiabus: constat ex c. un. de spons in 6. Neque ex conditionatis, si ante impletam conditionem cum alia persona contrahatur per verba de præsentis. Ex declar. Bonif. VIII.

85. Oritur autem impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio clandestino, cum ex declaratione Pii V. oriatur ex quovis matrimonio nullo; modo nullitas non sit ex defectu consensus. Oritur etiam ex sponsalibus validis, etiam postea mutuo consensu, vel alia justa causa dissolutionis, ut constat ex declar. S. Cong. approbata ab Alex. VII. die 5. Jul. 1668. Denique notandum est id, quod habetur in cap. un. de spons in 6. nempe matrimonium ratum invalidum non inducere impedimentum in præjudicium priorum sponsalium. Unde si quis post

sponsalia valide contracta cum una, ducat ejus sororem, antequam rem habeat cum secunda, potest, ac tenetur contrahere cum prima, cum matrimonium fuerit nullum.

86. *Quæst. 10.* Quænam ætas requiritur ad valorem matrimonii? R. ex jure Ecclesiastico requiri in viro annum 14. completum, & in femina duodecim. Hinc nullum est matrimonium impuberum, etiamsi dies tantum pauci desint, ut colligitur ex c. ex litteris: donec compleat puer annum decimum quartum, expectet. Dicunt vero Canones, validum esse matrimonium, si malitia suppleat ætatem, quod in puero locum habet, cum constat eum esse aptum ad generandum & habere cognitionem vinculi conjugalis, quæ reddat consensum perfectum. Ita D. Th. in 4. d. 36. q. un. art. 5. Quod si puer, completo anno ætatis suæ 14. nequeat coire, non ideo ineptus est ad matrimonium; cum ea sit impotentia tantum temporanea, quæ non est inter impedimenta numeranda.

87. *Quæst. 11.* Quid est affirmitas, & quomodo dirimat matrimonium. R. 1. est propinquitas personarum, nata ex copula carnali, sive licita, sive illicita. Gradus affinitatis accipiuntur eadem omnino ratione ac in consanguinitate, ita ut qui est consanguineus uxoris in primo gradu sive rectæ, sive transversæ lineæ, is marito sit affinis in eodem gradu. Hoc autem impedimentum contrahitur, cum vir rem habet cum consanguinea uxoris, vel uxor cum consanguineo viri. Et quamvis de jure antiquo extenderetur usque ad septimum gradum, novo ta-

men jure restrictum est ad quartum gradum ex copula licita, & ex Tridentino ad secundum tantum ex copula illicita. Omnis autem affinitas, orta ex affinitate sublata est per Concilium Lateranense.

88. Ex quo deduces sequentia. 1. qui rem habuit cum sorore sponsæ suæ, cum neutra potest valide contrahere absque dispensatione: imo nec cum earum consobrina, vel matertera. 2. potest quis ducere affinem fratris sui etiam in primo gradu, v. g. duo fratres possunt ducere duas sorores imo pater, & filius possunt ducere matrem, & filiam. 3. Titius potest ducere successive Titiam, & Bertam, quæ fuerunt uxores Caji, & Sempronii fratrum. Pariter Titius, qui duxerat sororem Caji, post hujus mortem, ejusque sororis, potest ducere Bertam uxorem Caji. 4. Post matrimonium si conjux rem habeat cum consanguinea alterius conjugis, contrahit impedimentum ad petendum debitum, modo incestus sit cum consanguineis in primo, vel secundo gradu; quod enim hujusmodi impedimentum non extendatur ultra secundum gradum, constat ex declaratione S. C. confirmata decreto Greg. XIII.

89. An autem metus, & ignorantia excusent ab impedimento petendi debitum? res est incerta. Censeo autem 1. cum communi sententia, metum gravem, sicut excusat a lege Ecclesiastica, sic etiam excusare a pœna, nisi sit in contemptum legis, quomodo DD. interpretantur textus, qui in contrarium afferri solent. Censeo secundo, ignorantiam juris, sive legis humanæ pro-

hibentis probabilius tollere impedimentum, cum pœna sit imposita a lege humana; adeoque is, qui cum ignorantia contra illam agit, sicut excusatur a transgressione legis, ita ab ipsius pœna. Multo magis excusat ignorantia facti, v. g. si quis sciens quidem legem prohibentem petitionem debiti, accedat ad feminam, quam nescit esse sibi consanguineam. Non ita certum est de ignorantia pœnæ, quæ probabilissime non excusat, quamvis alii satis probabiliter contra sentiant.

90. Quæst. 12. Quid de impedimento clandestinitatis? R. matrimonium dicitur late clandestinum, quando fit coram Parocho, & testibus, sed omissis per malitiam denuntiationibus & tunc validum est, sed illicitum. Sed *strictè* loquendo clandestinum dicitur, quod privatim contrahitur absque præsentia Parochi, & testium, atque hoc esse omnino nullum declaravit Concilium Trid. Sess. 24. c. 1. his verbis: *Aut aliter, quam præsentè parochi, vel alio Sacerdote de ipsius parochi, vel ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsentè decreto irritos facit, & annullat.* Verum in locis infidelium, aut hæreticorum ubi Tridentinum non est receptum, matrimonium sine Parocho, & testibus est omnino validum, non secus ac ante decretum Tridentini. Idem dico de matrimoniis infidelium in quocumque loco contrahantur.

91. Quod ad fideles attinet, etiam peregrini nequeunt valide contrahere in loco, ubi receptum est Tridentinum, nisi coram Parocho; quoad contractus enim obligantur legibus loci, in quo contrahunt. Si quis vero se transferret ad locum, ubi non viget Tridentinum, vel illac forte transiret, non potest valide contrahere sine Parocho, & testibus, nisi illuc transferret domicilium. Ita declaratum est a S. C. 14. Aug. 1727. quæ declaratio fuit approbata ab Urbano VIII. & iterum confirmata a Bened. XIV. in ep. *paucis abhinc diebus*, data 19. Martii 1758.

92. Parochus autem est quicumque habet ordinariam jurisdictionem in contrahentes; communiter autem intelligitur parochus domicilii, non tamen originis; item Episcopus, vel ejus Vicarius in sua Diocesi, Vicarius Capituli, & Abbates jurisdictione Episcopali gaudentes circa suos subditos. Parochus autem valide assistit, etiam excommunicatus, & non Sacerdos, potestque alii Sacerdoti vices suas præbere ex Trid. Sess. 24. c. 1. nec requiritur, ut re vera sit Parochus, sed quod habeat titulum, saltem coloratum, ita ut communi errore Parochus iudicetur, nec sit intrusus absque ullo titulo. Potest autem Parochus assistere nuptiis sui parochiani etiam extra parochiam, & adhuc contradicente parochio illius loci, ut scribit Fagn. lib. 4. in c. *quod nobis*, & constat ex pluribus decretis S. C. cum non sit actus jurisdictionis contentiosæ.

93. Ubi duo sunt parochi ejusdem parochiæ, potest quisvis assumi, etiam invito altero. Quod si duo habeant domicilia in diversis parochiis,

multi dicunt adhibendum esse parochum ejus, in qua tunc habitant; sed communissime, & valde probabiliter alii sentiunt matrimonium posse contrahi in quacumque parochia, modo in utraque sponsi æqualem habuerint, vel fere æqualem habitationem, quia in utraque possunt recipere Sacramenta; & confirmatur ex c. 2. *de sepul. in 6.* modo fictitie domicilium non transferatur, ut sæpe S. C. declaravit; secus vero si domicilium vere quis transferat etiam ad finem matrimonii contrahendi. Notat autem Bened. XIV. Parochum ruralem non esse proprium, quando rus itur causa recreationis, non vel pro rusticanis negotiis, ideoque matrimonium valide coram eo celebrari non posse. *Notif. 33. n. 7.* Quod intellige, si sponsus brevi tempore ruri degit, ut ex Barbosa, & aliis colligit Aversa.

94. Ex quamvis ex præcepto adhibendus sit parochus contrahentis illius, in cujus parochia matrimonium celebratur; sufficit tamen ad valorem, si alterutrius pastor assistat, idque etiam extra propriam parochiam. Peccaret tamen graviter parochus, qui in alterius parochia absque ejus Parochi venia sponso solemniter benediceret. Quod ad vagos attinet, isti possunt contrahere coram quolibet parochio, etiam si alter tantum sit vagus; nequit tamen Parochus eis assistere, nisi inquirendo prius de ipsorum, libertate, ut monet Trid. & deinde petendo veniam ab Episcopo, sine qua valide quidem assisteret, sed graviter peccaret. Peregrini autem; qui exiguo tempore domo absunt non possunt contrahere coram parochio loci, ubi sunt pere-

grini; bene vero si alicubi domicilium figunt pro majore anni parte, ut famuli, studiosi, cet. quia contrahunt ibi domicilium parochiale. Alia de militibus, de ægrotis in Hospitali degentibus, de puellis degentibus in *Conservatoriis*, cet. vide apud Auctorem.

95. *Quæst. 13.* Quænam præsentia requiratur in parochio, & testibus? R. non sufficit eorum presentia tantum materialis, sed requiritur etiam moralis, ita ut advertere possint, quid agatur, & de eo testari. Non est tamen opus, ut ipsi videant contrahentes, modo audiant, & intelligant verba contractus, aut saltem videant signa consensus. Valet autem matrimonium, etiamsi Parochus nihil proferat, imo etsi invitus, aut injuria coactus intersit, ut sæpe declaravit S. C. Peccant autem graviter sic contrahentes ob injuriam, quæ irrogatur Sacramento, & Ecclesiæ, cum parochus ut persona publica assistit; & in aliqua Diœcesi prohibetur sub pœna excommunicationis. Notant autem Salmant, & alii, id sine peccato fieri posse, si parochus sine causa nolit assistere, nec Superior adiri possit.

96. *Quæst. 14.* Quænam impotentia dirimat matrimonium? R. impotentia perpetua, & antecedens matrimonium. Quare si temporanea sit orta ex aliquo morbo, aut vitio naturaliter curabili, certe non dirimit matrimonium; neque illud dirimit, si matrimonio superveniat. Quod si antecedit, sed nequeat auferri nisi per miraculum, aut cum peccato, vel periculo mortis, irritat matrimonium ex *c. fratern. de frig. & ma-*

*lef.* Jam vero impotentia ex quatuor capitibus oriri potest; scilicet ex maleficio, ex frigidityte, ex improportione, ex mixtione sextus. Si ex maleficio oriatur, nec ullo remedio humano tolli possit intra triennium, impotentia censetur perpetua, & est impedimentum dirimens, ut docet D. Th. in 4. d. 34. q. un. ad 3. Si maleficio alio auferatur maleficio, quod illicitum est, matrimonium etiam censetur invalidum ex eodem D. Th. & Bonav. Quod si auferatur, amovendo signum, validum, & licitum erit.

97. Si impotentia oriatur ex frigidityte, post triennii experimenta nullum censetur matrimonium. Idem sentiunt D. Th. & Antoninus, cum ex nimio calore nequit haberi copula conjugalis; sed Cabassutius, & Tourne-lyus ajunt, juvenes ea de causa minime separandos, cum tractu temporis fervor ille decrescat, & possint fieri habiles ad generandum. Potest quoque esse impedimentum abominatio viri erga mulierem, si ob ejus deformitatem non possit excitari ad copulam, ut ait D. Th. q. 68. a. 1. ad 5. In quo eventu, non secus ac in maleficio conceditur triennium conjugibus, in quo licet copulam experiri ex *c. laudab.* Aliud impotentie caput est femine improportio ob vasis naturalis arctitudinem. Et quamvis ea tolli possit per incisionem; si mortis sit periculum, matrimonium est tamen nullum. Id certum est ex *c. fratern. de frig.* atque etiamsi cum eo mortis periculo incisa sit, & facta idonea; quod enim ab initio nullum est, tractu temporis non convalescit. Idem di-

cunt DD. multi cum S. Antonino, quoties ex incisione imminet periculum gravis morbi; & quidem practice loquendo verum est, cum etiam tunc temporis non desit morale periculum mortis.

98. Denique impotentia oriri potest ex mixtione sexus, cum alter conjugum est hermaphroditus. Tunc autem si alter sexus prævaleat, eo tantum uti potest; si uterque sit par, ei datur optio; ita tamen, ut quem semel elegerit, semper retineat. Qua ratione valide contrahunt, cum vere sint potentes ad usum generationis. Non ita evirati, & eunuchi, quando carent utroque teste; secus si unum saltem habeant integrum testiculum. Const. ex bulla Sixti V. *Cum frequenter*. Valide autem contrahunt senes, & steriles, quia potentes sunt ad copulam, etsi non prolificum, aut nullum semen emittant. Atque idem est de iis, quæ non edunt fœtum, nisi mortuum, vel non nisi cum periculo vitæ. Impuberes vero ratione utentes jure tantum Ecclesiastico invalide contrahunt, cum eorum impotentia sit temporanea.

99. *Quæst. 15.* Quid de impedimento raptus? Raptus est abductio feminæ de loco in locum matrimonii causa. Hinc non sufficit, si mulier de uno in aliud ejusdem domus cubiculum a viro transferatur, etiamsi per vim illam cognoscat: sufficit vero si transferatur in locum separatum, in quo illa sit sub potestate viri, quamvis ibi eum eo rem non habeat. Debet tamen abduci matrimonii causa; quicquid enim alii contra sentiant, non est

impedimentum raptus feminæ, libidinis tantum exercendæ causa, cum finis Concilii solum fuerit consulere libertati matrimonii. Quare nec impedimentum incurrit rapiens feminam, non invitam, nec repugnantem, licet repugnent parentes. Incurrit tamen pœnas raptoribus impositas. Quid si mulier virum rapiat? Communis est opinio non incurri impedimentum, quod solum a Concilio imponitur viro rapienti.

Nota, raptorem, præter impedimentum, subire excommunicationem ipso jure, sicut & omnes ei auxilium præbentes. Sed non nisi post judicis sententiam subjacet aliis pœnis, puta, dationi mulieris, infamæ, inhabilitati ad dignitates, & amissioni gradus.

## CAPUT VIII.

*De revalidando Matrimonio, & de impedimenti dispensatione.*

100. Nota: Matrimonium potest esse nullum ob impedimentum juris naturæ, vel ob impedimentum ab Ecclesia impositum. Circa 1. nequit Ecclesia dispensare; bene vero circa secundum, ut experientia constat. Ubi vero dubitatur de valore matrimonii contracti, post diligentem inquisitionem præsumi potest esse validum. Quod si de illius impedimento Ecclesiastico est vera probabilitas, & simul de ipsius valore, præsumitur Ecclesia velle in eo, si forte adsit, dispensare propter bonum animarum. Ita DD. communiter.

cunt DD. multi cum S. Antonino, quoties ex incisione imminet periculum gravis morbi; & quidem practice loquendo verum est, cum etiam tunc temporis non desit morale periculum mortis.

98. Denique impotentia oriri potest ex mixtione sexus, cum alter conjugum est hermaphroditus. Tunc autem si alter sexus prævaleat, eo tantum uti potest; si uterque sit par, ei datur optio; ita tamen, ut quem semel elegerit, semper retineat. Qua ratione valide contrahunt, cum vere sint potentes ad usum generationis. Non ita evirati, & eunuchi, quando carent utroque teste; secus si unum saltem habeant integrum testiculum. Const. ex bulla Sixti V. *Cum frequenter*. Valide autem contrahunt senes, & steriles, quia potentes sunt ad copulam, etsi non prolificum, aut nullum semen emittant. Atque idem est de iis, quæ non edunt fœtum, nisi mortuum, vel non nisi cum periculo vitæ. Impuberes vero ratione utentes jure tantum Ecclesiastico invalide contrahunt, cum eorum impotentia sit temporanea.

99. *Quæst. 15.* Quid de impedimento raptus? Raptus est abductio feminæ de loco in locum matrimonii causa. Hinc non sufficit, si mulier de uno in aliud ejusdem domus cubiculum a viro transferatur, etiamsi per vim illam cognoscat: sufficit vero si transferatur in locum separatum, in quo illa sit sub potestate viri, quamvis ibi eum eo rem non habeat. Debet tamen abduci matrimonii causa; quicquid enim alii contra sentiant, non est

impedimentum raptus feminæ, libidinis tantum exercendæ causa, cum finis Concilii solum fuerit consulere libertati matrimonii. Quare nec impedimentum incurrit rapiens feminam, non invitam, nec repugnantem, licet repugnent parentes. Incurrit tamen pœnas raptoribus impositas. Quid si mulier virum rapiat? Communis est opinio non incurri impedimentum, quod solum a Concilio imponitur viro rapienti.

Nota, raptorem, præter impedimentum, subire excommunicationem ipso jure, sicut & omnes ei auxilium præbentes. Sed non nisi post judicis sententiam subjacet aliis pœnis, puta, dationi mulieris, infamiæ, inhabilitati ad dignitates, & amissioni gradus.

## CAPUT VIII.

*De revalidando Matrimonio, & de impedimenti dispensatione.*

100. Nota: Matrimonium potest esse nullum ob impedimentum juris naturæ, vel ob impedimentum ab Ecclesia impositum. Circa 1. nequit Ecclesia dispensare; bene vero circa secundum, ut experientia constat. Ubi vero dubitatur de valore matrimonii contracti, post diligentem inquisitionem præsumi potest esse validum. Quod si de illius impedimento Ecclesiastico est vera probabilitas, & simul de ipsius valore, præsumitur Ecclesia velle in eo, si forte adsit, dispensare propter bonum animarum. Ita DD. communiter.

101. *Quæst. 1.* Quo modo revalidandum sit matrimonium nullum ex defectu consensus? R. 1. si defectus consensus fuit ex utraque parte, necesse est ut uterque consensum renovet, & verbis, aut alio signo externo illum exprimat, cum prior consensus plane fuerit nullus. R. 2. si altera pars fecte consentit, altera vere; iis, qui fecte contraxit, tenetur revalidare matrimonium per verum consensum, & quidem ex iustitia, ut servetur æqualitas. Ita Soto, Salmant. alii. Sed probabilius negant alii multi cum Navarro, eo quod nullum fuerit matrimonium, & uterque liber maneat. Ad id tamen obligabitur fecte consentiens, si aliter reparari nequeant damna innocenti illata. Et quamvis aliqui velint eum, qui valide contraxit, teneri monere conjugem de nullitate matrimonii; communis tamen, ac verior sententia id negat, docens sufficere, ut is, qui ex metu, vel fictione contraxit, liberum deinde ponat consensum. Ita expresse D. Th. Suppl. q. 47. art. 4. ad 2. dicens: *ex consensu libero illius, qui primo coactus est, non fit matrimonium, nisi in quantum consensus procedens in altero adhuc manet in suo vigore; unde si dissentiret, non fieret matrimonium.*

102. Hinc validum redderetur matrimonium, si pars, quæ fecte consentit, post cognitam nullitatem conjugii, suum consensum exprimat per copulam conjugalem, altera parte ignara impedimenti. Tunc enim adest simultas moralis utriusque consensus, quæ requiritur ad valorem contractus. Nec obest, quod si altera pars innocens certior fieret nullitatis matrimonii, forte

non consentiret; id enim non tollit, quo minus re vera consenserit, & consensus moraliter perseveret, quandiu ipse non retractetur: Constat totum id ex c. *insuper 4. qui matrim.*, & ex c. *proposuit 1. de eo, qui, dux.* & denique ex c. *ad id 21 de spons.*, ubi legitur: *quamvis ab initio invita fuisset ei tradita, & renitens, tamen quia postmodum per annum, & dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, & ad ipsum est cogenda redire.*

103. R. 3. Si matrimonium fuit nullum ob occultum impedimentum, sed in facie Ecclesiæ celebratum, non est opus illud denuo redintegrare coram Parocho, & testibus. Ita probabilior, & communior sententia: quia Concilium Trid. præscribit præsentiam parochi, & testium, ut obviam eat incommodis, quæ ex nuptiis clam initis oriuntur. Unde non videtur decreto suo comprehendisse hanc hypothesim, in qua matrimonium fuit publice contractum, adeoque satis erit renovare consensum, ex cuius defectu nullum fuit matrimonium. Ita sæpe declaravit S. Pœnitentiaria, & S. Cong. C. teste Bened. XIV. *notif. 87. m. 62.* Id tamen locum habet, cum impedimentum est occultum; nam si publicum sit, publice matrimonium revalidari debet.

104. Sed quæres: quando censetur occultum impedimentum, cum in litteris S. Pœnitentiariæ dicitur: *modo impedimentum occultum sit.* Responderi solet, illud dici occultum, quod non est publicum majori parti Parochiæ, viciniæ, vel Collegii. Sed ut apposite animadvertit Bened. XIV. tunc Confessario abstinendum est ab exe-

quenda dispensatione, cum ex circumstantiis prudenter conijcere potest impedimentum ex occulto posse fieri publicum. Potest autem aliquando evenire, ut crimen *materialiter* publicum sit vicinæ, sed *formaliter* occultum, nimirum si ignoretur ab illo nasci impedimentum affinitatis, & tunc potest etiam impetrari dispensatio. In impedimento autem criminis solet exigi, ut sit *omnino occultum* ad dispensandum; nequit autem tale appellari, quod per duos testes probari potest. V. laudatum Benedictum.

105. *Quest. 2.* An cum matrimonium fuit nullum ex consanguinitate, vel alio impedimento dirimente, opus sit, ut ablato impedimento, uterque conjux fiat conscius de nullitate matrimonii? R. 1. certum est in ea hypothese requiri dispensationem, ut revalidetur matrimonium. 2. ante absentiam dispensationem, conjugem impedimenti conscius non posse petere debitum, quamvis possit reddere, saltem si non sit ipsi certum impedimentum.

R. 3. Quicquid alii dicant, & nos in 1. editione dixerimus, probabilius censeo, extra casum urgentis necessitatis utrumque conjugem deberi fieri certiores de nullitate prioris matrimonii; maxime cum in litteris S. Pœnitentiariæ apponatur clausula: *ut dicta muliere de nullitate prioris consensus cerciorata, uterque inter se de novo secreta contrahere valeant.* Quamvis enim aliqui sentiant cum Navarro eam clausulam vim non habere conditionis, sed instructionis, potius tamen assentior Bened. XIV. cœntenti eam veram importare conditionem.

106. Quod si ex notitia impedimenti grave damnum timeri possit, eo quod ex separatione conjugum orientur scandala, rixæ, pericula mortis, infamiæ gravis, cet. licitum est uti benigniori sententia, docente sufficere, ut pars conscia impedimenti consensum renovet, curetque, ut pars alia ignara impedimenti ipsum quoque vel expresse, vel in virtute renovet. Sed quo modo id fieri possit, non convenit inter DD. Primus erit, si ab altero dicatur: *quando nupsi non habui consensum verum: nunc ipsum præstare volo: visne & tu ipsum præstare?* Hunc modum præstandi consensum facile DD. admittunt; sed cum periculum sit, ne pars inscia impedimenti illud agnoscat, & separari velit cum periculo gravis damni, alii assignant hanc rationem: *si nullum fuisset nostrum matrimonium, nonne iterum me accipere intendis?* Sed hæc ratio multis non placet; sic enim altera pars non ponit consensum absolutum, & a priore independentem.

107. Tertius modus renovandi consensum, erit, si sponsus, v. g. dicat: *angor scrupulis de valore nostri matrimonii; ideoque renovemus consensum.* Ita Navarrus, Salmant. alii, & quidem hac ratione habetur novus consensus a primo independentens, quamvis notitia certa non sit de nullitate matrimonii. Alios renovandi modos vide apud auctorem, qui ait sufficere copulam affectu maritali habitam, sublato per dispensationem impedimento, quando non sit alius modus exprimendi consensum sine periculo gravioris damni, vel scandali; sed hoc



scandalum, ait Sanctius, ut plurimum timeri non potest, si impedimentum se habeat ex parte viri. Consule laudatum Bened. XIV. *notif.* 87. n. 74.

108. *Quest. 3.* In quibus impedimentis possit Papa dispensare? R. 1. potest certe in impedimentis juris Ecclesiastici; quia ejus est tollere impedimentum, cujus est ponere. R. 2. in impedimento juris naturæ non potest quidem Papa dispensare, potest autem, urgente gravi necessitate, declarare validum esse matrimonium, non obstante impedimento, quod illi probabiliter obest jure naturæ, ut re ipsa declaravit Clem. XI. 2. Apr. 1701. de matrimoniis a quibusdam populis Indiarum valide contractis. *De Pontificis autem potestate, postquam dispensavit, dubitare, instar sacrilegii est, inquit Bened. XIV. de Syn. Diœc. c. 6.*

109. *Quest. 4.* An, & quando Episcopus dispensare possit in impedimento dirimente? R. 1. nequit Episcopus dispensare ante contractum matrimonium, nisi impedimentum sit occultum, & gravis urgeat necessitas, v. g. ad legitimandam prolem, vitandam infamiam, vel alia gravia damna; tunc enim aut nulla est reservatio, aut Papa censetur tacite consentire. Quod si impedimentum sit publicum, id non potest Episcopus, cum esset ratio scandalii, & sponsi debeant a nuptiis desistere. R. 2. in impedimento dirimente matrimonium jam contractum non potest Episcopus ordinario jure dispensare, nisi tacite consentiente Pontificè in vera necessitate, cum non est fa-

cilis aditus ad ipsum. Ut vero Episcopus possit ita dispensare, requiritur, ut matrimonium bona fide contractum fuerit, saltem ex parte unius conjugis. Nam si uterque contraxit mala fide, separandus est ex Trid. Sess. 24. c. 5. dicente: *Si quis inter gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spz dispensationis consequendæ careat... non enim dignus est, qui Ecclesia benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit.* Episcopus autem, qui urgente necessitate potest dispensare, potest etiam aliis delegare facultatem dispensandi, ut communis est opinio DD. si paucos excipias.

110. *Quest. 5.* Quinam possint dispensare in impedimentis tantum impediens? R. 1. ex ordinaria potestate possunt Episcopi dispensare ad contrahendum matrimonium, exceptis voto castitatis perfecto, & sponsalibus prioribus. Possunt quoque dispensare in impedimentis, matrimonio advenientibus, quæ impediunt petitionem debiti, v. g. cognationis spiritualis, vel affinitatis: pariter in matrimonio contracto ab habente votum castitatis possunt dispensare quoad petendum debitum, sive votum præcesserit, sive subsecutum fuerit matrimonium. R. 2. Regulares ex privilegio possunt cum facultate Provincialium dispensare ad petendum debitum conjugale. Imo & aliqui DD. concedunt Regularibus potestatem dispensandi: in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, urgente gravi necessitate. Sed contra dicunt Suarius, Sanctius, Sporer, aliique communiter.

111. *Quest. 6.* Quænam sufficiat causa, ut licite dispensetur in impedimentis dirimentibus. R. requiritur justa causa, eoque gravior, quo gradus affinitatis, vel consanguinitatis est propinquior. Inter causas autem assignatas numerantur 1. extinctio gravis odii, vel litis inter propinquos. 2. ablatio scandali. 3. inæqualitas matrimonii, nisi nuptiæ fiant inter propinquos. 4. defectus justæ dotis. 5. conservatio facultatum in eadem cognatione. 6. merita petentis dispensationem. 7. instauratio matrimonii bona fide contracti, vel etiam mala, si matrimonium fuerit consummatum, vel adsit fama de copula habita. 8. necessitas auxilii, puta, si mulier ex defectu viri non possit litibus assistere, vel filiis suis providere. Item ætas feminae, ex edens 24. annum. Denique periculum perversionis a fide. Addunt aliqui pro causa facillioris dispensationis subministrationem pecuniæ in subsidium pauperum vel alterius operis pii, ut fieri solet ex præcepto Innoc. X. Hanc causam non esse admittendam censet Concina, præsertim jubente Trident. ut dispensationes fiant omnino gratis, & aliter ansa detur hæreticis mussitandi. Nihilominus eam esse causam justam dispensandi præter alios multos DD. docet Bened. XIV. *Notif. 87. n. 26.* cum Pallavicino.

112. Hic tamen notare oportet 1. fieri posse, ut aliqua ex adductis causis non sufficiat, quæ tamen simul cum aliis satis sit ad obtinendam dispensationem. 2. ut dispensatio non sit subreptitia, explicanda sunt omnia impedimenta, quæ adsunt, item cognatio sive carna-

lis sit, sive spiritualis; item gradus, linea, & an recta sit, an transversa. Quod si manifestetur remotior gradus consanguinitatis, vel affinitatis, reticendo propinquiores, secundum aliquos invalida est dispensatio; secundum alios vero erit quidem illicita, sed non invalida, modo propinquitas non sit in primo, vel secundo gradu. Si dubitetur, an causa allegata vera fuerit, vel falsa, vel an ea, quæ falso est allegata, fuerit finalis, vel impellens tantum? in his, & aliis dubitationibus dispensationem subsequentibus standum est pro valore dispensationis obtentæ. 3. cum petitur dispensatio pro matrimonio contrahendo inter propinquos, explicanda est copula incestuosa inter ipsos habita ad finem obtinendæ dispensationis; aliter nulla evadit dispensatio. Constat ex bulla Innoc. XII. renovata a Bened. XIV. per bullam *Pastor bonus*. Imo etsi copula fuerit habita sine pravo animo facilius obtinendæ dispensationis, quicquid alii dicant, reticere non debet copulæ circumstantia, quæ difficiliorem reddit dispensationem. Legatur textus laudatæ bullæ: *Pastor bonus*, ex qua disci possunt alia multa ad praxim dispensationis pertinentia.

113. Formula autem petendæ dispensationis a S. Pœnitentiarum ad contrahendum, sive revalidandum matrimonium erit hujusmodi.

Eminentissime, & Reverendissime  
Domine.

Exponitur humiliter Eminentiæ V. pro parte

devoti illius Oratoris N. (vel Titii, vel alterius ficti nominis) quod postquam idem Orator carnaliter cognovit Fa. iam, postea ignarus impedimenti, bona fide (vel conscius impedimenti) tractatum habuit de contrahendo matrimonio cum sorore Fabiæ; & nisi ad effectum deductu, cum tractatus sit publicus, & occultum impedimentum, exinde scandala verosimiliter exoritura sint; cupit Orator de præmissis absolvi, & secum dispensari. Quare humiliter supplicat Eminent. V. ut super his de opportuno remedio auctoritate Apostolica providere dignetur.

Dignetur Eminentia V. responsum dirigere ad me infrascriptum. N. Hic exprimendum nomen, & cognomen illius, ad quem rescribendum est, & oppidum, vel Civitas, ad quam mittenda est responsio, idque vulgari lingua. Si vero contractum jam sit matrimonium in facie Ecclesie cum impedimento, id exprimi debet pro dispensatione obtinenda. Idem fere stylus servari debet, dum petitur dispensatio voti castitatis ad ineundum matrimonium. Epistola autem signata exterius scribatur: Eminentissimo, & Reverendissimo Domino, Domino Cardinali Majori Penitentiario.

114. Dispensatio autem committi solet Doctori in Theol. vel Jure Canonico, vel si is haberi nequit, Confessori ab Episcopo approbato, qui non potest litteras aperire, nec exequi dispensationem, nisi audita prius Confessione; & statim litteras lacerare debeat, ut præscribi solet in ipsis litteris. Potest autem Confessarius uti hac, vel simili formula post datam Sacra-

mentalem absolutionem: Et insuper auctoritate Apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento primi (seu secundi, seu primi, & secundi) gradus, proveniente ex copula illicita a te habita cum sorore mulieris, cum qua contraxisti (vel contrahere intendis) ut matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu; & prolem, si quam suscepisti (vel suscipies) legitimam declaro. In nomine Patris, c.t. Simili fere ratione utatur in dispensatione a voto castitatis. Legesis Bullam Bened. XIV. quæ incipit, Dei miseratione, ubi præscribitur forma procedendi in omnibus casibus nullitatis matrimonii.

## LIBER VII.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS, ET DE  
IRREGULARITATE.

### TRACTATUS PRIMUS.

DE CENSURIS IN GENERE.

#### CAPUT PRIMUM.

*Quid, & quotuplex sit Censura Ecclesiastica,  
& quis, & in quos possit eam conferre.*

1. *Quæst. 1.* Quid est Censura Ecclesiastica? R. est poena spiritualis, & medicinalis, per quam homini baptizato, delinquenti, & contumaci aufertur usus quorundam bonorum spiritualium. Quo nomine veniunt actiones externæ, & publicæ, quæ habent spiritualem aliquem effectum, ut sacrificium, officium Divinum, beneficium, administratio, & susceptio Sacramentorum, indulgentia, publica Ecclesiæ suffragia; quia hæc subsunt potestati Ecclesiæ. Unde non privatur homo bonis mere internis, nec privatis, v. g. fide, caractere, gratia, nec communione SS. quæ ex gratia in radice derivatur. Nec privatur bonis temporalibus, nisi aliquando minus præcipue, & secundo, v. g. humano convictu. Hinc degradatio, vel

depositio non est censura, quia licet sit poena spiritualis, non tamen medicinalis, sed perpetua, & ob peccatum, etiam emendatum potest infligi. Ita verior sententia contra paucos, & colligitur ex c. *quærenti de Verbi signif.* Nec cessatio a Divinis est censura, nec irregularitas, ut postea dicemus.

2. *Quæst. 2.* Quotuplex est censura? R. dividitur 1. in excommunicationem, suspensionem, & interdictum, de quibus dicemus postea sigillatim. 2. in eam, quæ est a jure, & eam, quæ ab homine. Prima fertur per Canones, Constitutiones, vel statuta Ecclesiastica, stabili lege, ac permanente. Secunda fertur a iudice Ecclesiastico per modum mandati, vel sententiæ judicariæ, sive sit particularis, quæ certas personas, & factum aliquod singulare respicit; sive generalis, quæ nulla singularis facti, aut personæ determinatione fertur. Hinc censuræ, quas fert Episcopus in Synodo diocæsana, dicuntur latæ per modum statuti, & juris, durantque post mortem Episcopi. Quæ vero extra synodum ab eo latæ sunt, vim habent, præcepti, ac sententiæ, cessantque post mortem ferentis. Ita Salm. Roncaglia, & alii.

3. Dividitur 3. in censuram latæ sententiæ, & ferendæ. 1. est ea, quam iudex, aut jus statuit ipso facto, quo quis v. g. contra legem facit, sine alia sententiâ incurram. 2. dicitur, quam iudex, aut jus non vult ipso facto incurri, sed per sententiâ infligi. Dum verba sunt ambigua, putanda est sententiæ ferendæ ex reg. 49. juris in 6., eo quod in

dubio circa pœnas benignior interpretatio sit facienda. Ad dignoscendum autem, utrum censura sit *latæ* sententiæ, an *ferendæ*, attendenda sunt ipsius verba, quæ si includant alterius actionem, seu ministerium, erunt *ferendæ* sententiæ: *latæ* vero, si non includant. Hinc erit sententiæ *latæ* 1. si verba sint præteriti, aut præsentis temporis v. g. *excommunicavimus, excommunicatus fuit, excommunico, interdictum volo*, cet. 2. si addatur ipso jure, *ipso facto, vel sine alia sententia* 3. si verba sint modi imperantis: *incidat in excommunicationem, maneat interdictus*. Quod si dicatur *excommunicetur, suspendatur*, cet. attendendum est, an præceptum excommunicandi alteri, v. g. Episcopo imponatur, & tunc erit *ferendæ* sententiæ; si vero absoluto modo, & imperante dicatur, erit *latæ* sententiæ, quia nullus ministerio indiget.

4. Ut plurimum autem non est nisi *ferendæ* sententiæ censura, quæ fertur sub verbis futuri temporis. Item comminatoria sub pœna *excommunicationis*, nisi aliud ex adjunctis colligatur. Pariter: *volumus excommunicari suspendi*, cet. Si autem dicatur *excommunicatus sit, anathema sit*, alii volunt esse *latæ*, sententiæ, alii *ferendæ*, utriusque probabiliter, nisi fiat contra hæresim, tunc enim *latæ* sententiæ censura est dicenda.

5. *Quæst.* 3. Cujusnam sit ferre censuras? R. 1. est de fide contra novatores, Ecclesiæ inesse potestatem ferendi censuras, quibus suos subditos bonis spiritualibus privet. Ita Conc.

Const. sess. 8. cor. 3.; & ex bullis Mart. V. & Leonis X. aperte constat. Quam consuetudinem non esse recens inventam, sed a primis Ecclesiæ sæculis usitatam, erudite probat Bened. XIV. de Synodo lib. VII. R. 2. eas ferre potest omnis, & solus Superior Ecclesiasticus, habens in foro externo jurisdictionem ex illo Matth. 16.: *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis*: & Matth. 18. *quæcumque alligaveritis*, cet.

6. Potestas hæc alia est *ordinaria*, & convenit Papæ quoad universam Ecclesiam, & Episcopis quoad suos subditos, atque etiam Vicario generali Episcopi, quod tamen negant aliqui. Eam quoque habent Concilia non solum generalia, sed etiam Provincialia, & Capitulum Sede vacante, & pro eo Vicarius Capitularis. Pariter Generales, Provinciales, & Superiores locales Ordinum Religiosorum, uti & Capitula eorum, & Congregationes, ex concessione autem multi Archidiaconi, Decani, & Archipresbyteri. Denique omnes, qui per communem errorem cum titulo præsumpto tanquam Superiores habentur, ex l. *Barbarius*, ff. *de off. Præt.* Alia est *delegata*, eaque convenit iis, quibus committitur ad habentem ordinariam potestatem, cujus morte expirat, nisi causa a delegato jam fuerit incepta, etiam per solam citationem ex c. *gratum de off. deleg.* Delegatus autem non potest hanc potestatem alteri delegare, nisi sit a Pontifice delegatus ex c. 3. *de Off. Deleg.*

7. Hinc non possunt ferre censuram potes-

tate ordinaria Parochi, ut docet D. Th. quia per consuetudinem est eis abrogata potestas, illis concessa ex jure communi. 2. laici, cum non sint in Ecclesiastico ordine constituti; ex Papæ tamen dispensatione id possunt, ut fert communis sententia. 3. fœminæ, etiam Abbatissæ, & quidem nec ex delegatione R. Pontificis, cum potestas claviuin non possit mulieribus committi. Ita D. Th. Salm. & alii contra aliquos. 4. non baptizati, cum ii, qui in Ecclesia non sunt, nequeant exercere Ecclesiasticam potestatem, neque ordinariam, neque delegatam. 5. neque amentes, & ratione carentes, censura enim non habet vim nisi juxta intentionem ferentis illam, ut constat ex c. *cum voluntate de sent. Excomm.* Denique neque ille qui jurisdictionem habet impeditam, ut excommunicatus, suspensus, hæreticus, aut schismaticus. Imo censuram ferens debet libere agere, & non coacte ex c. *cum volunt.* quamvis si ex metu gravi lata sit, valida est ex communi sententia.

8. *Quest. 4.* In quos potest ferri censura? R. in omnes, & solos subditos Ecclesiasticæ potestati. Hinc censura ligari nequeunt 1. non baptizati, etiamsi sint catechumeni, quia non subjacent jurisdictioni Ecclesiæ; bene vero hæretici, apostatæ, & schismatici, qui per baptismum in Ecclesiam sunt ingressi. 2. nec mortui, qui si aliquando excommunicari dicuntur, id non ita est intelligendum, ut de novo ligentur, sed tantum declaratur eos, dum in vivis erant, fuisse excommunicatos, ac vi-

vis prohibetur, ne pro ipsis orent, eos sepeliant; cet. Pariter dicuntur absolvi, dum sepultura, & publicæ orationes pro eis permittuntur. 3. perpetuo amentes, quia non sunt capaces culpæ; adeoque nec pœnæ; sed ii, qui ad tempus mente carent, sicut & ebrii, & dormientes, ligantur censuris, quibus causam dederint, quo tempore erant rationis compotes. 9. Quod attinet ad impubes, dolli capaces, illi certe ligari possunt censura, si ea feratur per modum præcepti, ut nemo negat; secus vero, si feratur per modum sententiæ, cum sese in judicio defendere non valeant nisi ægermine. Ita multi TT. quibus tamen repugnant alii cum Suario, eo quod se defendere possint per alium. Illud tamen est certum, ab impubere non subiri censura a jure, vel ab homine, nisi contra exprimatur in lege, ut exprimitur in probatione de ingressu puerorum in monasteria Monialium, & de Clericorum percussione.

10. Censura quarto non ligantur ii, qui subditi non sunt: unde Papa nequit excommunicari nisi a Conc. Generali, si incidat in hæresim; ex c. *si Papa d. 40.* Nec Episcopi, nisi a R. Pontifice, aut a jure, cum de ipsis expressa mentio fiat; quod tamen aliqui solum intelligunt de suspensione, & interdictio, sed non de excommunicatione, cui subjacere volunt Episcopos; etiamsi in lege nulla de ipsis fiat mentio. Reges autem, & Reginæ, quamvis subditi sint Episcopis in spiritualibus, jure tamen novo non possunt ligari

censuris, nisi a R. Pontifice, ut ait S. Antoninus, cui alii multi subscribunt. Neque Episcopi possunt censuris afficere non subditos; imo neque subditos in aliena diocesi, cum nequeant jurisdictionem exercere extra propriam diocesim. Excipiuntur aliqui casus, puta manifesta contumacia, vel causæ jam cognitæ in propria diocesi, vel si censura fertur per modum præcepti, vel Episcopo loci consentiente. Constat ex c. *Clemens quavis*, Absolvere autem Episcopus a censuris potest subditum extra propriam diocesim existentem, modo id fiat sine strepitu judicii. Excipiunt etiam multi casus, in quo subditus delictum commiserit in propria diocesi; aliter reus puniri non posset.

11. *Quæst. 5.* Quas ob causas ferri possit censura? R. cum omnis censura pœna sit gravissima, sine gravi causa imponi non potest. Itaque invalida est censura, quæ ob levem culpam injungatur, ut colligitur ex Trid. Sess. 25. c. 3. de *reform.* Sed materia in se levis ex adjunctis potest gravis evadere, adeoque digna præcepto, & censuris. Sic levis Clerici percussio censetur res gravis, attentæ reverentiæ debita statui Clericali. Sic etiam Prælati potest sub gravi pœna cogere Clericos, ut supplicationibus assistant, ut ne comam nutriant, & similia, quæ licet in se levia, gravia tamen sunt in ordine ad finem intentum. Cum dubitatur autem de materiæ gravitate, valida est censura, quia possidet Superioris potestas. Levis suspensio, vel interdictum ad breve tempus, privans aliquo tantum usu sacrorum im-

poni potest pro levi culpa; sed non ad omnem usum, vel ad longum tempus. Suar. d. 4. S. 4. n. 2.

12. Non potest ferri censura, nisi peccatum sit grave, vel in se, vel ratione scandali, vel ratione finis intenti, & quidem conjunctum cum contumacia. Debet quoque esse externum, nec satis est, quod ex prava intentione fiat grave, nisi actio quoad substantiam exterius sit mortalis. Unde qui leviter percutit Clericum, etsi cum animo graviter percutiendi non incurrit censuram. Imo actus peccati in suo genere debet esse perfectus, & consummatus, nisi aliud expriment verba legis. Quare dum excommunicatur homicida, non ideo excommunicatur consulens, vel mandans homicidium; quod si etiam in mandantes lata sit censura, ea non comprehendit mandantes, effectum non secuto. Utrum autem censuram incurras, si dubites, an tuum mandatum influxerit, an non? Negant Salmant.; sed affirmant La-Croix cum Sanctio: utrumque est probabile.

13. *Quæst. 6.* Quænam excusent a censura? R. ea omnia, quæ excusant a peccato mortali, scilicet, parvitas materiæ, impotentia legem implendi, defectus deliberationis, & advertentiæ, & ignorantia invincibilis, sive juris, sive facti. Itaque ignorans aliquid esse prohibitum jure Divino, vel Ecclesiastico, censuræ non subjacet; pariter ignorans illud esse veritum sub censura, quia deest contumacia, & contemptus. Excusat etiam ignorantia invincibilis, sive antecedit, sive comitetur delictum: hinc occidens eum, quem nescit esse Cleri-

cum, non incurrit censuram, quamvis esset eum quoque occisurus, si scivisset; ille enim animus non influit in Clerici occisionem. Si quis tamen dicat: *volo hunc hominem occidere, etiam si sit Clericus*, & revera Clericum interficiat, excommunicationem non effugiet.

14. Sed a censura non excusat ignorantia affecta, ut docent multi cum Suario, quamvis alii contrarium doceant, excepto casu occisionis Clerici. Excusatur autem qui legem transgreditur ex gravi metu, quamvis a culpa sæpe non excusetur. Notandum est autem censuram non incurri, ubi non intercedit violatio legis Ecclesiasticæ, etiamsi violetur lex naturalis, vel Divina. Nec ferri potest censura ab homine ob peccatum præteritum, nisi illud forte respiciat futurum ratione scandali, vel restitutionis non factæ, vel perseverantiæ in peccato post monitionem. Ita S. Th. & cum eo Suar. & communis, eo quod desit contumacia. Quod si aliquando quis ob culpam præteritam, & forte sine culpa, sed justa de causa arceatur ab aliorum consortio, altari, communionem, cet. ea proprie non est censura, quamvis late dicatur etiam in jure excommunicatio, vel suspensio. Pro crimine autem futuro nequit Episcopus per sententiam ferre censuram ex *c. Romana de sent. Excomm.* quamvis probabile sit id fieri aliquando posse, si adsit justa causa; atque ita usu receptum est.

15. *Quæst. 2.* An censura sine monitione sit valida? R. 1. Censura, quæ fertur a jure vel per sententiam generalem, vel etiam specia-

le respectu actionis futuræ, non indiget monitione, cum lex ipsa, vel sententia per sese satis admoneat. Pariter monitio prævia non requiritur in suspensione, vel interdicto particulari (secus in generali) cum non feruntur per modum censuræ, sed meræ pœnæ ad punitionem peccati præteriti, ex *c. tum litteris 33. de testibus*. Idem dico de sententia, qua declaratur tantum censuram esse incursum, dum evidenter constat delictum esse commissum, cui censura est annexa.

16. R. 2. Cum censura fertur ab homine per sententiam particularem, ad ejus valorem requiritur prævia monitio canonica, id est trina juxta præscripta Canonum. Etsi aliquando ex justa causa sufficiat una, tribus æquivalens, v. g. *monito te semel pro tribus vicibus*. Requiritur etiam, ut monitio scripto recitetur, ut causa censuræ exprimat, ut reo petenti exemplum scripturæ intra mensem tradatur; alioquin iudex ipse suspenditur a divinis. Constat ex *c. reprehensibilis de appellatione*; & ex *c. statuimus de sent. Excomm.* Probatur autem ex *Matt. 18. si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus*. Quæ verba demonstrant, Ecclesiam non habere potestatem ferendi censuras, nisi contra contumaces. Atque hinc docet communior sententia DD. eam monitionem præmittendam esse non solum ex præcepto Ecclesiæ, sed ex essentia ipsius censuræ; quamvis non improbabilis sit doctrina Suarii, & aliorum, qui putant Ecclesiam ex plenitudine potestatis posse censuras ferre, nulla monitione præmissa, idque non-



nullis exemplis confirmant. V. Cont. Tournelyi.

17 Quod ad monitionem canonicam spectat, notandum est præterea: 1. pro unaquaque monitione requiri spatium saltem duorum dierum, adeoque si una pro tribus monitis adhibeatur, assignandum est spatium sex dierum, ut quis reus contumax dicatur. Verum urgente causa spatium illud ad unum diem, vel si oporteat, ad brevius tempus redigi potest. 2. monitio facienda est ab ipso iudice, vel ab alio ipsius nomine, & quidem in scriptis; nisi ob bonum commune expediat fieri oratenus, sed ita ut in foro probari possit, ex *c. Vener. de sent. Exc.* 3. si censura ferenda sit contra plures generatim, sufficit, ut monitio in Ecclesia fiat coram populo: si interdictum feratur contra Communitatem, satis est eos moneri, ob quorum culpam fertur. Quod si censura in particularem personam feratur, ipsa nominatim est monenda. Aliquando tamen monitio contra ipsam fieri potest in Ecclesia, vel alio publico loco; scilicet cum reus absconditur, aut fraude impedit monitionem: dolus autem constare debet testibus, aut manifestis indicis. Item cum reus semel est personaliter citatus, aliarum citationes fieri possunt domi, in Ecclesia, vel tribunali ex *Clem. 3. de Elect.* Alia de ratione ferendi censuras vide apud auctorem.

18. *Quæst. 8.* Quando invalida sit censura ex defectu justæ causæ? R. si causa nec in se iusta sit, nec secundum allegata fori externi subsistat; imo si causa alioqui sit iusta, sed iudice probari nequeat. Quod si re ipsa cri-

men non subsistat, iudice tamen probetur, adeoque titulum præsumptum habeat iudex, probabilis non ligat in foro conscientiæ, quamvis in foro externo servari debeat ad vitandum scandalum. Cum vero dubitatur, utrum censura fuerit iusta, necne? iudicandum est fuisse justam, quia in dubio possidet iudicis potestas. Ita Suarius, Vazquius, & alii contra paucos alios. Imo etsi reus pro se opinionem habet probabilem, tenetur parere iudici præcipienti sub censura, v. g. solutionem pecuniæ; alias lites nunquam finirentur.

## CAPUT II.

## De absoluteione a censuris.

19 *Quæst. 1.* Quis potest absolvere a censuris latis à iure? R. certum est ab eis posse absolvere Episcopum, vel proprium Sacerdotem, si non sint reservatæ, ut constat ex *c. nuper de sent. Excomm.* Idem possunt Capitulum, Sede vacante, Prælati Religiosorum Ordinum, & omnes, qui gaudent iurisdictione quasi Episcopali. An autem ab eis possint absolvere & parochi, & alii Confessarii quicumque? negant aliqui cum S. Anton. eo quod requiratur iurisdictionis in foro externo, qua carent isti. Affirmat tamen sententia communis cum S. Th. *suppl. q. 24. a. 2.* ubi ait: *Si excommunicatio sit major, aut est lata a iudice, & sic ille, qui tu-rit, vel ejus Superior potest absolvere; vel est lata a iure, & tunc Episcopus, vel etiam Sacerdos*

nullis exemplis confirmant. V. Cont. Tournelyi.

17 Quod ad monitionem canonicam spectat, notandum est præterea: 1. pro unaquaque monitione requiri spatium saltem duorum dierum, adeoque si una pro tribus monitis adhibeatur, assignandum est spatium sex dierum, ut quis reus contumax dicatur. Verum urgente causa spatium illud ad unum diem, vel si oporteat, ad brevius tempus redigi potest. 2. monitio facienda est ab ipso iudice, vel ab alio ipsius nomine, & quidem in scriptis; nisi ob bonum commune expediat fieri oratenus, sed ita ut in foro probari possit, ex *c. Vener. de sent. Exc.* 3. si censura ferenda sit contra plures generatim, sufficit, ut monitio in Ecclesia fiat coram populo: si interdictum feratur contra Communitatem, satis est eos moneri, ob quorum culpam fertur. Quod si censura in particularem personam feratur, ipsa nominatim est monenda. Aliquando tamen monitio contra ipsam fieri potest in Ecclesia, vel alio publico loco; scilicet cum reus absconditur, aut fraude impedit monitionem: dolus autem constare debet testibus, aut manifestis indicis. Item cum reus semel est personaliter citatus, aliarum citationes fieri possunt domi, in Ecclesia, vel tribunali ex *Clem. 3. de Elect.* Alia de ratione ferendi censuras vide apud auctorem.

18. *Quæst. 8.* Quando invalida sit censura ex defectu justæ causæ? R. si causa nec in se iusta sit, nec secundum allegata fori externi subsistat; imo si causa alioqui sit iusta, sed iudice probari nequeat. Quod si re ipsa cri-

men non subsistat, iudice tamen probetur, adeoque titulum præsumptum habeat iudex, probabilius non ligat in foro conscientiæ, quamvis in foro externo servari debeat ad vitandum scandalum. Cum vero dubitatur, utrum censura fuerit iusta, necne? iudicandum est fuisse justam, quia in dubio possidet iudicis potestas. Ita Suarius, Vazquius, & alii contra paucos alios. Imo etsi reus pro se opinionem habet probabilem, tenetur parere iudici præcipienti sub censura, v. g. solutionem pecuniæ; alias lites nunquam finirentur.

## CAPUT II.

## De absolute a censuris.

19 *Quæst. 1.* Quis potest absolvere a censuris latis à iure? R. certum est ab eis posse absolvere Episcopum, vel proprium Sacerdotem, si non sint reservatæ, ut constat ex *c. nuper de sent. Excomm.* Idem possunt Capitulum, Sede vacante, Prælati Religiosorum Ordinum, & omnes, qui gaudent iurisdictione quasi Episcopali. An autem ab eis possint absolvere & parochi, & alii Confessarii quicumque? negant aliqui cum S. Anton. eo quod requiratur iurisdictione in foro externo, qua carent isti. Affirmat tamen sententia communis cum S. Th. *suppl. q. 24. a. 2.* ubi ait: *Si excommunicatio sit major, aut est lata a iudice, & sic ille, qui tu-rit, vel ejus Superior potest absolvere; vel est lata a iure, & tunc Episcopus, vel etiam Sacerdos*

potest absolvere. Ratio autem est, quia licet ex jure ordinario hanc facultatem non habeant illam tamen habent ex concessione Innocentii III. qui in c. nuper. 29. inquit: *In secundo casu* (quod excommunicatio non sit reservata) *a suo Episcopo, vel a proprio Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtineri*: cet. Nomine autem proprii Sacerdotis hic venit quilibet Sacerdos approbatus ab Ordinario.

20. Atque hujusmodi absolutio impertiri potest tum intra, tum extra Confessionem, & valet etiam pro foro externo, cum favores Principis, quoad fieri possit, sint ampliandi. Neque solum hæc facultas extenditur ad excommunicationem, sed ad omnes alias censuras non reservatas. Sunt etiam, qui affirmant, a minore excommunicatione posse absolvere etiam simplicem Sacerdotem non approbatum; sed hæc sententia omnino rejicenda est cum Suarrio, Soto, & aliis, tum quia in c. nuper dicitur excommunicatio minor absolvenda esse vel ad Episcopo, vel a proprio Sacerdote, qui sane intelligi nequit simplex Sacerdos; tum quia juxta decretum Innoc. XI. hodie vetitum creditur Sacerdotibus simplicibus absolvere a venialibus.

21. *Quest. 2.* Quisnam possit absolvere a censuris latis ab homine? R. si censura lata sit per modum sententiæ particularis contra definitam personam, non potest ab illa absolvere nisi is, qui eam tulit, vel ejus Superior, aut successor ejus, aut delegatus. Est certum apud omnes. Quod si iudex in foro externo testetur, eum, contra quem lata est censura, vel emenda-

tum esse, vel parti contrariæ jam satisfacisse, tunc censetur vel ipse absolvere, vel cuilibet absolvendum remittere, ut notant Salmant. Si vero sententia feratur ab homine ad instar statuti, vel sententiæ generalis contra personas indefinitas, vel in futurum, v. g. in omnes, qui hoc crimen patrarint, vel in præteritum contra eos, qui hoc crimen commiserunt; probabilius censeo, absolutionem dari posse a quocumque Confessario, modo censura non sit reservata; quia censuræ sic latæ comparantur censuris latis a jure. Ita Toletus, Layman, Roncaglia, Concina contra Suarrium, Vazquium & alios.

22. *Quest. 3.* An Episcopus absolvere possit a censuris Papæ reservatis? R. Ante omnia notanda sunt verba Trid. Sess. 24. c. 6. dicentis: *liceat Episcopis in irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes sibi subditos in diocesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientie gratis absolvere, imposita penitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientie eis tantum non eorum Vicariis sit permissum.* Ex quibus Trident. verbis deducet 1. Episcopus posse absolvere in foro conscientie vel per se, vel per alium ab omni censura occulta, etiam reservata, excepta hæresi occulta, a qua per se tantum possunt absolvere. 2. crimen dici occultum, quod non est in foro externo saltem per unum testem probatum; vel

saltem notum non sit omnibus; vel majori parti oppidi, vicinæ, parochiæ, vel collegii, aut monasterii, in quo reus degit.

23. Deduces 3. non posse ab Episcopo absolvi reum criminis Papæ reservati, quoa din foro alterius Episcopi in judicio sit punitum; quia licet tunc iudicii satisfactum sit, tamen crimen manet publicum, & ut tale omnino est Pontifici reservatum. Ita communior, & verior sententia cum Suario contra aliquos. Probabile autem est, crimen in uno loco publicum absolvi posse ab Episcopo in alio, ubi est occultum; modo timeri nequeat ne etiam in eo loco fiat publicum. 4. nomine Episcoporum venire omnes jurisdictionem Episcopalem habentes, se nec hi, nec illi hanc facultatem habent, ubi Tridentinum non est receptum. Ita Fagnanus in c. *dilectus* 15. de *Temp. Ordin.* ubi ait, declaratum fuisse a Greg. XIII. eam facultatem nec Cardinalibus convenire, etsi Ecclesiarum Urbis titulum habeant.

24. Deduces 4. quicquid aliter docuerint aliqui DD. facultatem prædictam a Trid. Episcopis concessam, revocatam esse per Bullam Cœnæ quoad hæresim, & alios casus in ea reservados. Ita sæpè declaratum esse a S. C. ajunt Fagnanus, & Pittonus, atque ita sentiendum esse, docet Bened. XIV. de *Syn.* lib. 7. c. 32. qui testatur P. Suarez primum censuisse probabilem contrariam sententiam, sed postea in Tract. de fide d. 1. §. 2. illam dixisse omni probabilitate destitutam.

25. Confirmat id ipsum laudatus Bened. XIV.

auctoritate S. Pii. V. & Greg. XIV. qui de hac re nominatim rogati respondisse feruntur, nulli præter Papam integrum esse absolvere ab hæresi etiam occulta. Accedit damnatio propositionis 3. ab Alex. VII. proscriptæ, quæ agebat: *sententia asserens bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt; & id non derogare facultati Tridentini, qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 19. Junii in Consistorio S. C. Emin. Cardin. visa, & tolerata est.* Ex his omnibus concludit Bened. XIV. *Episcopos non sine temeritatis nota hanc auctoritatem posse sibi ostentare, & tanto minus delegandi.*

26. *Quæst. 4.* An Episcopi possint absolvere a censuris Bullæ Cœnæ impeditos Romam adire? R. omissis aliorum sententiis, Episcopos posse per se, vel per alios absolvere in utroque foro legitime impeditos ab omnibus casibus, atque etiam ab hæresi, accepto ab eis juramento præsentandi sese postea Superiori. Ita communis DD. quia existente impedimento Papam adeundi, restituitur Episcopis potestas ordinaria, non quidem ex vi Tridentini, sed vi juris communis. Et probatur ex cap. *Ea noscitur* 23. de *sent. exc. Mulieres, senes, & valetudinarii, seu membrorum destitutionibus impediti, licet ad Apostolicam sedem non veniant, ad Episcopos valeant fidelium communioni restitui.* Idem sancitur in cap. *quambis* 68. eodem titulo, & in cap. *nuper* 20.; qui canones etsi loquantur de censura ob Clerici percussionem, merito a DD. transferuntur ad omnes alias censuras, in quibus ea-

dem ratio subsistit. Et colligitur ex cap. eos qui de sentent. excommunic. ubi idem statuitur in universum de omnibus censuris.

27. *Quæst. 5.* Quinam censeantur legitime impediti? R. in c. *Ea noscitur* 13. tales dicuntur mulieres, senes, valetudinarii, quibus in aliis capitibus juris adduntur pueri, impuberes, pauperes, gravem inimicitiam habentes, vel alias justas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusentur. Quæ verba comprehendunt servos, patres familias, quibus non liceat iter agere sine gravi incomodo, pauperes, sed non mendicos, quos inopia ad itinere non excusat. Magistratus publicos, & alios omnes, qui nequeant sese longo itinere committere sine gravi sui, vel aliorum damno, sive spiritali, sive temporali. Quod impeditum si perpetuum sit, excusat eos ab onere se postea sistendi: idem dico, si sit ad longum tempus; v. g. decennium; non ita si ad breve tempus. Et quamvis sic impediti juxta aliquos DD. teneantur Romanum Pontificem vel S. Pœnitentiariam per epistolam, vel Procuratorem convenire; communior tamen, & probabilior sententia eos a tali onere excusat; tunc enim Episcopis convenit jure ordinario potestas eos absolvendi, quæ solum erat restricta circa non impeditos. *Salm. Roncaglia, Milante, & alii.*

28. Possunt quoque absolvi absque onere comparendi leviter Clericum percutientes, ex c. *pervenit de sent. Exc.* Item impuberes, etiam si post pubertatem petant absolutionem; eorum enim absolutio jure ordinario datur Episcopis. Pariter feminæ, nec solum moniales, sed quæ-

vis aliæ, cum in c. *quomvis* non alia de causa excusentur, nisi quia feminæ sunt. De Monialibus autem nemo dubitat, cum expressum sit in c. de *Monialibus* 33. sed nequeunt nisi in mortis articulo ab Episcopis absolvi a censura ob violationem clausulæ, ex declaratione Greg. XIII. Censetur quoque perpetuo impediti carceri, aut tritremis mancipati, filii familias, & Regulares, qui possunt a Prælati sui suis absolvi. Verum Prælati Regulares nequeunt absolvere sæculares a criminibus in Bulla Cœnæ contentis. Alia circa Regularium facultates lege, si vacat, apud auctorem.

29. *Quæst. 5.* Quomodo danda sit absolutio a censuris? R. ad absolvendum a censura sufficiunt quævis externa signa, quæ significant absolutionem dari, sed non est satis voluntas absolvendi. Sane in foro externo servanda est formula; quæ in unaquaque diocesi sit in usu; in foro autem conscientiæ hæc, vel alia similis adhiberi potest: *Ego te absolvo (v. g.) a vinculo excommunicationis, suspensionis, cet. quam incurristi propter NN. valem causam, & (si sit excommunicatus) restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium, aut (si sit suspensus) executioni tuorum Ordinum, vel Officiorum. In nomine Patris, cet.* Qui pluribus censuris est adstrictus, potest ab omnibus absolvi per illa verba: *ego te absolvo ab omni vinculo*, nisi absolvens aliud intendat. Hinc qui in jubilæo sine culpa omisit peccatum habens censuram sibi annexam, postea ab eo potest a quovis Confessario approbato absolvi, cum non sit amplius reserva-

tum, sublata censura, ratione cujus reservatum fuerat. Potest quoque absolvi quis ab una censura, relictis aliis, quia non est inter eas necessaria connexio.

30. *Quæst. 6.* An valeat absolutio data absentis vel invito, aut per vim extorta, aut sine partis satisfactione? R. 1. absens sicut potest ligari censura, ita & absolvi ex c. *de manifesta* 2. q. 1. & c. *quanto* 2. q. 5. Ceterum sine urgenti causa id non licet. Potest quoque invitus absolvi a censura, sicut ligari potest; sed ut plurimum non licet, ne censura contemnatur. R. 2. absolutio vi, aut metu gravi injuste extorta non valet; imo novam excommunicationem incurrit, ex c. unico *de his, quæ vi, in* 6. Valet tamen, si metus sit juste incussus, v. g. si absolutio extorta sit a iudice, qui nolit absolvere, cessante contumacia. R. 3. absolutio, data ab Ordinario, non præstita satisfactione, etsi sit illicita, valida tamen est; data vero a delegato erit invalida, si apponatur clausula: *satisfacta parte*, quæ juxta sententiam probabiliorum importat conditionem; quamvis aliqui probabiliter sentiant, eam de jure adhiberi tantum ad monendum delegatum, non ad limitandam facultatem. Certe erit valida, si talis conditio non apponatur; peccabit tamen Confessarius, qui absolvat, non præstita satisfactione, aut si ea præstari tunc nequeat, data cautione, aut juramento de satisfaciendo, cum primum fieri possit.

31. Certum est tamen, censuram non auferri sine absolutione, etiam secuta emendatione,

& præstita satisfactione ex prop. 44. damnata ab Alex. VII. dicente *quoad forum conscientie, reo corrupto, ejusque contumacia cessante, cessant censurae*. Absolutio data sub conditione, v. g. *absolvote, si solvas*, ex se illicita est; erit tamen valida, impleta conditione. Potest quoque dari absolutio ad reincidentiam, id est, pro certo actu, & tempore, quo transacto reincidat; item sub certo onere, quo non impleto, censura reviviscat. Quid vero, inquis; si quis absolvatur ad reincidentiam, v. g. si intra mensem non satisfaciatur, requiritur nova culpa ad reincidentiam? Negant aliqui cum Suariorum, quia non fuit sublata, nisi sub conditione. Alii probabilius affirmant, quia cum nequeat suspendi censura sine auctoritate Pontificis, fuit omnino sublata per absolutionem, adeoque sine nova culpa renasci non potest. Idemque ajunt, dum Pontifex absolverit ad omnem effectum, etsi ad reincidentiam, nisi aliud exprimat, ut exprimeret si absolveret aliquem v. g. ad finem obtinendi beneficium, manente censura quoad alios effectus.

32. Pro aliis nota 1. eum, qui potestatem habet absolventi in foro conscientie a censura, posse quoque id facere extra confessionem, ut probabilior sententia docet contra Navarrum, Suarezium, & alios. Declaratum est tamen a Greg. XIII. & a S. C. Episcopum non posse absolvere a casibus Papalibus occultis extra Sacramentum Penitentiae; Nota 2. eum, qui absolventus est a censura, debere prius implorare absolutionis gratiam exc. *per tuas de sent. Exc.* erit

tamen valida absolutio, etiamsi eam non petat modo sit emendatus a peccato, & satisfactionem reddat. 3. ab iis, qui enorme crimen aliquod perpetrarunt, juramentum exposi. de illo non amplius committendo ex c. de cetero, & c. ex tenore; secus si crimen non sit adeo grave. Cetera quæ ad absolutionem præmitti solent, ac debent, vide apud auctorem.

## TRACTATUS II.

### DE CENSURIS IN PARTICULARI.

#### CAPUT I.

##### De Excommunicatione.

**Quest. 1.** Quid sit excommunicatio, & quotuplex? R. est censura, quæ privat fidem communionem Ecclesiæ; estque duplex, alia dicitur major, alia minor. Secunda tantum privat usu passivo, seu receptione Sacramentorum. Prima, quæ in jure venit nomine generali excommunicationis, & dicitur *anathema*, si majori cum solemnitate feratur, privat hominem communionem Ecclesiasticam, id est, usu tam activo, quam passivo Sacramentorum, & communibus suffragiis, orationibus, & indulgentiis, sed non privatis. Rursus excommunicatus alius dicitur toleratus, quem fideles non tenentur vitare, alius non toleratus, quem vitare tenentur. Post Concilium autem Constantiense vitandi tantum

sunt nominatim excommunicati, ac denunciati, & publici percussores Clericorum.

**2. Quest. 2.** Quid requiritur, ut aliquis excommunicatus sit vitandus? R. requiritur 1. ut sit nominatim excommunicatus, expresso ipsius nomine, vel ejus officii, ita ut de illo nequeat dubitari. Reliqui autem generatim excommunicati, maxime hæretici, vitandi sunt, cum periculum adest scandali, aut spiritualis damni; aut si illorum aliquis ex nostra separatione probabiliter esset emendandus. Atque in hoc sensu intelligendus est Ap. ad Titum 3. *hæreticum post primam, & secundam correptionem evita.* Et Joannes. ep. 2. *nolite eum in domum recipere, nec ave ei dixeritis.* Nisi cum aliis dicatur, his locis notari publice excommunicatos, & denunciatos. Requiritur 2. ut reus sit publice denunciatus, putam Ecclesia, vel per scriptum in loco publicorum Sorem regionis.

**3. Quest. 3.** An licet re eratis cum aliis communicare? R. neg. ex vera Conc. Const. quod postquam indulsit fidelibus ea re cum eis, qui clam sunt excommunicati, subjungit: *per hoc tamen ejusmodi excommunicatos, suspensos, & interdictos, seu prohibitos non intendimus in aliquo re levare, nec eis quomodo libet suffragari.* Hinc fidelis, qui sine necessitate induceret excommunicatum toleratum ad communicandum cum aliis in divinis, peccaret charitatem cum esset occasio alterius peccati. Dixit in *Divinis*, nam in humanis certum est id licere: dixi præterea sine necessitate, nam cum necessitas instat, vel utilitas magna, potest

tamen valida absolutio, etiamsi eam non petat modo sit emendatus a peccato, & satisfactionem reddat. 3. ab iis, qui enorme crimen aliquod perpetrarunt, juramentum exposi. de illo non amplius committendo ex c. de cetero, & c. ex tenore; secus si crimen non sit adeo grave. Cetera quæ ad absolutionem præmitti solent, ac debent, vide apud auctorem.

## TRACTATUS II.

### DE CENSURIS IN PARTICULARI.

#### CAPUT I.

##### De Excommunicatione.

**Quest. 1.** Quid sit excommunicatio, & quotuplex? R. est censura, quæ privat fidem communionem Ecclesiæ; estque duplex, alia dicitur major, alia minor. Secunda tantum privat usu passivo, seu receptione Sacramentorum. Prima, quæ in jure venit nomine generali excommunicationis, & dicitur *anathema*, si majori cum solemnitate feratur, privat hominem communionem Ecclesiasticam, id est, usu tam activo, quam passivo Sacramentorum, & communibus suffragiis, orationibus, & indulgentiis, sed non privatis. Rursus excommunicatus alius dicitur toleratus, quem fideles non tenentur vitare, alius non toleratus, quem vitare tenentur. Post Concilium autem Constantiense vitandi tantum

sunt nominatim excommunicati, ac denunciati, & publici percussores Clericorum.

**2. Quest. 2.** Quid requiritur, ut aliquis excommunicatus sit vitandus? R. requiritur 1. ut sit nominatim excommunicatus, expresso ipsius nomine, vel ejus officii, ita ut de illo nequeat dubitari. Reliqui autem generatim excommunicati, maxime hæretici, vitandi sunt, cum periculum adest scandali, aut spiritualis damni; aut si illorum aliquis ex nostra separatione probabiliter esset emendandus. Atque in hoc sensu intelligendus est Ap. ad Titum 3. *hæreticum post primam, & secundam correptionem evita.* Et Joannes. ep. 2. *nolite eum in domum recipere, nec ave ei dixeritis.* Nisi cum aliis dicatur, his locis notari publice excommunicatos, & denunciatos. Requiritur 2. ut reus sit publice denunciatus, putam Ecclesia, vel per scriptum in loco publicorum Sorem regionis.

**3. Quest. 3.** An licet re eratis cum aliis communicare? R. neg. ex vera Conc. Const. quod postquam indulsit fidelibus ea re cum eis, qui clam sunt excommunicati, subjungit: *per hoc tamen ejusmodi excommunicatos, suspensos, & interdictos, seu prohibitos non intendimus in aliquo re levare, nec eis quomodolibet suffragari.* Hinc fidelis, qui sine necessitate induceret excommunicatum toleratum ad communicandum cum aliis in divinis, peccaret charitatem cum esset occasio alterius peccati. Dixit in *Divinis*, nam in humanis certum est id licere: dixi præterea sine necessitate, nam cum necessitas instat, vel utilitas magna, potest



quisque ab excommunicato Sacramenta suscipere; imo etsi nulla sit necessitas potest quisque accipere Sacramenta a Parochō excommunicato: tolerato, & ab alio Sacerdote, qui aliunde paratus sit ea ministrare. Addunt multi, nullum est peccatum in Divinis communicare cum tolerato, eo quod dum fidelibus conceditur communicare cum illis, istis quoque indirecte concedi videatur communicare cum fidelibus peccatis communicare, justa sit causa petendi. Ita Salmant. Sanctius cum Soto, aliisque probabiliter.

4. *Quæst. 4.* Quando vitandi sint percussores Clericorum? R. tum, cum eorum percussio est juridice notoria. Sed ad id non sufficit notorietas juris, nisi sit quoque facti notitia, ita ut res sit nota non solum in domo aliqua privata, vel Colegio, sed in urbe, oppido, aut vicinia nota sit, saltem ex publica fama majori parti. Constat ex illis verbis Conc. Contant. *Si sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari.* Hinc sufficit fama communis, orta a viris fide dignis, & integre probata, que faciat certam moraliter fidem, modo fama sit de eo, quod publice percusserit; sed non sufficit publica infamia, nisi re vera palam percusserit.

5. *Quæst. 5.* Quam ob causam incurritur minor Excommunicatio? R. unica in jure causa illius communicatio cum excommunicato vitando. Id tamen non tollit, quo minus Episcopus in pœnam alicujus criminis possit alicui interdicare usum pasivum Sa-

cramentorum, saltem Communionis. Fieri autem potest, ut hæc censura incurratur, etsi quis propter levitatem materiæ solum venialiter peccet, v. g. confabulando cum nominatim excommunicato, quando non licet, sed absque scandalo; non incurritur tamen ob peccatum, quod veniale sit ob imperfectum usum rationis; quia pœna infligitur actioni, quæ quantum in se est, sufficiat ad mortale. Explicari autem debet in Confessione peccatum, quantumvis veniale, cui annexa sit censura, ne Sacramentum cum ejus vinculo recipiatur. Denique notari oportet, in jure sæpe dici, communicantem cum excommunicato *similem* excommunicationem incurrere; sensus autem est, eum parièr excommunicari, licet minore excommunicatione.

6. *Quæst. 6.* Quinam sint effectus Excommunicationis minoris, & quis ab ea possit absolvere? R. 1. unicum esse effectum directum illius, nempe privare usu passivo Sacramentorum. Constat ex *c. si celebr. de Cler. Exc.* Ubi dicitur, graviter peccare eum, qui hac censura irretitus suscipit Sacramenta; quæ tamen valide recipit, ut convenit inter DD. qui dicunt, non peccare graviter, qui Sacramenta ministrat, sed non recipit. An autem peccet venialiter, controvertitur inter AA. Habet quoque alium effectum Excommunicatio minor, qui dicitur *indirectus*, scilicet hominem privare passiva electione ad beneficia ex eodem *c. si celebrat.* Et quamvis textus loquatur de receptione per electionem, eadem est ratio de collatione, & presentatione, quæ sunt virtualis quædam electio.

7. Itaque tam excommunicatus beneficium recipiens, quam eligentes, presentantes, aut conferentes graviter peccant, cum in re gravi præceptum Ecclesiæ transgrediantur. Electio autem hujusmodi non erit ex se irrita, sed irritanda ex eodem textu, sanciente: *Si scienter excommunicatus electus fuerit, ejus electio est irritanda.* Sed quænam scientia requiritur, ut infirmetur electio? Alii requirunt eam ex parte electi tantum, alii ex parte electorum, alii denique ex parte utriusque. Electores autem conferentes beneficium ei, quem sciunt excommunicatum, nullam pœnam juris incurrunt.

Nota: ab hac excommunicatione, cum non sit reservata, potest absolvere Parochus, & quivis Sacerdos potens absolvere a mortali; sed non ii, qui carent jurisdictione, ut essent simplices alii Sacerdotes.

8. *Quæst. 7.* Quinam sint effectus Excommunicationis majoris? R. sunt in duplici differentia; alii sunt remoti, seu mediati; alii proximi, vel immediati. Remoti sunt duo, scilicet irregularitas, quam subit excommunicatus exercens actum aliqujus Ordinis; & suspicio de hæresi, quam subit is, qui per annum integrum in contumacia persistit, & ut jura loquuntur, insordescit, per severando in eadem censura cum Ecclesiæ contemptu. Contra quem ut de hæresi suspectum procedi potest, privando ipsum beneficio, ut colligitur ex *Trid. Sess. 25, c. 4.* Effectus immediati, seu proximi novem assignantur, 1. est privatio susceptionis Sacramentorum. 2. privatio communium suffragiorum. 3. administrationis Sa-

cramentorum. 4. Divinorum Officiorum. 5. nullitas Beneficii, collationis, præsentationis, cet. 6. privatio communicationis forensis. 7. privatio usus jurisdictionis. 8. sepulturæ Ecclesiasticæ. 9. communicationis Civilis. De singulis agendum est singillatim.

9. *Quæst. 8.* An excommunicatus possit valide suscipere Sacramenta? R. certum est, eum graviter peccare, sive toleratus sit, sive non sit, suscipiendo Ecclesiæ Sacramenta. Excusat autem a mortali ignorantia invincibilis, imo & gravis metus mortis, infamiæ, jacturæ bonorum cet. nisi adsit censuræ contemptus, quia non censetur Ecclesia velle cum tanto rigore ad censuræ observantiam obligare. An autem valide suscipiat, dubitatur. Negant aliqui excommunicatum, qui adhuc sine culpa ante censuræ absolutionem suscipit Sacramentum Pœnitentiæ, valide suscipere, cum membrum sit abscissum ab Ecclesia, cum qua nequit ideo in bonis ejus communicare. Affirmat tamen communissima sententia cum Suario, cum nullibi ab Ecclesia Sacramentum irritum declaretur, neque ex parte ministri, neque ex parte susipientis.

10. Notandum est autem, eum, qui ministrat Sacramentum Excommunicato tolerato, peccare quidem contra jus Divinum, dando Sacramentum indigno; sed non peccare contra præceptum Ecclesiæ, quæ post Constantiense Concilium permisit cuique communicationem cum excommunicato tolerato. An autem excommunicatus teneatur tollere impedimentum ad implendum præceptum tum audiendi sacri, tum

confitendi, & communicandi in paschate, non convenit inter DD. Quoad annuam Confessionem, & Communionem est omnino affirmandum; cum hoc sit unum ex præceptis Divinis quoad substantiam. Idem dico de obligatione Missæ, si possit absque gravi incommodo obtinere absolutionem; quod si id facile nequeat, & dolus absit, ab obligatione tollendi impedimentum audiendæ Missæ excusant communiter AA.

11. *Quest. 9.* Quibus suffragiis, & precibus privetur Excommunicatus? R. 1. si non sit toleratus, privatur communibus Ecclesiæ suffragiis, orationibus, & indulgentiis; idque, ut docet Suarius cum communi TT. etiamsi alioqui sit in gratia, nec per ipsum stet, quominus absolvetur. Nam, ut dicitur in *c. a nobis 28. de sent. Excom. quomvis absolutus apud Deum fuisse credatur; nondum tamen habendus est aq̄d Ecclesiam absolutus.* Non tamen privatur orationibus, & suffragiis, quæ quivis, ut persona privata offerre potest pro excommunicato. Quin & Sacerdos potest suo nomine in Missa mentionem illius facere, & pro illo offerre particulare meritum operantis. S. Th. Soto, Suarius, & fere omnes TT. R. 2. si toleratus sit, juxta probabilem multorum opinionem non privatur communibus suffragiis, & precibus nomine Ecclesiæ factis; quamvis alii multi cum Bellarm. Suario, & aliis negent posse quemvis Ecclesiæ nemine offerre Sacrificia, & orationes pro excommunicato, etiam ab Ecclesia tolerato.

12. *Quest. 10.* Quomodo Excommunicatus privetur usu activo Sacramentorum? R. ita ut

non toleratus licite non possit ministrare Sacramenta, præterquam in casu extremæ necessitatis, etiamsi requisitus sit. Probabile autem est eum posse ministrare Viaticum, & Extremam unctionem, quando infirmus nequit aliud Sacramentum suscipere; pariter autem cum aliter grave incommodum posset metuere. Ita Roncaglia, Salmant. alii. Excommunicato autem tolerato vetitum est universe Sacramenta ministrare in *c. Apost. de Cler. Exc. min.* Quando autem est requisitus, vel si Parochus sit, nec sit alius, qui loco ipsius celebret, vel ministret, licite confert Sacramenta. Quod autem valide confert, etiam si non sit toleratus, est omnino certum, ut ait S. Th. 3. p. q. 64. a. 9. excepto Sacramento poenitentiae, quod requirit jurisdictionem, qua ipse caret, si non sit toleratus.

13. Circa quod nota, eum, qui excommunicatus Sacramenta ministrat, sive toleratus sit, sive vitandus, incurrere irregularitatem ex *c. ult. de Cler. exc.* Pariter si solemniter baptizet, aut nuptias solemniter benedicat. Idem dico contra nonnullos, si invalide ministret ex *c. si quis 7. Causa 11.* ubi Martinus V. declarat irregularem quemvis constitutum in Sacris, qui post excommunicationem præsumpsit quasi in officio suo agere, sicut prius.

14. *Quest. 10.* Quomodo Excommunicatus privetur usu Divinorum Officiorum? R. non solum eorum fructu privatur, sed neque interesse potest parti notabili Sacrificii, aut publicis precibus, cantui, supplicationi, & ceteris annexis Ordini Clericali. Graviter igitur pec-

eat & ipse, & qui cum Excommunicato vitando Divino Officio intersit, nisi aut parvitas materiæ excuset, aut invincibilis ignorantia: Quod si excommunicatus a Sacerdote monitus nolit Ecclesia exire, subit excommunicationem Papæ reservatam ex c. *Eos de sent. Exc.* Pariter eam subit interdictus denunciatus, qui pertinaciter velit audire Missam, & omnes, qui impediunt, ne excommunicatus, vel interdictus ab Ecclesia recedat, ex c. *gravis de sent. Exc.* Sacerdos autem excommunicatus, faciens coram se Missam celebrari, manet irregularis ex c. *tanta de Exc. Præl.* Cum autem excommunicatus vitandus renuit exire Ecclesia, tenentur Clerici eum expellere, aut si nequeant, ab officiis cessare, etiam die festo; quod si Sacerdos consecravit, potest, ceteris abeuntibus, Sacrum persequi usque ad Communionem, & reliqua in Sacratio perficere, vel alio decenti loco.

15. Non prohibetur tamen Excommunicatus Sacras imagines venerari, uti aqua benedicta, aliisque Sacramentalibus, quamvis fructum eorum, qui oritur ex benedictione Ecclesiæ, non participet. Potest etiam in Ecclesia seorsim ab aliis orare, modo cum illis non communicet. Potest etiam audire concionem, & lectionem Theologiæ, vel Canonum: quamvis ipse nequeat concionari, vel legere, nisi toleratus sit, & ab aliis requiratur, aut ad id ex officio teneatur; quia tunc præsumitur ab aliis requiri, ut cum Suar. docent Salmant. Quod si obligatus est ad horas Canonicas, non excusatur ab illis recitandis, etiamsi fructus non percipiat ex culpa sua. Ve-

rum si omnino privetur beneficio, liber est ab onere recitandi, quod habeat solum ratione beneficii. Recitans autem non debet dicere *Domine vobiscum, sed Domine exaudi*, cet. Non potest autem uti socio ad recitandum; at secluso scandalo, & contemptu, inquit probabiliter Tournely, non videtur materia gravis uti socio ad officium, vel rosarium privatim recitandum. Nullo autem modo peccat, si toleratus cum alio recitet, ab eo requisitus.

16. *Quæst. 12.* Quid de privatione beneficii Ecclesiastici? R. nulla est omnis beneficii collatio, electio, cet. facta in favorem excommunicati ex c. *postulatis de Cler. Exc. min.* Hinc non solum peccant graviter conferentes, recipientes, cet. sed etiam ultra excommunicationem minorem, incurrunt suspensionem a collatione, cet. Valida est, si conferatur scienter a Pontifice, vel eum clausula absolutionis a censura ad eum effectum, nisi quis excommunicatus sit ob hæresim; hæc enim non comprehenditur sub generali absolutione. Jam vero quod de beneficii dictum est, intelligendum est etiam de dignitatibus Ecclesiasticis, de pensionibus Clerici ob ministerium aliquod Ecclesiasticum, & de pensione Ecclesiastica, etiam temporali, quæ datur ob aliquod officium Ecclesiasticum. Idem aliqui affirmant quoad dignitates sæculares, quia excommunicati invalide exercent actus jurisdictionis; alii tamen id negant, eo quod in jure nihil sit, quod significet irritam esse collationem hujusmodi dignitatum, quamvis excommunicatus impediatur ab externo suo officio exercendo.

17. Dubitant aliqui, an post Constantien-  
se Concilium valida sit collatio beneficii, facta  
Excommunicato tolerato; sed verior sententia  
nullam esse affirmat cum Suario; quamvis enim  
permissum sit cum tolerato communicare, ex-  
communicatus tamen nequit officia præstare:  
quare collatio semper fit indigno. Nec inhabi-  
litem tollit ignorantia, quantumvis innoxia, ni-  
si collator ad cautelam absolvat a censuris ad  
eum effectum, ut fieri solet. Nota denique, ex-  
communicatum ante beneficium obtentum non  
facere suos fructus beneficii; qui autem post be-  
neficium acceptum excommunicatur, non priva-  
tur fructibus, nisi post iudicis sententiam, ut  
probabilius censeo cum Laym., Tournelyo, &  
aliis contra Suarium, aliosque.

18. *Quest. 13.* Quid est communicatio fo-  
rensis, qua privatur Excommunicatus? R. hoc  
nomine venit officium iudicis, advocati, procu-  
ratoris, item actoris, tabelionis, testis, cet. ita  
ut reus semper possit excipere contra excommu-  
nicatum, etiam post iudicis sententiam ante exe-  
cutionem. Actor vero excommunicatus valide a-  
git, donec repellatur; iudex autem agit invali-  
de nisi sit toleratus, cum careat jurisdictione.  
Non peccat autem excommunicatus, si sit tole-  
ratus, qui tuetur se, & alios in iudicio; vitan-  
dus autem non potest alios in iudicio defende-  
re, quamvis si id faciat, non teneatur merce-  
dem restituere. Quod ad testes attinet, isti  
etiam vitandi valide testantur, si non repellan-  
tur; tolerati vero & valide, & licite, si ab una  
partium requirantur. Nemo excommunicatus po-

test esse tutor, aut curator, aut testamenti exe-  
cutor; si tamen non fiat oppositio, valide exe-  
quitur: valide quoque ipse testatur, etsi illiciti.  
Denique contractus omnes ab eo facti illi-  
citi sunt, & ratione eorum non datur actio in  
foro externo. Validi tamen sunt, durante exe-  
cutione, si ab eo fiant, ut persona privata, sed  
non si fiant ab eo tanquam persona publica ra-  
tione muneris, & beneficii, quæ jurisdictionem  
requirant.

19. Jurisdictione enim uti prohibetur Ex-  
communicatus; ita ut si non sit toleratus inva-  
lide eligat, conferat, præsentet, ferat leges, sen-  
tentiam, cet. Qui autem ab eo beneficium acci-  
pit, intrusus dicitur, & absque alia sententia  
tenetur illud renuntiare. Acta vero tolerati ob  
bonum commune valida censeatur; graviter ta-  
men peccat, qui ea sine necessitate exerceat ex  
c. *Tanta de Exc. Prælat.* Privatur quoque Ex-  
communicatus sepultura Ecclesiastica, ita ut si  
non sit toleratus, nequeat in Ecclesia; vel ejus  
cœmeterio sepeliri. Et si forte sit sepultus, de-  
bet exhumari, nec in eo loco possunt Divina  
peragi ante reconciliationem. Ita ex c. *sacris de  
sep.* Polluta autem Ecclesia, manet pollutum &  
cœmeterium, sed non contra ex c. *consulvisti  
de Consec. Eccl. in 6.* Si vero excommunicatus de-  
cessit cum signis pœnitentiæ, non est exhuma-  
ndus, sed absolvendus, petita absolutione ab hæ-  
rede. Peccant autem graviter comitantes vitan-  
dum ad sepulturam; sepelientes vero incurrunt  
excommunicationem majorem ex *Clem. 1. de sep.*  
Id quidem dictum sit de excommunicato non to-

lerato; nam toleratus licite sepelitur in loco sacro, si cum signis poenitentiae a vita decessit.

20. *Quæst. 12.* Quomodonam excommunicatus privetur communione civili fidelium? R. In casibus hoc versu comprehensis.

*Os, orare, vale, communicatio, mensa* negatur, ex declaratione Callixti Papæ in c. *Excommunicatos* 11. q. 3. Dicitur 1. *Os*, per quod intelligitur osculum, & omne colloquium, etiam privatum, etiam per nutum, litteras, vel internuntium, & quodvis signum benevolentiae, ut missio, vel acceptio munerum. Dicitur 2. *Orare*, id est, omnis communicatio in divinis, de qua supra. 3. *Vale*, quod comprehendit omnem salutationem saltem honorificam verbo, vel signo, vel amplexu, sed non resalutationem, & alia urbanitatis signa, quæ censetur solutio debiti, ut probabilior est opinio TT. Hinc multi docent probabiliter contra Suarium, & alios, licitum esse cuiquam exhibere excommunicato signa urbanitatis, aperiendo caput, assurgendo, cet. modo absit animus salutandi, maxime si superior sit, aut persona publica. Resalutare autem verbis excommunicatum, secundum aliquos non est jure prohibitum; sed probabilius censeo id esse veritum ab Ecclesia, quamvis contrarium non sit improbable. Aliud est de rescriptione, quæ videtur vera communicatio.

Qui autem Excommunicatum injuriis afficeret, peccaret quidem, sed censuram non incurreret: multo minus qui ei diceret: *Deus te convertat, illuminet*, cet. S. Anton. p. 3. tit. 25.

21. Dicitur 4. *Communicatio*, quæ comprehendit

omne genus contractus, qui tamen, si fiat, validus est, contra ac pauci sentiunt. Comprehendit etiam cohabitationem, cooperationem, societatem, & quicquid censetur communicatio cum illo. Hinc prohibetur quoque communicatio cum excommunicato in eadem mensa, hoc est, omnis convictus, & convivium cum eo, etsi quis non vescatur eisdem cibis nec eidem numero mensæ accumbat, ut evenire solet in Monasteriis, & Seminariis, in quibus plures sunt mensæ in eodem triclinio, sed omnes accumbunt per modum societatis, *Suarus, Salm.* alii qui notant, non ideo prohiberi edere cum excommunicato in eodem hospitio, aut diversorio, vel casu fortuito in itinere in eadem domo, vel in eadem mensa.

22. *Quæst. 15.* Quale sit peccatum communicare cum excommunicato non tolerato? R. communicatio in Divinis est mortale propter gravitatem materiæ; in civilibus autem, licet inducat excommunicationem minorem, aliquando tamen erit solum veniale, si secluso contemptu, & sine frequentia fiat. Erit tamen grave peccatum, etiamsi non sit scandalum, vel contemptus, communicare in eodem crimine, vel contumacia, ob quam lata est excommunicatio. Item si ex excommunicatione civili reus sumeret occasionem perseverandi in eodem statu pertinaciæ, & in hoc omnes consentiunt. Imo probabilius censeo cum Suar. contra Navarrum, & alios, frequentem communionem in re civili cum eo nunquam posse excusari a peccato gravi. Ratio est, quia communicatio in civilibus cum vi-

tando ex natura sua videtur materia gravis, ut probatur ex c. *exceptionem 7. de Exc.* ubi communicans civiliter cum excommunicato, dicitur *in periculum animæ suæ communicare.*

23. Quoad pœnam vero, communicans cum vitando sive in divinis, sive in humanis incurrit excommunicationem minorem. Incurrit autem majorem 1. Clericus scienter communicans in divinis cum excommunicato a Papa nominatim denunciato ex c. *significavit de sent. Exc.* 5. qui communicat cum eo, si sententia lata sit etiam contra participantes; nec potest absolvi nisi ab eo, qui possit absolvere principalem. 3. iis, qui scienter communicat cum vitando in crimine, ut ajunt, *criminoso*, id est, in eo, propter quod lata fuit excommunicatio; & hic absolvendus est tantum ab eo, a quo absolvitur principalis, ex c. *nuper de sent. Exc.* Addunt Salmant. Episcopum excommunicantem, si communicet cum reo in crimine, quod causa fuit excommunicationis.

24. *Quest. 16.* An liceat aliquando communicare cum non tolerato? R. extra Divina, licet in his casibus, qui habetur in c. *quoniam multos Can. 11. q. 3.* quinque in hoc versiculo continentur.

*Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.*

1. scilicet, cum requirit utilitas vel ipsius excommunicati, vel alterius. Hinc licet ab excommunicato consilium petere, ejus concionem audire, si alius desit idoneus, medicinam ab eo, vel stipem petere, initam prius societatem continuare, sed non licet novos cum eo contractus inire. 2. *lex*, scilicet, matrimonii, per quam licet uxori

marito excommunicato communicare, & e contrario, nisi factum sit divortium. Non tamen id permittitur sponsis de futuro. Quod si excommunicatio lata sit ob dubium de valore matrimonii, vel ob hæresim, id non licet ex c. *decrevit de heret. in 6.* De cetero licita sunt obsequia conjugii præstita, uti & licent ea filiis quoad parentes. Licet quoque petere, & reddere debitum ad vitandum periculum incontinentiæ, *S. Th. in 4. d. 18. q. 2. a. 4.* qui docet, nunquam licere conjugii communicare in Divinis cum conjugate excommunicato.

25. Dicitur 3. *humile*, id est, in casu subjectionis, quomodo possunt filii etiam emancipati, ut probabiliter docent Suar. Navarrus, Soto, & alii. Addunt aliqui etiam adoptivos, imo etiam nepotes, pronepotes, & in eodem genere affines, ut sunt murus, privigna. cet. Communicare quoque possunt servi, & ancillæ domino, si ante excommunicationem erant illius servitio addicti: similiter Religiosi Prælati, non tamen nisi quoad eam communicationem; quæ vitari non potest ab habitantibus in eadem familia. Famuli autem excommunicati ejusdem Domini non possunt inter se communicare, nisi quoad opus sit ad serviendum Domino, quem non possunt relinquere. Quod autem de famulis est dictum, convenit quoque filiis, uxoribus quoad parentes, & conjuges.

26. Dicitur 4. *res ignorata*; quælibet enim ignorantia, sive juris, sive facti excusat communicantes cum excommunicato ex c. *quoniam multos 11.* & quidem probabiliter etiamsi sit cul-

pabilis, & crassa, cum ibi excusentur generatim ignorantibus. Excusat 5. necessitas sive animæ, sive corporis, sive propria, sive aliena, modo vera sit, & gravis ex dicto c. quoniam multas, & clarius ex c. Si vere 34. de sent. Excom. Denique: non est vitandus nisi is, quem moraliter constat vitandum esse sive id constet per famam publicam, vel testimonio duorum saltem testium fide dignorum. Recte autem monet Tournelyus, non licere Pœnitentiæ Sacramentum suscipere ab eo, de quo dubitatur an sit vitandus; ne forte nullum evadat Sacramentum.

## CAPUT II.

## De Excommunicationibus reservatis.

27. *Quest. 1.* Quænam sunt Excommunicationes Episcopis reservatæ? R. 1. est in eos, qui leviter Clericos percutium, aut etiam graviter, si sint feminæ. 2. in eos, qui a censura in mortis articulo absoluti ab eo, qui alias non poterat, Superiori non se sistum, si censura reservata erat ab Episcopo. 3. in Fratres minores, si admittant in suis Ecclesiis ad officia Divina Fratres Tertii ordinis. 4. in eos, qui procurant abortum foetus animati effectu secuto, a qua excommunicatione absolvere possunt etiam Regulares. 5. in eos, qui communicant in eodem crimine cum excommunicato ab Episcopo. 6. in eos, qui incurrunt censuras latas ab Episcopo, & sibi reservatas per propria statuta.

28. Cum vero excommunicatio fertur ex mo-

nitio, nemo tenetur ad revelandum crimen, non vergens in alterius damnum, nisi præcedat, infamia, vel rumor ortus ex probis hominibus viciniæ, aut Collegii. Quod si delictum cedat in commune damnum, etiam si sit occultum, est revelandum, nisi certa sit spes correctionem futuram; verum si cedat in damnum privatum, non est manifestandum, nisi probari possit saltem per alium testem, vel aliter malum imminens nequeat impediri. Quando autem in Monitorio non præcipitur denuntiatio, sed testificatio, tenetur quisque testari, si præcedat semiplena probatio, etsi non possit ipse probare. S. Th. Bonav. & communis quæ docet, non esse obligationem revelandi crimen emmendatum, nisi illud habeat effectum in futurum, vel nisi sit publicum, & emendatio occulta, vel denique sit tale, ut Superior merito intendat reatus punitionem. Qui vero ad revelandum obligatus non revelet tenetur ad restitutionem, nisi exinde grave damnum alterius oriatur, aut fuerit testis a iudice citatus, qui acceptatione posita tenetur ex justitia revelare.

29. *Quest. 2.* Quænam sunt Excommunicationes reservatæ Papæ in universum? R. 1. contra omnes incendiarios c. tua nos de sent. Excom modo sint ab homine excommunicati, & denunciati, ut notat Cabrin. 2. in habentes literas Apostolicas, & non destruentes, item in falsarios litterarum Apostolicarum, ex c. dur. eodem, & c. ad falsariorum. 3. in effringentes, & spoliantes Ecclesias, c. conquesti. 4. in communicantes eodem crimine cum excommunicatis a Pa-



pabilis, & crassa, cum ibi excusentur generatim ignorantibus. Excusat 5. necessitas sive animæ, sive corporis, sive propria, sive aliena, modo vera sit, & gravis ex dicto c. quoniam multas, & clarius ex c. Si vere 34. de sent. Excom. Denique: non est vitandus nisi is, quem moraliter constat vitandum esse sive id constet per famam publicam, vel testimonio duorum saltem testium fide dignorum. Recte autem monet Tournelyus, non licere Pœnitentiæ Sacramentum suscipere ab eo, de quo dubitatur an sit vitandus; ne forte nullum evadat Sacramentum.

## CAPUT II.

## De Excommunicationibus reservatis.

27. *Quest. 1.* Quænam sunt Excommunicationes Episcopis reservatæ? R. 1. est in eos, qui leviter Clericos percutium, aut etiam graviter, si sint feminæ. 2. in eos, qui a censura in mortis articulo absoluti ab eo, qui alias non poterat, Superiori non se sistum, si censura reservata erat ab Episcopo. 3. in Fratres minores, si admittant in suis Ecclesiis ad officia Divina Fratres Tertii ordinis. 4. in eos, qui procurant abortum foetus animati effectu secuto, a qua excommunicatione absolvere possunt etiam Regulares. 5. in eos, qui communicant in eodem crimine cum excommunicato ab Episcopo. 6. in eos, qui incurrunt censuras latas ab Episcopo, & sibi reservatas per propria statuta.

28. Cum vero excommunicatio fertur ex mo-

nitio, nemo tenetur ad revelandum crimen, non vergens in alterius damnum, nisi præcedat, infamia, vel rumor ortus ex probis hominibus viciniæ, aut Collegii. Quod si delictum cedat in commune damnum, etiam si sit occultum, est revelandum, nisi certa sit spes correctionem futuram; verum si cedat in damnum privatum, non est manifestandum, nisi probari possit saltem per alium testem, vel aliter malum imminens nequeat impediri. Quando autem in Monitorio non præcipitur denuntiatio, sed testificatio, tenetur quisque testari, si præcedat semiplena probatio, etsi non possit ipse probare. S. Th. Bonav. & communis quæ docet, non esse obligationem revelandi crimen emmendatum, nisi illud habeat effectum in futurum, vel nisi sit publicum, & emendatio occulta, vel denique sit tale, ut Superior merito intendat reatus punitionem. Qui vero ad revelandum obligatus non revelet tenetur ad restitutionem, nisi exinde grave damnum alterius oriatur, aut fuerit testis a iudice citatus, qui acceptatione posita tenetur ex justitia revelare.

29. *Quest. 2.* Quænam sunt Excommunicationes reservatæ Papæ in universum? R. 1. contra omnes incendiarios c. tua nos de sent. Excom modo sint ab homine excommunicati, & denunciati, ut notat Cabrin. 2. in habentes literas Apostolicas, & non destruentes, item in falsarios litterarum Apostolicarum, ex c. dur. eodem, & c. ad falsariorum. 3. in effringentes, & spoliantes Ecclesias, c. conquesti. 4. in communicantes eodem crimine cum excommunicatis a Pa-

pa, c. *nuper eodem*. 5. in vexantes eos, qui censuram in alios tulerunt, c. *quicumque de sent. Excomm.* 6. in absolutos ab excommunicatione sub conditione, & non implentes. c. *eos qui* 7. in violantes interdictum Papale, *Extrav. estsi de pœnit.* 8. in dantes, & recipientes aliquid ex pacto ob admissionem ad Religionem, *Extrav. 1. Comm. de Syn.* 9. in simoniacos reales circa ordinem, vel beneficium. *Extrav. 2. eodem* 10. in committentes simoniam confidentialem, ex Bulla Pii IV. & Pii V.

30. Undecima: in impediētes executionem litterarum S. Pœnitentiariæ, ex Bulla I. Julii III. 12. in dantes, vel recipientes aliquid pro gratia, & justitia apud Sedem Apostolicam. *Extrav. 1. de Sent. Exc.* & bulla Bonif. VIII. & Greg. XIII. 13. in committentes duellum, & ad id cooperantes, suadendo, cet. ex Trid. *Sess. 25.* 14. In mulieres ingredientes monasteria Regularium, Bulla S. Pii V. 15. in rapiētes bona Ecclesiæ, & exigentes tributa ab Ecclesiasticis. 16. in violantes libertatem Ecclesiasticam, quoad fugientes ab Ecclesia *Bul. Greg. XIV.* 17. in docentes posse fieri confessionem in absentia per literas, Bulla Clem. VIII. 18. in facientes jurare illicita, & contraria libertati Ecclesiæ, Bulla Greg. XIII. 19. in damnantēs peccati mortalis, vel hæreseos alterutram opinionem de Conceptione B. V. item in eos, qui in concionibus, lectionibus, vel conclusionibus asserunt S. Virginem conceptam esse in originali. *Extrav. grave nimis*, & Bulla S. Pii V. 20. in percussores Clericorum, de qua

postea. 21. in perseverantes per annum in excommunicatione lata a delegato Papæ, c. *querenti de off. Deleg.* Sunt & aliæ excommunicationes communes omnibus; sed minus frequentes, quæ reperiuntur in bullis Pii V. Greg. VIII. Clem. VIII. & aliorum Pontificum, & legi possunt apud Auctores de hoc argumento ex instituto tractantes.

31. *Quest. 3.* Quænam sunt Excommunicationes latæ contra Clericos, & Regulares? Præcipuæ sunt isthæc: 1. in procurantes alienationes Ecclesiarum. 2. in concionatores, qui S. Scripturæ sensum a DD. interpretatione alienum circa tempus Anti-Christi, & extremi iudicii, aliaque similia prædicant. 3. in parochos non implentes juramentum de residentia factum. 4. in mendicantes sine facultate traseuntes ad alium ordinem præter Carthusianum: In moniales exeuntes claustris sine licentia. 5. in religiosos, qui sine privilegio, vel speciali facultate Parochi Clericis, aut laicis Sacramentum Eucharistiæ, vel Ext. unctionis ministrare, vel matrimoniis solemnibus præsidere audeant. 6. in inducentes ad jurandum de eligenda sepultura in eorum Ecclesiis. 7. in absolventes sub prætextu privilegiorum a casibus Bullæ Cœnæ, vel Ordinario reservatis. 8. in Superiores non denunciātes Inquisitoribus, vel Ordinariis subditos de hæresi suspectos. 9. alia apud auctorem. Circa duella & clausura Monialium vide Constitutiones Bened. XIV. alteram, quæ incipit *detestabilem*, datam 13. Novemb. 1752. alteram *salutare* 1742. Hic tamen Ligorius va-

rias quæstiones solvit, tum ad duella, tum ad clausuram Monialium pertinentes, quas nos omittere brevitatis causa, sicuti dissertationem ejus super censuris circa immaculatam B. Virginis Conceptionem.

32. *Quæst. 4.* Quomodo sit intelligenda excommunicatio percussio Clericorum? R. verba Concilii Later. II. Can. 15. sunt hæc: *placuit uti quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum, incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat; & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Circa quæ notanda sunt sequentia: 1. hæc censura comprehendit omnes cujuscunque sexus, & ætatis, etiam impuberes, modo sint rationis compotes, ex c. 1. *mulieres*, & c. *pueris de sen. Exc.* Sed impuberes posunt absolvi ab Episcopis, etsi post pubertatem absolutionem petant. Comprehendit etiam mandantes, consulentes, & consentientes, si effectus sequatur; pariter rathabentes percussioem nomine suo factam: item non impediens, si ex officio, aut justitia teneantur impedire; secus si tantum ex charitate teneantur, ut cum S. Antonino probabilius censeo; quamquam & hos excommunicari, præsertim si ratione officii debeant impedire, probabiliter docent aliqui cum Suario.

33. In nomine Clerici veniunt etiam sola tonsura initiati, atque etiam conjugati; modo cum una, eaque virgine; item excommu-

niciati, suspensi, interdicti, & verbo tenus degradati. Non incurrit vero qui percutit Clericum bigamum ex bigamia reali, vel eum, qui habitu Clericali deposito, sæcularibus negotiis se ingesserit, nec post tertiam monitionem sui Prælati resipuerit Dicitur. III. *Monachum*, hoc est religioso somnes utriusque sexus, etiam novitios sub communi regula viventes atque eremitas, qui sub regula, & obedientia vivunt, edito obedientiæ voto, vel paupertatis. Sed eo privilegio non gaudent Eremitæ vagi, nulli regulæ ex voto addicti, licet vestem propriam habeant, Episcopis subiecti. Ita Fagnan. ex decisione Rotæ Romanæ.

34. IV. Dicitur: *manus injecerit.* Quod ita est intelligendum, ut hac excommunicatione comprehendantur quicumque percutiant Clericum, vel Monachum sive manu, sive gaudio, sive baculo, modo percussio sit gravis, & externa, aut graviter injuriosa, licet levis sit percussio. Hujusmodi censetur faciei conspurcatio, pulveris aspersio, & similia, quæ graves injuriæ ab hominibus æstimantur. Imo etsi quis ita Clericum percutiat, eo consentiente, modo actio sit Ordini Clericali injuriosa. Clericus autem consentiens etiam subest excommunicationi, non tamen lætæ sententiæ, sed ferendæ, ex c. *contingit*; nisi ipse consensus injuriam tollat, ut sæpe accidit. Si quis se ipsum ex malitia, vel passione feriat, secundum multos subest excommunicationi. Sed merito repugnant hinc opinioni Toletus, Barbosa, & alii, quia Canon videtur loqui tantum de altero Clericum per-

cutiente. Certe subjacet huic censuræ, qui percutit etiam meritum, si fiat per eum, qui non debet facere; ut si Clericus reus a iudice laico puniatur; vel a Prælato per laicum. Conceditur tamen in c. *cum voluntate* Parentibus punire; qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum graduum, ut cohibeantur a suis insolentibus, duxerit corrigendos. Itaque licet verberibus afficere correptioni gratia Clericum in minoribus constitutum, & secundum probabiliorē sententiam; etiam in maioribus; modo id fiat moderate a Prælato; vel Parente.

35. Non tamen subest Excommunicationi 1. qui actionem ponit injustam; sed non violentam; veluti fur clam subripiens crumēnam; vel contumeliosis utitur verbis; sed absque actione ulla violenta. 2. qui per jocum; aut fortuito percutit Clericum ex c. *de sent. Exc.* 3. qui percutit eum; quem nesciebat esse Clericum, 4. qui vulnerat Clericum; dum eum deprehendit cum uxore sua turpiter agentem; secus si cum aliena. 5. percutiens re ipsa degradatum; vel bigamum; vel qui publice exercet munus cautionis; macellarii; vel scurræ; & ter monitus non cessavit, 6. qui ferit alium iuste defensionis causa cum moderamine inculpatae tutelæ. Denique pueri; etiam in minoribus constituti; qui se pugnis percutiunt; etiamsi e naribus sanguis effluat; atque etiamsi percussio fuerit gravis; modo hæc non fuerit infensa.

36. *Quest. 5.* Quis possit absolvere a prædicta excommunicatione? R. triplex distingui solet percussio Clerici: alia dicitur *enormis*,

in qua magna intervenit vulneratio, vel magna sanguinis effusio, vel magna saltem injuria. Alia *mediocris*, qua extrahitur v. g. dens, vel capillorum copia evellitur; aut fit sugillatio carnis, qua sanguinis copia effluit; sed absque gravi læsione, vel injuria. Denique alia *levis*, non quidem ita, ut solum includat culpam levem, cum sine gravi crimine non possit esse excommunicatio; sed tamen *levis*, comparata cum prædictis; ut percussio pugni, palmæ, pedis, digiti, cet. absque abscissione membrorum, sanguinis multi effusione, avulsione capillorum, & similibus. Quod autem respectu unius est percussio levis, potest esse gravis respectu alterius, attenta qualitate personæ, loci, cet. Hinc dicunt AA. a percussione levi posse absolvere Episcopos, & eorum Vicarios; a percussione vero enormi, vel mediocri, si publica fuerit, solum Papam, aut eorum Legatos. Si vero fuerit occulta, vel reus sit impeditus, ut Romanus adeat, ab ea possunt Episcopi absolvere, & a publica etiam feminas ex c. *mulieres de Sent. Exc.*

37. *Quest. 6.* Quænam sunt Excommunicationes Papæ reservatæ? R. præter dictam Clerici, vel monachi percussorem reservantur Papæ casus contenti in Bulla cænæ. Præcipue autem illa versatur circa hæreticos, eorumve fautores, & receptores; item circa legentes libros hæreticorum, eosque imprimentes, retinentes, vel defendentes. Ut vero quis hic excommunicationi subjaceat, requiritur 1. ut liber sit hæretici. 2. ut de religione tractet, vel hæresim contineat. 3. ut lectio sit in materia no-

tabili. V. dicta Tom. 1. in appendice de librorum prohibitione. Quod attinet ad hæreticos, non subest huic censuræ nisi hæreticus formalis, & pertinax, qui adhæret suæ opinioni, quam novit esse contrariam doctrinæ Ecclesiæ. *S. Thom. 1. p. quest. 32. n. 4.*

38. Hinc excusantur ab Excommunicatione, licet non a gravi culpa, errantes circa fidem ex ignorantia, quantumvis noxia, & affectata, item dubitans de aliquo fidei articulo, suspendens iudicium; nisi dubitet de aliquo articulo, quem sciat esse ab Ecclesia definitum. Ita Lugo, Salmant, Wigant, & alii. Nemo autem subest Excommunicationi nisi errorem suum exterius significet, & quidem verbo, vel actione mortaliter mala, & animo eam hæresim profitendi; alioquin poterit a quolibet Confessario absolvi, sicut & ab excommunicatione illi annexa ex alio jure, nempe ex *c. Christus* & *c. de sent. Excommun.* ubi lata est excommunicatio contra hæreticos universim, sed minime reservata.

39. Præter hæreticos excommunicantur in bulla Cœnæ eorum *fautores*, qui cum possint, & debeant ex officio, omittunt eos capere, punire, cet. aut si ad id non tenetur, peccant, eos laudando, vel adjuvando. *Receptores* qui hospitio recipiunt, vel occultant hæreticum, ut hæresis pœnas effugiat. *Defensores*, qui eorum hæreticorum errores defendunt, etsi aliter ipsi sentiant, vel adjuvant, ne a iudice capiantur, vel puniantur. Probabiliter tamen excusantur ab hac censura parentes, filii, & fratres hæreticum recipientes, modo id non faciant ex animo hæresis fovendæ.

40. Excommunicationem insuper Bullæ Cœnæ incurrunt, ubi ea sit usu recepta subripientes inique bona Christianorum naufragantium, 2. imponentes sine privilegio pedagia, id est tributa personarum, sive rerum, aut gabellas: quod non comprehendit Principes, & Magistratus supremos, qui jus habent imponendi subdiditis tributa, uti & pedagia transeuntibus ad custodiam, & refectorem viarum, pontium, cet. 3. Piratæ, interficientes, aut deprædantes Christianos in Statu Ecclesiastico. 4. falsificatores Litterarum Apostolicarum. 5. transmittentes arma, vel eorum materiam ad hostes infideles, vel hæreticos declaratos. 6. injuste impediens victualia, vel alia necessaria deferrri ad Sedem Apostolicam. 7. eos, qui injuria afficiunt venientes ad Sedem Apostolicam, vel ab ea recedentes, vel in Curia commorantes, si fiat usurpata aliqua potestate, ac si essent iudices. 8. interficientes, mutilantes, cet. Romipetas devotionis causa & Romæ commorantes, ac recedentes. 9. interficientes, mutilantes, cet. S. R. E. Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ nuntios, vel Legatos. 10. eos, qui occidunt, vel percutiunt, aut bonis spoliunt sive per se, sive per alios recurrentes ob sua negotia ad R. Ecclesiam. 11. appellantes sub quovis prætextu ad Curias laicales in causis Ecclesiasticis, ad impediendas litteras Apostolicas. 12. qui auctoritate laica, vel prætextu exemptionis causas spirituales, vel ipsi annexas ad se avocant a iudicibus Ecclesiasticis, vel trahunt, vel trahi faciunt personas Ecclesiasticas ad Tri-

bunal Sæculare; vel impediunt iudices Ecclesiasticos uti propria jurisdictione. 13. usurpantes jurisdictionem, & fructus beneficiorum; item se interponentes absque jurisdictione in causis criminalibus contra Ecclesiasticos. 14. usurpantes jurisdictionem in Terris Ecclesiæ Romanæ. Denique incurrunt excommunicationem, & quidem reservatam omnēs, qui sine facultate absolvunt ab Excommunicationibus Bullæ Cœnæ, ubi ipsa vigeat.

### CAPUT III.

#### De Suspensione, degradatione, ac depositione.

41. *Quest. 1.* Quid est suspensio, & quis suspendi, aut suspendere potest? R. 1. suspensio est censura; quæ Clericus functiones aliquas Ecclesiasticas exercere prohibetur. 2. solus Clericus potest suspendi. 3. suspendere possunt, qui possunt ferre censuras. Hinc peccat graviter Clericus suspensus, si exercet actum veritum per suspensionem, & irregularitatem incurrit. Excusatur tamen, si exercet ordinem non sacrum, vel sacrum; sed non solemniter, ut cum S. Antonino decet Tournelyus contra Suarium, & Navarrum. Pariter excusatur saltem a gravi culpa, si exercet ob ignorantiam, aut metum gravem, aut in parva materia, ut si suspensus a jurisdictione, vel ab ordine actum levem jurisdictionis exerceat, aut benedicat mensam; secus si benedicat aquam, vel fructus juxta solemnitate Ecclesiæ. Inservire autem Sa-

cerdoti suspensio, nominatim denunciatio, & non tolerato, mortale est; ubi tamen scandalum absit, non est illicitum; audire Missam Sacerdoti suspensi. Holzm. Palaus, Salmant. & communis contra alios.

42. *Quest. 2.* An incurrat irregularitatem Clericus pro tempore suspensus, si exerceat actum, a quo suspensus est? R. cum distinctione; nam si suspensio lata fuit per modum statuti, aut præcepti ob crimen futurum, vel etiam præteritum, sed habens tractum successivum; tunc illam transgrediens, incurrit irregularitatem. Id colligitur ex c. 1. *de sentent. Excomm. & re judic. in 6.* ubi declaratus fuit irregularis, qui cum ad tempus fuerit suspensus; nihilo tamen minus ministravit. Verum si suspensio lata sit ab homine per sententiam ob meram punitionem criminis præteriti, illam transgrediens non evadit irregularis. Est autem, ratio, quia talis suspensio non habet rationem censuræ, sed pœnæ tantum, cum censura sit pœna medicinalis; quæ nequit ferri ob delictum omnino præteritum.

43. Incurrit tamen irregularitatem Episcopus, suspensus a pontificalibus, qui confirmet, consecret calices, aliave Pontificalia exerceat. Quicquid enim sit de opinione, docente, Episcopatum non esse novum Ordinem, sed solam extensionem Sacerdotalis Ordinis, negari tamen non potest, tale exercitium esse functionem propriam Ordinis ita extensi, a qua suspensus est. *Suspensus tamen a Pontificalibus, si celebrat in Pontificalibus, non erit irregularis,*

quia Pontificalia non sunt de substantia celebrationis; nec debemus judicare aliquem irregularem, nisi inveniatur expressum, inquit D. Anton. 3. p. tit. 27. c. 4.

44. *Quæst.* 3. Quotuplex est suspensio? R. alia fertur ad certum tempus, quo elapsos expirat; alia fertur indefinite, manetque, donec per absolutionem tollatur. Rursus, alia est suspensio ab officio, sive id sit ordinis, sive jurisdictionis, alia a beneficio, alia ab utroque. Potest autem quis suspendi ab officio, vel in totum, vel in partem tantum, & pariter a beneficio. Unde suspensus absolute prohibetur ab omni exercitio, ratione officii proveniente, adeoque nequit celebrare, valide excommunicare, etc. Suspensus a jurisdictione, si non sit toleratus, invalide absolvit; secus si sit toleratus, quamvis enim illicite, sed non invalide jurisdictionem exercet. Suspensus ab officio non intelligitur suspensus a beneficio; potestque fructus ejus percipere, modo per alium suppleat, qui per se nequit. Censetur autem & a beneficio suspensus, si crimen sit enorme, vel per annum contemnat suspensionem, *ex c. cum bone, de etate.*

45. Qui ex parte vel ab officio, vel a beneficio suspenditur, potest exercere functiones, a quibus non est suspensus. Quamvis autem a beneficio suspensus, eo ipso intelligatur suspensus a percipiendis ejus fructibus, non tamen ab officio sive jurisdictionis, sive ordinis etiam quod illi convenit ratione beneficii. Unde tenetur, recitare horas Canonicas, & cetera onera beneficii præstare. Et quamvis fructibus beneficii careat,

fruit tamen potest anniversariis stipendiis Missarum, quia non sunt fructus beneficii, cum pœnæ non debeant extendi, quandiu in jure non sunt expressæ, & ideo potest etiam frui juxta multorum sententiam distributionibus quotidianis, maxime si sit pauper. Ratio tamen paupertatis non sufficit, ut possit sibi retinere fructus beneficii, si suspensio lata est ob contumacia; quia non debet Ecclesia subvenire ei, qui sponte ejus disciplinam, vilipendit cum libere possit a contumacia recedere. Ita Suar. Turrianus, alii; aliud tamen est, si suspensio lata sit in pœnam criminis omnino præteriti V. N. A.

46. Quid si suspensio feratur in Collegium, vel Capitulum, vel Communitatem? R. ea non afficit singulas personas quoad propria uniuscujusque officia, sed quoad munia, & beneficia totius Communitatis, ut cum D. Th. docent TT. Quod si eorum aliqui exerceant munia, communitati vetita, ipsi non fiunt irregulares; quia prohibitio ejusmodi potius quam censura, est inhabilitas personarum ad talia officia. Quod si suspensio fertur in Communitatem, & singulas ejus personas, ea non afficit innocentes, cum nemo possit excommunicari, aut suspendi proculpa aliena. Ita Suar. Navarrus, alii, *ex cap. 2. de Const. &c. de his, quæ fiunt. Cum peccata suos auctores tenere debeant, nec pœna sit alterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente refertum.* Nota: cum Prælati solo verbo dicit Sacerdoti: *suspendo te*, hæc non tam censura habenda est, quam simplex prohibitio;

censura enim licet non fertur, nisi scripto; nec de illo aliter sentiendum est, nisi de ipsius mente constet.

47. *Quest. 4.* Quænam sunt juris suspensiones? R. suspensiones juris communis (nam de particulari jure non est hoc loco agendum) sunt præcipue. 1. in Clericos, recipientes sacros Ordines ab alieno, vel a proprio in aliena diœcesi, vel sine ætate legitima, aut dimissoriis, aut titulo, vel extra tempora, aut non servatis interstitiis per saltum, vel in censura, vel denique post matrimonium ratum; qui omnes ipso jure suspensi sunt ab executione suorum ordinum, si cum dolo fecerint; & si ordine utantur, evadunt irregulares. 2. in eos, qui excommunicant, suspendunt, aut interdiciunt sine scriptura, & causæ expressione; qui remanent suspensi per annum, nisi sint Prælati regulares. 3. in Clericos scienter eligentes Episcopum, vel Parochum indignum; hi autem sunt biennio a beneficiis suspensi. 4. in ordinantem, & ordinatum simoniace; uterque est suspensus ab ordinibus. 5. in Parochos, jungentes sponso in aliena parochia absque facultate. 6. in gravantes alienis debitis Ecclesiis sibi commissas. 7. in occupantes bona Ecclesiæ, vel alterius loci pii. 8. in sodomitas, simoniacos, duelli auctores, vel fautores, in raptos, vel eis auxiliantes. 9. in publice disputantes circa Conceptionem B. M. V. 10. in visitatores, accipientes munera, vel pecuniam, qui si Episcopi sint suspensi ab ingressu Ecclesiæ; si inferiores Episcopos, ab officio, & beneficio,

donec restituant duplum. 11. judex Ecclesiasticus (sed non Episcopus) faciens injuriam litiganti, contra conscientiam, & justitiam, Denique renuentes absoluti nem volenti manifestare complicem subjacent suspensioni ferendæ sententiæ ex bulla Bened. XIV. *Ubi primum.*

Præter juris suspensiones, sunt aliæ ab homine, quæ si sint majores, ab omni officio, & beneficio ferri nequeunt nisi ob culpam mortalem; alias pœna non esset proportionata culpæ. Potest tamen ob culpam venialem imponi suspensio ex parte, v. g. ab officio tantum, vel a beneficio ad breve tempus; imo ad diem, vel hebdomadam potest quis ab homine suspendi ob veniale tantum Suar. Layman, & communis. DD.

48. *Quest. 5.* Quis potest absolvere a suspensione? R. habens auctoritatem Episcopalem potest absolvere a suspensione non reservata, & Episcopus a quocumque juris suspensione, sedi Apostolicæ specialiter non reservata, imo & ab ista, si sit ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum. Regulares ex privilegio possunt absolvere in foro conscientie ab omni suspensione. Cum vero suspensio fertur in Communitatem, is tantum ab illa potest absolvere, qui in eam jurisdictionem habet in foro contentioso. Denique: sine ulla absolutione tollitur suspensio, imposita ad tempus, vel sub conditione; v. g. *donec, vel nisi restituas,* transacto termino, & impleta conditione.

49. *Quest. 6.* Quid est degradatio? R. ea proprie censura non est sed privatio executionis officiorum, & beneficiorum absoluta, & ex toto,



sine ulla spe restitutionis, facta cum certis solemnitatibus, & privatione privilegii Clericalis tum fori, tum Canonis, per quam reus traditur potestati Sæculari. Degradatus licet privetur privilegiis Ordinis, sed non potest ipso Ordine privari, cum sit indelebilis; unde tenetur ad votum castitatis, si fuit in Sacris; & invalide matrimonium contraheret, atque velide consecrare hostiam: tenetur quoque ad Horas Canonicas, nisi forte justa de causa impediatur.

50. *Quæst. 7.* Quid est depositio, & a quo fieri potest? R. 1. Differt a degradatione, quia depositio fit verbo tantum, & sine solemnitatibus, relicto privilegio Canonis, & fori. R. 2. solus Episcopus degradare potest, deponere autem possunt Episcopi loco ejus Vicarii. Id autem fieri nequit, nisi in casibus jure expressis, & delictis enormibus. Cum degradato solus Papa dispensare potest; sed cum deposito etiam Episcopus, si crimen sit levius adulterio.

#### CAPUT IV.

##### De Interdicto.

51. *Quæst. 1.* Quid, & quotuplex est interdictum? R. 1. est censura Ecclesiastica, per quam homo privatur usu Divinorum Officiorum Sacramentorum aliquorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, secundum se ipsa. Quæ ultima verba adduntur ad distinguendum interdictum ab Excommunicatione, quæ privat his bonis sed solum quatenus sunt communicatio cum fide-

bus: suspensio vero proprie non usum prohibet, sed impedit exercitium Ecclesiasticæ potestati. R. 2. dividitur in locale, & in personale, & mixtum: locale est, per quod prohibentur omnibus participatio Sacrorum Officiorum, sed incerto loco tantum: personale vetat Officia sacra certis tantum personis in quocumque loco. Mixtum est, quod prohibet celebrationem in tali loco, & talibus personis. Potest quoque esse interdictum generale, quo locus generalis, v. g. Collegium, Civitas, cet. interdicitur; & particulare, quo locus, aut personæ particulares sunt interdictæ.

52. Itaque interdicta Civitate, interdicuntur etiam suburbia; & interdicta parochia, etiam sacellum, & cœmeteria cotingua, quia accessorium sequitur principale. Ita ex c. *si licitas de Sent. Exc. in 6.* ubi etiam legitur, interdicta generatim Civitate pariter interdicti Ecclesias Regularium; & hoc interdictum generale servandum esse tum a Clericis, tum a Regularibus, atque etiam ab Episcopo, qui illud tulit. Verum interdicto populo, non interdicuntur ii, qui non sunt pars populi, ut studiosi, peregrini, Clerici, cet. E converso Clero interdicto, non intelliguntur laici ex c. *si sent. nec Regulares nisi Beneficium, vel officium in illo populo habeant; pariter nec Clerici privilegio fori non gaudentes, uti nec alii qui non habentes beneficium, nec officium, unum cum Clero corpus non constituunt.*

53. Notandum est autem, eximi ab interdicto personalis generali 1. Episcopos, qui &

sine ulla spe restitutionis, facta cum certis solemnitatibus, & privatione privilegii Clericalis tum fori, tum Canonis, per quam reus traditur potestati Sæculari. Degradatus licet privetur privilegiis Ordinis, sed non potest ipso Ordine privari, cum sit indelebilis; unde tenetur ad votum castitatis, si fuit in Sacris; & invalide matrimonium contraheret, atque velide consecrare hostiam: tenetur quoque ad Horas Canonicas, nisi forte justa de causa impediatur.

50. *Quæst. 7.* Quid est depositio, & a quo fieri potest? R. 1. Differt a degradatione, quia depositio fit verbo tantum, & sine solemnitatibus, relicto privilegio Canonis, & fori. R. 2. solus Episcopus degradare potest, deponere autem possunt Episcopi loco ejus Vicarii. Id autem fieri nequit, nisi in casibus jure expressis, & delictis enormibus. Cum degradato solus Papa dispensare potest; sed cum deposito etiam Episcopus, si crimen sit levius adulterio.

#### CAPUT IV.

##### De Interdicto.

51. *Quæst. 1.* Quid, & quotuplex est interdictum? R. 1. est censura Ecclesiastica, per quam homo privatur usu Divinorum Officiorum Sacramentorum aliquorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, secundum se ipsa. Quæ ultima verba adduntur ad distinguendum interdictum ab Excommunicatione, quæ privat his bonis sed solum quatenus sunt communicatio cum fide-

bus: suspensio vero proprie non usum prohibet, sed impedit exercitium Ecclesiasticæ potestati. R. 2. dividitur in locale, & in personale, & mixtum: locale est, per quod prohibentur omnibus participatio Sacrorum Officiorum, sed incerto loco tantum: personale vetat Officia sacra certis tantum personis in quocumque loco. Mixtum est, quod prohibet celebrationem in tali loco, & talibus personis. Potest quoque esse interdictum generale, quo locus generalis, v. g. Collegium, Civitas, cet. interdicitur; & particulare, quo locus, aut personæ particulares sunt interdictæ.

52. Itaque interdicta Civitate, interdicuntur etiam suburbia; & interdicta parochia, etiam sacellum, & cœmeteria cotingua, quia accessorium sequitur principale. Ita ex c. *si licitas de Sent. Exc. in 6.* ubi etiam legitur, interdicta generatim Civitate pariter interdicti Ecclesias Regularium; & hoc interdictum generale servandum esse tum a Clericis, tum a Regularibus, atque etiam ab Episcopo, qui illud tulit. Verum interdicto populo, non interdicuntur ii, qui non sunt pars populi, ut studiosi, peregrini, Clerici, cet. E converso Clero interdicto, non intelliguntur laici ex c. *si sent. nec Regulares nisi Beneficium, vel officium in illo populo habeant; pariter nec Clerici privilegio fori non gaudentes, uti nec alii qui non habentes beneficium, nec officium, unum cum Clero corpus non constituunt.*

53. Notandum est autem, eximi ab interdicto personalis generali 1. Episcopos, qui &

a generali suspensione eximuntur. 2. infantes & amentes, doli incapaces, qui tamen privantur Ecclesiastica sepultura. 3. innocentes, statim ac alibi domicilium collocant. 4. exteros, etiam si per multum tempus inter cives habitent. Notandum est autem, magnum esse discrimen, cum dicitur *Civitas N. interdicatur*; vel *Cives N. interdiciuntur*; nam cum interdictum cadit supra Civitatem, licet civibus, aut incolis, qui causam interdicto non dederunt, alio ire, & ibi Divinis interesse. Quod eis non licet, si cives interdiciantur; nisi desinant ibi cives esse, nec causam dederint interdicto.

54. *Quest. 2.* Quinam sunt effectus interdicti? R. sunt 1. prohibitio Divinorum Officiorum. 2. Sacramentorum, excepto baptismo, confirmatione, & pœnitentia. 3. sepulturæ sacræ. IV. peccatum mortale, quod committitur a violentibus interdictum. Item irregularitas, quæ incurritur a Clericis, & excommunicatio a Religiosis. Circa quæ scienda sunt sequentia. 1. non prohiberi officium B. M. vel Defunctorum, si dicantur privatim, & in loco ad ea non deputato. Prohiberi quidem sacris interesse etiam interdictis ob alienam culpam, Clericis tamen, & Religiosis non interdictis licet clausis januis, sine campanarum sonitu, officia Divina celebrare ex c. *alma mater de Sent. Exc. in 6.* Permittitur tamen in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis B. M., & per Octavam Corporis Christi, ut Divina Officia cantentur solemniter, admissis etiam interdictis, qui & tenentur his diebus audire

Missam, dummodo, qui causam interdicto dederunt, altari non appropinquent, nec veniant ad offertorium, vel communionem. Regulares autem possunt admittere ad Divina Officia famulos, Procuratores, & Operarios suos, item eos, qui Tertii Ordinis dicuntur, modo non sint speciatim interdicti, nec causam dederint interdicto.

55. Secundo per prohibitionem Sacramentorum non prohibetur ex c. *alma Mater* administratio baptismi, etiam solemnis, atque a ministro generatim interdicto; non autem is licet speciatim interdicto. Idem dico de Sacramentis Pœnit. & Confirm., quæ omnibus permittuntur, iis exceptis qui causam dederint interdicto, etiam auxilio, vel favore, & exceptis speciatim, & nominatim, interdictis, nisi prius præstent satisfactionem debitam, si possint; aut si non possint, cautionem saltem juratam. Eucharistia vero potest dari morituris, & deferri cum lumine, & campana, sed non ita Sacramentum Extremæ Unctionis, quod tamen Religiosis communiter permittitur tempore interdicti. Est autem valde probabile contra Suarium, & alios, etiam eo tempore posse contrahi matrimonium, quod ab ipsis contrahentibus quoad substantiam administratur.

56. Nota deinde: interdictum, etiam ex injusta sententia latum, si secundum allegata justa sit sententia servandum esse in foro externo; cessante autem scandalo, possunt audiri sacra, & recipi Sacramenta. Religiosi tamen quando interdictum servatur ab Ecclesia Ca-

thedrali, vel matrice, tenentur illud servare, etiam si illud sit nullum ex quocumque capite. *Clement. 1. de Sent, Exc.*

57. Quod attinet ad sepulturam Ecclesiasticam, illa prohibentur interdicti, etiam infantes, & amentes. Excipe Clericos, qui si nominatim interdicti non sunt, possunt sepeliri in Ecclesia, etiam cum Missa, sed sine pompa; in Ecclesia autem specialiter interdicta possunt quidem sepeliri, sed sine Missa, Laici autem, qui tempore interdicti sepulti sint in Ecclesia, exhumari debent, & cessante interdicto, in loco sacro reponi. Violantes interdictum peccant mortaliter, nisi excuset parvitas materiae; Clerici vero exercentes Ordinem Sacrum incurrunt praeterea irregularitatem, si sint specialiter interdicti, vel in loco speciatim interdicto, vel in loco generatim interdicto, januis apertis, & cum solemnitate. Quod si ad Ordines, vel ad alia officia Divina laicos admittant, interdicuntur *ipso facto* ab ingressu Ecclesiae, religiosi autem insuper excommunicantur *ipso facto*. Laici vero peccant graviter, si contra interdictum personale recipiant Sacramenta, si vero nominatim interdicti non sunt, violatio interdicti localis, audiendo Divina Officia, erit solum veniale.

58. *Quest. 5.* Quis potest interdictum ferre, & an ad illum incurrendum requiratur gravis culpa? R. 1. interdicere possunt iidem, qui excommunicare, & suspendere; nec ad id Episcopi indigent consensu Capituli, quicquid olim in usu fuerit. Praelati quoque Regulares possunt

interdicere suos subditos, sed non Ecclesias suas. R. 2. interdictum personale nequit imponi pro culpa aliena, neque pro culpa levi, nisi ad breve tempus, & in ordine ad aliquem particularem effectum. Interdictum autem locale, vel generale in Communitatem, requirit peccatum valde grave cum contumacia, commissum a capite, vel praecipuis membris, etiam si reliqui culpa vacent.

59. *Quest. 4.* Quis possit tollere interdictum, & ab illo absolvere? R. 1. interdicta generalia, lata ab homine non possunt auferri, nisi ab eo, qui tulit. Generalia autem, a jure lata, nec reservata possunt tolli ab Episcopo, vel ab eo, qui jurisdictionem habet in Communitatem; non tamen a Regularibus privilegiatis, quia locus, & Communitas foro poenitentiae non subjacent. R. 2. ab interdictio juris personali, non reservato potest absolvere quivis Sacerdos approbatus. Per privilegium autem absolvendi a censuris non intelligitur potestas tollendi interdictum locale, aut personale Communitatis.

60. *Quest. 5.* Quid est cessatio a divinis? R. est ordinatio, Clericis facta, ut abstineant ab officiis Divinis, & ab Ecclesiastica sepultura. Fitque in signum mœroris, vel ad reparandam gravem aliquam injuriam, Deo factam. Habet eosdem fere effectus, quos interdictum, sed non est censura, & imponitur ab eisdem, a quibus censura, eosdemque obligat in loco, ubi imponitur. Sacramenta autem, ubi necessitas postulat, administrari possunt ea fere ratione, qua dictum est de tempore interdicti.

## CAPUT V.

## De irregularitate in genere.

61. *Quest. 1.* Quid, & quotuplex sit irregularitas? R. est impedimentum Canonicum, impediens susceptionem Sacrorum Ordinum, & usum eorum. Aliqui voluerunt, eam esse quoque censuram, cum habeat rationem pœnæ Ecclesiasticæ; sed communiter negatur, esse censuram, sed solum Canonicum impedimentum, ut habetur in *c. quærenti de verborum signif.* & sæpe contrahitur sine peccato: semper autem a jure est, nunquam ab homine. Duplex autem est; altera scilicet ex defectu, altera ex delicto; utraque autem potest esse vel *totalis*, privans omni ordine suscipiendo, & suscepti exercitio, v. g. homicidium, & bigamia; vel *partialis*, quæ tantum privat aliquo ministerio Ordinis, vel solo ascensu ad Superiorem. Sic Sacerdos carens oculis, vel palma inhabilis est ad Missam, non tamen ad confessiones audiendas; & Diaconus sinistro carens oculo, inhabilis est ad Sacerdotium, in suo tamen ordine ministrare potest.

62. *Quest. 2.* Quinam sunt effectus irregularitatis? Tres omnino numerantur. 1. inhabilitate ad ordines. 2. impedire exercitium ordinum susceptorum. 3. invalidare collationem beneficii. Quod ad primum attinet, graviter peccat is, qui in irregularitate suscipit, vel exercet ordines, licet ordines ita collocati sint va-

lidi. Peccat etiam graviter, ita suscipiens primam tonsuram, & Episcopus illam conferens, ut docet Suarez cum communi DD. Sed irregularitas nullo modo privat iis actionibus, quæ non requirunt exercitium ordinis, & quas etiam laici exercere possunt, puta recipere Sacramenta, officia canere, sicut & conferre beneficia, quia hoc spectat ad usum jurisdictionis, non Ordinis; item matrimonio assistere, vel facultatem assistendi alteri præbere, dispensare in votis, cet.

63. Quod attinet ad exercitium Ordinis, istud irregulari prohibetur in *c. fin de temp. Ord.* Unde Sacerdos irregularis approbatus etsi valide, sed illicite absolvit. Prohibetur etiam a Trid. Sess. 22. *c. 7. ut nullo tempore (irregularis) ad Sacros ordines promoveri possit, nec illi aliqua Beneficia Ecclesiastica conferri liceat.* Et idem colligitur ex *c. de Cler. non ordin.* & ex aliis locis Canonici juris. Hinc si irregularitas sit totalis, communior DD. sententia affirmat, collationem factam irregulari beneficii, requirentis exercitium ordinis, esse invalidam ipso jure; nam cum beneficium datur propter officium, is, qui ad officia sit inhabilis, inhabilis erit quoque ad Beneficia. Suarez, Tournely, Cabassutius, alij. Sed non desunt, qui talem collationem velint non esse irritam, sed irritandam, eo quod in jure expressum non habeatur, irregularem esse incapacem Beneficii. Ita Elbel, Layman, Salmant. alijque.

64. Profecto si collatio facta sit ante irre-

gularitatem, is, qui postea evadit irregularis, non tenetur dimittere Beneficium, sed tenetur petere dispensationem; verum si ea proveniat ex delicto, poterit a iudice privari; sed non si ex infirmitate. Si collatio facta sit ei, qui jam est irregularis, sed ex parte tantum, collatio valida est, & licita; idemque dico, etiamsi beneficium sit simplex, nec habeat sibi injunctum officium, vel exercitium Ordinis sacri, sed tantum onus recitandi horas, aut quidpiam aliud, quod & laici exercere possint.

65. *Quest. 3.* An in dubio irregularitas incurratur? R. 1. nisi jure expressa habeatur, nulla incurritur irregularitas, ut constat ex c. *is qui de sent. Exd.* Unde qui dubitat, an sit irregularis, prudentem adhibere debet diligentiam, ut inquireat veritatem; quod si, ea adhibita, nihil inveniatur, potest se gerere ut immunem ab irregularitate, quum pro eo stet possessio innocentiae. Excipe dubitantem de homicidio a se patrato; is enim est irregularis ex c. *ad audientiam de homic.* Nec solum in foro externo, ut aliqui volunt, sed etiam in interno, ut communis fert DD. sententia, & colligitur ex ratione in eodem textu allata, quae utrumque forum comprehendit. Sed notant Elbel, Pikler, & alii, id intelligi, cum aliquis est certus de homicidio, & solum dubitat, an ipse actione sua fuerit causa illius; nam si dubitet, an re vera secutum sit homicidium, non censetur irregularis. Talis est Medicus, qui venam aperuit praegnantem, ut

abortus sequeretur, & postea dubitat de effectu secuto: verum si remedia adhibita, v. g. ad procurandum abortum sint ex se ita efficacia, ut communiter obtineant effectum, esset irregularis, quia tunc praesumptio stat pro abortu.

66. R. 2. in dubio facti de aliis delictis praeter homicidium, multi putant incurri irregularitatem, & ita sentiunt Tournelyus, Concina, & alii ex c. *audientiam*, ubi dicit: *dum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*, cet. Communis tamen, & verior sententia negat; quia odia sunt restringenda, & nemo in dubio est damnandus ex reg. juris *favorabilioris*; nec ab ea regula est recedendum, nisi contrarium in jure exprimitur; solum autem id expresse constat de homicidio. Atque in materia juris non valet argumentum a simili deductum, nec poena extendenda est ultra casus in jure expressos.

67. *Quest. 4.* Quid requiritur ad irregularitatem ex delicto? R. requiritur actio externa, & consummata, quae sit peccatum mortale ex c. 5. *de poenis in 6.*, ubi dicitur, poena gravissima non esse infligenda pro culpa levi. Irregularitas autem inter poenas gravissimas numeratur, & praecipuum sub ea obligans certe obligat sub mortali. Debet etiam esse exterior, & quidem in suo genere perfecta, ut de aliis censuris dictum est. Quod si in aliqua bulla, aut Canone sit mentio de irregularitate mentali, ibi sermo est de irregularitate ob erimen externum quidem, sed omnino occultum. Quam-

vis enim aliqui TT. negent irregularitatem cadere supra crimen occultum, nisi sit homicidium, verior tamen sententia universim affirmat, & constare videtur ex Trid. Sess. 24. ubi facultas datur Episcopis absolvendi ab irregularitatibus, & censuris occultis; quo nomine exprimit hæresim, homicidium, & alia crimina; quæ licet occulta, modo sint externa, subjacent potestati, & reservationi Ecclesiæ.

68. Requiritur etiam ad incurrendam irregularitatem notitia legis Ecclesiæ prohibentis. Ita contra Suarium, & Azorium sentiunt communiter TT. cum S. Antonino 3. p. tit. 24. c. 33. Et probatur ex c. *proposuisti* d. 82. ubi Innoc. I. decrevit, Clericos quosdam incontinentes non esse deponendos juxta Constitutionem Siricii Papæ, eo quod eam ignoraverint. Ratio est; quia lex Ecclesiastica pœnam imponens super crimine a lege Divina vetito, novum jus condit; qui autem peccat contra legem Divinam, ignorans sine culpa legem Ecclesiæ, peccat quidem contra illam, non vero contra istam; unde licet incurrat pœnam Divinæ legis, sed non pœnam legis humanæ. Excipe homicidium, quod ideo sub pœna irregularitatis prohibetur, quia est actio lenitati contraria, quæque valde dedecet altaris ministrum, adeoque non decet, ut homicida, etiam inscius pœnæ sacris operetur. An autem in aliis delictis non solum requiratur scientia legis Ecclesiæ, sed etiam notitia irregularitatis, non convenit inter DD.

69. *Quest. 5. Quomodo tollitur irregulari-*

tas? R. ea non auferitur per absolutionem, sed per dispensationem hæc, vel simili forma: *Dispenseo tecum in irregularitate, quam contraxisti ob hanc, vel illam causam.* Extenditur autem dispensatio ad omnes irregularitates, quas ille vult, & potest dispensare. Hæc autem potestas non convenit cuicumque confessario, sed ei, qui speciale privilegium habeat dispensandi. Solus Papa dispensare potest in irregularitate, quæ oritur ex defectu; in ea vero, quæ provenit ex delicto possunt quoque Episcopi dispensare ex jure Tridentini, sed non in homicidio, quod quis directe, & per se voluit; neque in aliis delictis ad forum contentiosum deductis. Prælati regulares ex privilegio S. Pii V. dispensare possunt cum suis subditis in omni irregularitate occulta, etiam homicidio. Hinc admittentes aliquem ad Professionem censetur cum eo dispensare, & per professionem auferatur omnis irregularitas quoad Ordines, sed non quoad prælaturas ex c. *de filiis presbyt.* circa quas tamen dispensare possunt Prælati, saltem in Comitibus Generalibus, vel Provincialibus.

70. Quod attinet ad exteros, docent multi cum Suario, posse Confessarios Regulares ex privilegio Sixti IV. dispensare in omni genere irregularitatum, in quo possunt Episcopi; sed videndum, an & quomodo sit in usu privilegium hujusmodi Minimis concessum, & a Julio II. confirmatum.

## CAPUT VI.

## De irregularitatibus ex delicto.

71. *Quest. 1.* Quænam sunt delicta, quibus irregularitas est affixa? R. sequentia: 1. iteratio baptismi. 2. violatio censuræ. 3. exercitium Ordinis Sacri ab eo, qui non est ordinatus. 4. mala susceptio Sacri Ordinis. 5. Crimina infamia, & notoria. 6. homicidium, & mutilatio injusta. De singulis aliqua sunt scitu digna. Ac primo quoad iterationem baptismi non solum est irregularis, qui scienter rebaptizatur, sed is, etiam, qui denuo baptizatur. Primum colligitur ex c. *Ex litterarum*, 2. autem expressum est in c. 4. *confirmandum* dist. 50. Si tamen iteratio baptismi sit occulta, vel ex metu sub conditione, vel sine intentione, nulla incurrit irregularitas, ut docet Tournelius cum Suario. Est tamen irregularis, qui absque necessitate baptizatur ab hæretico declarato ex c. *ventum est*: pariter is, qui differt baptizari usque ad mortis periculum, ex c. *Si quis d.* 57.

72. Ex capite violationis censuræ subjacet irregularitati, qui censure innodatus actum aliquem Ordinis solemniter exercet, nisi excuset ignorantia invincibilis, aut censura, qua ille est irretitus, sit tantum minor Excommunicatio, ex c. *si celebrat. de Cler.* aut actus, quem exercet, sit solum Ordinum minorum, etiam solemniter. Excusantur etiam qui sine solemnitate officia majorum Ordinum exequentur aut

actus jurisdictionis exercent, & non Ordinis.

73. Ex tertio capite incurrit irregularitatem Clericus, ministrans solemniter, scienter tamen, in Ordine sacro, quo caret. An autem id laicos comprehendat, diximus ubi de baptismo. Sacerdos autem simplex excipiendo Confessiones non incurrit irregularitatem quantumvis graviter peccet; cum re vera exercent actum Ordinis, quem habet, licet careat jurisdictione. Notandum est autem, eum, qui ligatus est duplici censura, et exercet actum Ordinis Sacri, id exprimere debere in petitione dispensationis; quamvis enim non incurrat duplicem irregularitatem, incurrit tamen unam, quæ cum duplici comparatur.

74. Quartum caput irregularitatis est indigna susceptio sacrorum Ordinum, scilicet dum quis non examinatus, non admissus, vel alio sui loco ad examen intruso, per dolum sese ingerit inter ordinandos. Constat ex tit. *de eo qui furt.* 1. Pariter fit irregularis, qui post matrimonium, etiam non consummatum sacris Ordinibus initiatur, renuente uxore, ut constat ex *Extrav. antiquo de voto*. Qui autem per saltum suscipit Ordines Sacros, potius suspensionem incurrit, quam irregularitatem, sed ab ea suspensione solus Pontifex dispensare potest, si crimen sit publicum; si autem sit occultum, potest etiam Episcopus, sicut & Regulares cum suis subditis, imo & cum exteris non minus quam in aliis irregularitatibus ubi vigeat privilegium.

75. *Quest. 2.* Quænam sunt gravia, & no-



toria crimina, quæ irregularitatem inducunt? R. ea, quæ a jure ipso secum ferunt annexam infamiam, ut adulterium, raptus, incestus, perjurium in judicio, ex c. *infames* 6. q. 1. Requiritur autem, ut crimen sit notum vel juris fama, vel facti. Infamia juris habetur per confessionem rei in judicio, vel per sententiam judicis, sin minus damnantem, saltem delictum declarantem. Facti autem infamia per factum publicum, & notum majori partî urbis, oppidi, vicinîæ, vel Communitatis, Crimen vero ut sit infame, debet esse ex eorum numero, quæ, dicuntur *qualificata*, vel saltem debet esse continuatum, ut adulterium. Potest autem quis incurrere irregularitatem ob delictum alienum, ut filii eorum, qui damnati sunt ob delictum læsæ Majestatis; filii nati ex meretrice, filii hæreticorum (licet de his, ut & de illegitimis neget Viva cum aliis) qui mortui sint in hæresi; sed ad irregularitatem horum omnium requiritur, ut nati sint post delictum.

76. Hæc tamen infamia, & irregularitas si sit facti, tollitur absque dispensatione per solam criminis emendationem constantem, & sinceram; secus si sit juris, quamvis eam quoque, perinde ac facti, tolli per baptismum, non sit improbable. Porro Episcopus nequit dispensare, ut infamis facti ad Sacros Ordines ascendat: potest tamen, ut in susceptis ministret, si crimina sint minora adulterio, & reus egerit pœnitentiam. Quod si infamia sit per sententiam judicis, potest ab illo tolli irregularitas per aliam sententiam, qua reo fama restitua-

tur. Irregularitatem vero ob crimen parentum, vel ob officium infame, tolli per ingressum in Religionem, docent Salmanticenses.

77. *Quæst.* 3. Quid de irregularitate ex homicidio injusto, vel mutilatione? R. hæc oritur ab homicidio injusto, quod sit voluntarium vel in se, vel in causa proxime cum illo conjuncta, & comprehendit eos, qui ad ipsum injuste concurrunt, consulendo, mandando, cet. Idem dicimus de mutilatione voluntaria, per quam membrum aliquod præcipuum a corpore abscinditur, v. g. pes, manus, oculus, auris, cet. ut habetur in *Clem. un. de homic.* Et hoc verum est, etiam si quis se ipsum mutilet, aut qui se ipsum castraret, c. *si quis absciderit*; & qui se ipsum per culpam graviter deformaret, aut digitum, vel partem digiti sibi abscideret, ex c. *qui partem* d. 55. Non ita vero res esset, si alter abscideret tibi digitum. Quæ omnia locum habent, etiamsi mutilatio, vel homicidium sit fortuitum, modo sit voluntarium saltem in causa, præviso effectu, & neglecta debita diligentia ad illum impediendum.

78. Hinc circa homicidium notanda sunt sequentia, 1. irregularitatem incurrunt omnes, qui propria actione hominem occidunt: & quidem etiamsi homicida ante mortem facti pœniteat, ut cum Suario docet communis sententia contra paucos; nam qui causam ponit physicam mortis, v. g. lethale vulnus, aut venenum, etiamsi eam retractet, non impedit quominus causa pergat in mortem influere. Idem

dicit Suarius de eo, qui mandavit, si revocatio mandati forte non pervenit ad occisorem. 2. non incurrit irregularitatem qui lethaliter alium vulneravit, si mors non sequitur; ea enim a jure attribuitur occidenti, non vero conanti tantum occisionem. 3. neque est irregularis, qui primus lethaliter aliquem vulneravit, quem alii postea accedentes necarunt; si nempe primum vulnus tale non fuit, ut mortem causaverit, vel acceleraverit; secus si illud in mortem quodammodo influxerit.

79. Quarto: irregularitatem incurrunt omnes homicidium mandantes, vel consulentes ex c. si quis, dist. 50. Excusantur tamen, si mors non sequatur, aut constet mortem ex alia causa ortam fuisse. Cum vero dubitatur, an mandatum, vel consilium fuerit causa homicidii, an non; juxta multos ille, qui mandatum, vel consilium dedit, censendus est irregularis; atque hæc est communior, & verior sententia, quia possidet mandatum, vel consilium, donec constet oppositum, atque ideo in foro externo præsumitur, & damnatur tanquam irregularis. Sed non est improbabilis opinio excusans eum in foro interno; quia jura loquuntur de eo, qui certe sit causa homicidii, sive actione, sive mandato, sive consilio. 5. fiunt irregulares omnes, qui sponte sua cooperantur ad homicidium, vel ut illud celerius, audacius, vel securius fiat, sive adjuvent verbis, sive consiliis, sive armis, vel etiam præsentia. Non tamen sunt irregulares homicidium ab aliis patratum retinabentes; quamvis enim retinabitio com-

paretur mandato quoad culpam, sed non quoad poenam, nisi in jure sit expressum.

80. Denique qui potest impedire homicidium, & tamen non impedit, cum ad id ex charitate obligetur, non est irregularis, ut faterentur omnes. Quod si ad ex justitia teneatur ut medicus, advocatus, pater, tutor, dominus adhuc excusatur a Roncaglia, & aliis. Veruntamen eum dicunt irregularem Toletus, Suarius, & Navarrus, cum ipse vere dici possit homicida, utpote moraliter inferens alii mortem. Nec plura de homicidio voluntario: de fortuito vero, seu causali pauca subjungimus.

81. Ac primo incurritur irregularitas ab eo, qui periculum mortis prævidet ex aliqua sua actione, & tamen negligit cavere cum possit, & debeat. Patet ex Clem. si furiosus de hom. Hinc ebrius, qui prævidet ex ebrietate sua fieri facile posse, ut alterum occidat, fit irregularis, si re vera occidit. Sed non ita, si absque gravi culpa negligat impedire mortis alterius periculum, cum ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur gravis culpa, ut est communis sententia DD.

82. Idem fere de mutilatione intelligendum, ut dictum est de homicidio voluntario, cum quo in jure comparatur c. 4. de rapt. & c. ult. de homicidio. Itaque ut eo capite quis evadat irregularis, necesse est, ut injustè membrum abscindat, quod in corpore proprium officium gerat ab aliis distinctum. Unde non est irregularis, qui dentes, capillos, cet. abscindit, & juxta multos neque is qui digitum alterius resecat; secus si

proprium. In hac autem irregularitate contracta propter mutilationem dispensare possunt Episcopi ex facultate Trid. a quo solum excipitur irregularitas ob homicidium voluntarium.

83. *Quæst. 4.* Quinam excusantur ab irregularitate in homicidio fortuito? R. 1. non sunt irregulares, qui ægroto assistunt, eique bona fide dant cibum vel potum præbent, vel loco movent, licet inde forte mors celerius sequatur, nisi interveniat culpa lata. Ita etiam non fit irregularis Sacerdos, jubens fieri abscissionem membri præscriptam a Medico, modo ipso non exequatur. 2. non est irregularis, qui procurat abortum foetus non animati, secus si animatus sit, ex c. *maiores* 32. q. 2. Neque est irregularis, qui dat operam rei licitæ, & debitam adhibet diligentiam, ne mors sequatur, etiamsi forte accidat; contra si omittat prudentem diligentiam. Dans autem operam rei illicitæ, quomodolibet periculosæ, incurrit irregularitatem ex quavis culpa, etiam levi, si mors oriatur, secundum multorum opinionem; alii autem probabilius requirunt opus ita periculosum, ut ex eo mors sequatur frequenter, & præterea debita omittatur diligentia, ne mors oriatur. Hinc non est irregularis Magister, vel parens puerum moderate verberans, etsi casu moriatur; nisi si graviter excedat ex c. *presbyt. de homic.* Neque is, qui equitando in equo feroci alium occidit; neque is, qui feram, vel canem ferocem alit, & custodit, si forte ruptis repagulis aliquem interficiat, nisi ex ejus incuria id accidat.

84. Non est irregularis Medicus bona fide præbens ægroto pharmacum dans illi mortem sine ulla ipsius culpa, saltem gravi, modo sit peritus, etiamsi sit Clericus, vel Monachus, & modo Clericus nulla utatur incisione, vel adustione, quæ illi prohibetur sub pœna irregularitatis, sicut & monachis. Denique non est irregularis, qui ad sui defensionem alium occidit, vel mutilat, servato moderamine inculpatae tutelæ ex c. *significasti* 18. Textus autem Tridentini, qui in contrarium afferri solet, est intelligendus de eo, qui in sui defensionem non utitur moderamine ex decl. S. Cong. 1. Oct. 1688. Alios casus circa fortuitum homicidium vide apud auctorem.

## CAPUT VII.

## De irregularitatibus ex defectu.

85. *Quæst. 1.* Quinam sunt irregulares ex defectu animæ, vel rationis? R. sunt 1. amentes, Dæmoniacy, & Epileptici. 2. illiterati. 3. Neophyti. Circa amentes notandum est, eos non posse ordinari, si amentia ortum habuit ex causa permanenti, fundata, ut ait Suarius, in læsione organorum, vel humorum, quia isti facile in eundem morbum relabuntur; hinc statuitur in c. *maritum* 2. dist. 33. *non ordinandum... qui in furiam aliquando insanivit.* Verum amentia orta ex vi febris, vulneris, iræ, aut alterius passionis transeuntis non impedit ordinationem. Quod si amentia ordinato super-

veniat, non potest in ordine suscepto ministrare, quandiu ea duret, vel ejus periculum iudicio Episcopi, vel Prælati. Quod dictum est de amentibus, intellectum volumus de epilepticis, seu lunaticis, & dæmoniacis, ut patet ex tota *dist. 33.* & præsertim ex *c. Communitate*.

86. Sunt etiam irregulares *illiterati*, qui non sunt præditi doctrina necessaria tam ad ordines suscipiendos, quam ad exercendos, ut constat ex *c. illiteratus dist. 36.* & ex *Trid. Sess. 23. c. 4.* Tales autem censentur, qui ita ignorant latinam linguam, ut nesciant præstare ea, quæ pertinent ad ordinis exercitium. Sunt quoque irregulares neophyti, seu recen-ter ad fidem conversi; possunt autem ab Episcopo ordinari post decennium, ut Toletus ait, imo antea, si iudicet illos bene in moribus profecisse. De cetero irregulares ex defectu animæ non sunt capaces dispensationis, cum tales ex Divino jure sint inhabiles; quandiu autem dubia sit irregularitas, dispensari potest ab Episcopis; cessante vero causa irregularitatis, v. g. amentia, iudicio Medici poterunt Episcopi dispensare.

87. *Quæst. 1.* Quinam sunt irregulares ex defectu corporis? R. ii, quorum defectus impedit exercitium Ordinis, vel gravem affert deformitatem. Hinc sunt irregulares cæcus, surdus, claudus, mutus, valde in corpore deformes, ut leprosi, enormiter gibbi, pigmæi, sive nani, eunuchi, qui a se ipsis tales sunt, aliique monstrosi. De singulis aliqua notanda

sunt; ac primo cæcus visu omnino carens est irregularis ex *c. ult. dist. 55.* Quod si post ordinationem cæcus factus sit, poterit a R. Pontifice dispensari, ut sacris operetur, modo non sit periculum errandi. Orbus uno tantum oculo, nempe sinistro, communiter censetur irregularis; verum si cum dextro possit Canonem legere absque deformitate, est locus dispensationi. Qui vero visu debilis est, aut cæcitiens non est irregularis, nisi talis sit, ut legere nequeat Missale, etiam adjutus conspici-illis.

88. *Surdus* ex utraque aure, non tamen surdaster, sed surditas ordinationi superveniens non impedit facultatem celebrandi. *Mutus* quoque est irregularis, sed non blæsus, sive balbutiens, etiamsi cum aliqua difficultate verba proferat. *Claudus* etiam, qui sine baculo nequit ire ad altare ex *c. nullus Episcopus 57. de consec.* Hoc tamen explicat glossa: *si sine baculo non possit in altari sustentari.* Est quoque irregularis, qui pede ligneo est instructus; dedecet enim cum ea deformitate celebrare; verum si non sit magna deformitas, vel ea suppleri possit, iudicio Episcopi potest dispensari. Inter irregulares numeratur in *c. ult. de corp. vit.* carens una manu, aut digitis omnibus, vel saltem pollice. Item is, qui caret tribus posterioribus digitis; non tamen carens uno, vel altero digito minori. Notat autem Tournelyus, eum, qui caret indice, posse obtinere dispensationem.

89. Quod ad morbos attinet, hanc regulam tradunt DD. eum tantummodo morbum afferre

irregularitatem, qui vel exercitium Ordinis impediatur, vel grave scandalum afferat, aut indecentiam. Tales sunt paralysis continua, & gravis, tussis pariter continua cum periculo evomendi sanguinem, & his similia. Ratione quoque deformitatis corporis sunt irregulares, qui aut omnino carent naso, vel illum habent graviter inhonestum; qui privati sunt oculo sive dextro, sive sinistro, nisi per vitreum oculum ea deformitas suppleri possit; qui carent auriculis, nisi capillis, vel aliter id vitium tegatur.

90. Leprosi quoque sunt irregulares ex c. *Tua nos de Cler. agrote*, ubi interdicitur leproso celebrare pro scandalo, & abominatione populi; unde si scandalum absit, celebrare poterit in privato sacello. Sunt quoque irregulares, laborantes morbo gallico, qui foras erumpat, uti & habentes, faciem fæde maculatam, vel labia absceat, aut corrosa cum gravi deformitate. Idem dico de enormiter gibbis, pigmæis, vel aliter monstrosis. Sunt pariter irregulares hermaphroditi, etiamsi in eis sexus virilis prævaleat, qui tamen defectus, ait Toletus, non parit irregularitatem, si omnino sit occultus; hæc tamen distinctio aliis non arridet.

91. Quid vero de Eunuchis? R. qui propter infirmitatem, vel alterius injuriam ab aliis facti sunt Eunuchi, non sunt irregulares, ut patet ex c. *siquis de Medicis*. Contra vero sentiendum est de iis, qui se ipsos abscindunt ex c. *Si quis 4. dist. 55.*, & idem dicendum de eo, qui permittit se ab alio amputari, ut colligitur ex c. *si quis 9. d. 55.* Idem putat Suarius de eo, qui

causam dederit alteri, ut virilia sibi invito abscindantur, quem tamen Toletus negat esse irregularem. Quæ sententia valde probabilis est, ut & opinio eorum, qui censent non esse irregularem, qui permittit amputari sibi testiculos ad vocem conservandam.

92. *Quæst. 3.* Quinam sunt irregulares ex defectu natalium? R. omnes filii illegitimi, quia ratione originis viles reputantur. Ita ex c. 1. & *fin. de fil. Presb.* Et hoc etiamsi sint occulti. Tales autem redduntur legitimi per subsequens matrimonium inter eorum parentes, modo hi fuerint liberi ad ineundum matrimonium eo tempore, quo fuere concepti filii. Constat ex c. *tanta, qui filii sint legitimi*. Imo juxta Doctores aliquos sufficit, quod parentes fuerint liberi tempore natalis filiorum, ut isti pro legitimis habeantur; sed alii contrarium docent cum Suario, adeoque rem in medio relinquit Bened. XIV. in responsione ad Episcopum S. Dominici, in qua quæstionem aliam ita solvit: *sed cum certum est matrimonium inter illius parentes contractum, incertum vero tempus, quo filius conceptus, & in lucem editus fuerit, filium hunc legitimum censemus cum iudex in dubio debeat in bonum, & commoda prolis propensus esse.*

93. Habentur quoque pro legitimis filii nati ex matrimonio re vera nullo, sed quod bona fide validum existimatur. Patet ex c. *cum inter 2. qui filii sint legitimi, c. ex tenore, & aliis*. Non ita res habet, si matrimonium fuerit nullum ob impedimentum aliquod dirimens, etiamsi ab illis ignoratum, si conjuges contraxerint absque de-

nuntiationibus, & facultate Episcopi, ut exprimitur in *c. Cum inhibito*. 3. Legitimantur quoque filii per professionem Religiosam, non tamen quoad dignitates Ordinis obtinendas, ex bulla Greg. XIII. Quamvis aliunde Prælati Regulares possint cum illis dispensare irregularitate natalium vi aliorum privilegiorum.

94. *Quæst.* 4. Quis potest dispensare in irregularitate ex defectu natalium? R. 1. Papa non solum potest dispensare, sed præbere legitimitatem, quæ auferat omnem irregularitatem quoad omnes effectus. R. 2. Episcopus dispensare potest quoad suspiciendos minores Ordines, & Beneficium simplex ex *c. 1. & 2. de fil. presb.* Pariter quoad obtinendos Canonicatus in Collegiatis, vel ad portiones non integras in Cathedralibus, atque alia beneficia, quibus non est annexus Ordo Sacer; non tamen ad Canonicatus in Cathedrali Ecclesia, quicquid dicat Pontas: quod verum censeo, etiamsi defectus sit occultus; facultas enim Episcopis a Tridentino concessa versatur tantum circa irregularitates ex delicto occulto, sed non ex defectu. Filii autem expositi quorum parentes omnino ignorantur, ab aliquibus habentur pro illegitimis, ab aliis censentur legitimi, atque his fabet declaratio Greg. XIV. an. 1501. in favorem Sodalitatis pro Expositis, quos ait non esse reputandos illegitimos, nisi tales probentur.

95. *Quarta* irregularitas oritur ex defectu ætatis; nam qui ante legitimam ætatem ordinatur, evadit irregularis, & suspensus ab exercitio Ordinis. *Quinta* ex defectu Sacramenti, sive

significationis Sacramenti matrimonii, eo quod bigamus non repræsentet perfecte unionem Christi cum Ecclesia, quippe qui carnem divisit in plures uxores. Jam vero triplex distinguitur bigamia. 1. est vera, cum quis verum cum duabus matrimonio successive contraxit, ex *c. præcipimus*, & *c. dubium de bigamia*. Debet autem esse consummatum, ut colligitur ex eodem capite, ubi ad bigamiam petitur conjugium commixtione corporum perfectum. 2. bigamia est *interpretativa*, cum quis ex juris interpretatione censetur bigamus, quamvis revera cum duabus non contraxerit. Hujusmodi sunt 1. quid ducit viduam ab alio cognitam, etiam si ducat invalide, secus, si a nemine cognitam ex *c. debitum*. 2. qui ducit mulierem ab alio corruptam, ex *c. ult. d. 51.* non est tamen bigamus, ducens mulierem a se prius corruptam. 3. cognoscens uxorem, postquam illa adulterium commisit. A duabus autem his ultimis irregularitatibus non excusat bona fides, ut communiter DD. affirmant, quia proveniunt ex defectu.

96. Alia bigamia dicitur *similitudinis*, ea scilicet, quæ quis post solemnem professionem, aut post sacrum Ordinem susceptum attentavit matrimonium, etiam cum Virgine, & cum ea copulam habuit; constat ex *c. 4. de bigamia*, & ex Can. *quotquot* 27. q. 1. Est autem ratio, quia qui voto solemniter adstrictus est, censetur esse Christo conjunctus spirituali quodam matrimonio. Unde si conjugatur alteri per matrimonium attentatum, quantum in se est duo celebrat matrimonia, saltem quoad similitudinem,

estque similis bigamo adeoque irregularis.

97. *Sexta* irregularitas oritur ex infamia sive juris, sive facti. Infamia juris oritur ex delicto proprio, vel parentum, quod annexam habet poenam infamiae, atque etiam ex vili conditione personae. *Facti* autem infamia ex enormi delicto, si sit publicum; occultum enim, nisi sit homicidium, & violatio censuræ non parit irregularitatem infamiae. *Septima* oritur ex defectu libertatis, ob quam sunt irregulares omnes servi proprie dicti, & secundum Laymanum, etiam originis Servi, donec plenam consequantur libertatem. Quam illi adipiscuntur, ex quo tonsura initiatur, Domino non repugnante, aut per annum integrum disimulante; quod si, invito Domino ordinentur, remanent servi in iis saltem functionibus, quæ cum novo statu non pugnant: ex c. *si servus*, & c. *nulli dist.* 54.

98. Ex capite defectus libertatis sunt irregulares etiam conjugati, nisi uxores consentiant, & castitatem voveant. Pariter Curiales, id est, sæculari curiæ adstricti juramento, vel stipendio, ut iudices, advocati, cetera, quando talia officia exercent, nisi specialem habeant dispensationem aut alicubi consuetudo id ferat in causis civilibus.

99. *Septima* irregularitas oritur ex defectu lenitatis, quam incurrit quicumque voluntarie, & proxime, etiam juste concurrat ad mortem alterius; vel ejus accelerationem, vel mutilationem effectu secuto. Ita enim statuit Ecclesia, ut Sacerdos, qui gerit personam Christi, imitetur ejus lenitatem, & mansuetudinem, & sese

in omnibus gerat, tanquam ministrum pacis, unoinis & vivificationis. Hinc est irregularis 1. iudex, ferens sententiam mortis, vel mutilationis. 2. assessores iudicis, scribæ, notarii, testes, accusator, advocatus, procurator, satellites, & omnes denique proxime ad sententiam mortis concurrentes. 3. qui in bello justo offensivo occidit, est irregularis; non vero si alii occidant; in bello defensivo neque ipse occidens. In bello vero injusto si unus moriatur, omnes sunt irregulares, ut docent Theologi cum D. Thoma 2. 2. q. 64.

100. Notat autem Bened. XIV. *Notif.* 102. Clericum, qui militans in conflictu, scopulum adhibuerit, esse irregularem, etiamsi juramentum præstet se nullum occidisse; modo fuerit sacris initiatus, aut beneficiatus. Qui vero hortatur alios ad occidendum in genere in bello justo, non est irregularis: erit vero, si hortetur ad occidendum aliquem in particulari; quamvis aliqui etiam eum eximant ab irregularitate, quia textus non loquitur expresse nisi de occidente, vel mutilante. Universim autem loquendo non est irregularis, qui non nisi remote ad mortem alterius concurrat, ut qui gladios acuit, aut vendit, legislator capitales leges ferens, aut suadens Principi, ut legem ferat, concionator dicens, in genere puniendos esse malefactores, Confesarius interrogatus de reo, an mortem mercatur, si respondeat, iudicem sine acceptance personarum fungi debere suo munere. Contra aliqui sentiunt de Confessario, vel alio, qui consultus a iudice in particulari de aliquo reo,

respondeat esse occidendum. Quamquam & hunc non esse irregularem, probabilius censent Holzm. Salmant. Laymanus, & alii. Addit etiam Tournelius, nec fieri irregularem Confessarium, si moneat carnificem, ut suo munere fungatur. Imo valde probabilis est eorum sententia, qui censent ex justo homicidio neminem evadere irregularem, nisi ad illud concurrat ut publicus minister justitiæ, sive ad causæ probationem, sive ad sententiæ executionem V. Tournelyum.

101. Excusantur etiam ab irregularitate, qui solum *passive* concurrunt ad alterius mortem, ut Confessarius hortans reum ad fatendam veritatem, vel ad acquiescendum sententiæ justæ. Pariter ii, qui licet adjuvent quodammodo ad mortem, sed in illam non influunt, ut ferentes ligna, ut comburatur is, qui jam antea fuerat suffocatus; assistentes supplicio etiam Clerici, si præsentia sua non influant in mortem; quamvis olim Clericis prohibitum fuerit hujusmodi supplicii interesse, c. *sententiam*. Canon enim hic vel est abrogatus, ut nonnulli putant, vel non obligat saltem sub gravi. Confessarius, & qui reum comitantur ad supplicium, non fiunt irregulares, etiamsi forte jumentum stimulent, ut properet, vel jubeant reum scalam ascendere, vel quid simile operentur.

102. Denique nec sunt irregulares iudices Ecclesiastici degradatum tradentes brachio sæculari, nec Clerici accusantes reum in causa criminali, modo expresse protestentur sese non intendere, ut puniatur pœna sanguinis, sed

tantum ut sibi, vel suis satisfiat, vel impedian- tur mala sibi imminencia. Possunt quoque aliquando ab irregularitate excusari ad mortem proxime cooperantes ex defectu deliberationis aut advertentiæ, quia irregularitas requirit actum humanum plene voluntarium, ac deliberatum. Hinc legitur in *Clement. de homic. Si furiosus aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. V. A.*

Nota: ea fere omnia, in quibus ab auctore dissentimus, peculiari caractere, aut virgulis distincta reperies, præter accessiones aliquas, & leves castigationes, quas interdum insertas animadvertet, qui in Ligorii scriptis versatus fuerit.

## APPENDIX

## De damnatis ab Ecclesia propositionibus.

Quamquam omnes fere ab Ecclesia damnatæ theses suis quæque locis secundum rerum ordinem insertæ reperiantur in hac Epitome, visum est tamen in utilitatem studiosæ Juventutis eas simul colligere ad calcem hujus operis, ut eas quisque possit, cum res exigat, sub oculis habere, & consulere. Doctrinam vero proscriptam, quæ ad mores per se non spectat, ut minus necessariam omnino prætermitemus.



respondeat esse occidendum. Quamquam & hunc non esse irregularem, probabilius censent Holzm. Salmant. Laymanus, & alii. Addit etiam Tournelius, nec fieri irregularem Confessarium, si moneat carnificem, ut suo munere fungatur. Imo valde probabilis est eorum sententia, qui censent ex justo homicidio neminem evadere irregularem, nisi ad illud concurrat ut publicus minister justitiæ, sive ad causæ probationem, sive ad sententiæ executionem V. Tournelyum.

101. Excusantur etiam ab irregularitate, qui solum *passive* concurrunt ad alterius mortem, ut Confessarius hortans reum ad fatendam veritatem, vel ad acquiescendum sententiæ justæ. Pariter ii, qui licet adjuvent quodammodo ad mortem, sed in illam non influunt, ut ferentes ligna, ut comburatur is, qui jam antea fuerat suffocatus; assistentes supplicio etiam Clerici, si præsentia sua non influant in mortem; quamvis olim Clericis prohibitum fuerit hujusmodi supplicii interesse, c. *sententiam*. Canon enim hic vel est abrogatus, ut nonnulli putant, vel non obligat saltem sub gravi. Confessarius, & qui reum comitantur ad supplicium, non fiunt irregulares, etiamsi forte jumentum stimulent, ut properet, vel jubeant reum scalam ascendere, vel quid simile operentur.

102. Denique nec sunt irregulares iudices Ecclesiastici degradatum tradentes brachio sæculari, nec Clerici accusantes reum in causa criminali, modo expresse protestentur sese non intendere, ut puniatur pœna sanguinis, sed

tantum ut sibi, vel suis satisfiat, vel impedian-  
tur mala sibi imminencia. Possunt quoque aliquando ab irregularitate excusari ad mortem proxime cooperantes ex defectu deliberationis aut advertentiæ, quia irregularitas requirit actum humanum plene voluntarium, ac deliberatum. Hinc legitur in *Clement. de homic. Si furiosus aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. V. A.*

Nota: ea fere omnia, in quibus ab auctore dissentimus, peculiari caractere, aut virgulis distincta reperies, præter accessiones aliquas, & leves castigationes, quas interdum insertas animadvertet, qui in Ligorii scriptis versatus fuerit.

## APPENDIX

## De damnatis ab Ecclesia propositionibus.

Quamquam omnes fere ab Ecclesia damnatæ theses suis quæque locis secundum rerum ordinem insertæ reperiantur in hac Epitome, visum est tamen in utilitatem studiosæ Juventutis eas simul colligere ad calcem hujus operis, ut eas quisque possit, cum res exigat, sub oculis habere, & consulere. Doctrinam vero proscriptam, quæ ad mores per se non spectat, ut minus necessariam omnino prætermitemus.

*Propositiones damnatae ab Alex. VII. die 30.  
Januarii 1659.*

1. Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas adprobationes ab Episcopis, ut Sæcularium confessiones audire possint, neque ex illius Concilii auctoritate privilegia Regularium restringi possunt, cum in Gallia receptum non sit, præterquam in decisionibus fidei, neque etiam Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata.

2. Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confessiones, audiendas, neque illas ulla ex causa revocare. Quin imo Ordinum mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur, & si ab Episcopis Religiosi non probentur, rejectio illa tantumdem valet, ac si approbatio concessa fuisset.

3. Regulares Ordinum mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Diocesi, habentur pro approbatis in aliis diocesis, nec nova Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absolvendi a peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas ipsis indulta non fuerit.

4. Nullus in foro conscientiae parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad missas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta,

morumque doctrinam, quæ ibi in catechesibus annuntiantur, & docentur.

5. Talem legem in hac materia nec Episcopi, nec Concilia provinciarum, vel nationum sancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, vel Ecclesiasticis censuris multare possunt.

6. Regulares mendicantes petere possunt licite a iudicibus sæcularibus, ut injungant Episcopis, quatenus ipsis mandata concedant ad prædicandum in Adventu, & quadragesima: quod si renuant faceret, Episcopi decretum iudicum Sæcularium tantumdem valet, ac si permissio dictis Religiosis concessa fuisset.

*Propositiones damnatae ab Alex. VII. die 24.  
Septembris anni 1665.*

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris, ad duellum provocatus, potest illud acceptare; ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cænæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 28. Julii in Consistorio S. Cong. Emin. Cardinalium visa, & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque Sæculares ab hæ-

resi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potes ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

9. Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ tradantur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem etiamsi promittam, promissione etiam jurata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Pœccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, vel suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non pœccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V. imposita Beneficiariis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut

quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens: *commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem*, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, & moderni debet opinio censi probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

*Propositiones damnatæ ab eodem Alex. VII.  
die 18. Martii 1666.*

29. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque elemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsentis, & castrino.

36. Regulares possunt in foro conscientie uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato morta-

li, confitendi quam primum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicitur esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus, & pollutionis ulterioris.

41. Non est obligandus concubinarium ad efficiendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij vulgo *regalo*, dum deficiente illa nimis agræ ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alæ famulæ nimis difficile invenirentur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obligat ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annum legatum pro anima relictum non durat plusquam per decem annos.

44. Quoad forum conscientie, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti donec expurgentur possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

*Propositiones damnatæ ab Innocencio XI.*

*die 2. Martii 1679.*

1. Non est illicitum in Sacramentis confendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.

Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigore quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificare, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis

tenetur dare eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tritari, & de illius morte naturali gaudere illam inefficaci affectu petere, ac desiderare, non quidem ex displicencia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum, consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensam impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

24. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis: imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio Creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quoquomque alio fine, juret se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum; re vera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impediens, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere: sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injuste impediens.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur: ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub poena peccati mor-

talis restituere, quod ablatum est per pauca furtiva, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractatu retrovenditionis præviæ inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam presentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuuario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.

43. Exinde non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere.

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam prætium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale:

imo etiãsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, quis nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc digniores, non illud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, vel secundo locutione minus propria ponit dignioris, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona: & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; ideoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scilicet adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male retractetur, ne torvis aspiatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, & si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil teneretur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, et nota prædestinationis.

57. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessum, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult ommittere; quin imo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.



63. Licetum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini N. J. Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

*Propositiones duæ, damnatæ diversis temporibus.*

1. Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine penitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.

2. Licet per litteras, seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.

*Propositiones duæ ab Alex. VIII. damnatæ.*  
24. Augusti 1690.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actuum cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in suum finem ultimum interpretative, hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis.

2. Peccatum philosophicum, seu morale est

actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero, & morale est transgressio libera Divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non offensa Dei; neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

*Propositiones ab eodem Alexandro VIII. damnatæ.*

*die 7. Decembris 1690.*

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & de merito sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertati Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, alique hujus generis nullum omnino accipiunt a J. Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosus est, sic ut proinde merito possimus petere: a gratia sufficienti libera nos Domine.

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necessesse est infidelem in omni actu peccare.

9. Re vera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est, ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate, si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehenne, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, nec institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ plerumque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivant, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentiâ, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra Communionem, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat a B. Virginæ Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiget purificatione, & quod filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Cristiano in templo collocare.

26. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: *in nomine Patris*, cet. prætermis illis, *ego te baptizo*.

28. Valet baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *non intendo facere, quod facit Ecclesia*.

29. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infalibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. in *Eminentis* subreptitia. *Propositiones quinque de duello a Bened. XIV. damnatæ Const. edita an. 1752.*

1. Vir militaris, qui nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur: indeque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ, ac promeritæ, spe perpetuo carere deberet, culpa, & pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

2. Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratiæ, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secururam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit in Ecclesiasticas pœnas, ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux, vel Offi-

cialis Militiæ, acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famæ, & officii.

4. Licitum est in statu hominis naturali acceptare, & offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia Magistratus, justitia aperte denegatur.

#### DECRETA APOSTOLICA.

*Ad materiam morum spectantia, in compendium redacta.*

##### De Jejunio.

Bened. XIV. in spistola encyclica, data Romæ die 30. mensis Maji, quæ incipit: *non ambigimus* præscribit, a jejunio Quadragesimali nemini sine legitima causa, & de utriusque Medici consilio concedendam esse dispensationem: multitudini vero, veluti populo, aut civitati integræ, non nisi gravissima, & urgente necessitate cum debita Apostolicæ Sedis reverentia & facultate. Cum autem ab Ecclesia sic fuerit dispensatum, servandam esse unicam comestionem, & licitas, atque interdictas epulas promiscue non esse usurpandas.

##### Idem Bened. XIV.

In epistola encyclica 22. Augusti ejusdem anni. Declarat, unicam comestionem servandam esse, & licitas, & interdictas epulas non esse apponendas non solum cum integro populo justis  
Tom. II.

27. Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: *in nomine Patris*, cet. prætermis illis, *ego te baptizo*.

28. Valet baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *non intendo facere, quod facit Ecclesia*.

29. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infalibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. in *Eminentissimi* subreptitia. Propositiones quinque de duello a Bened. XIV. damnatæ Const. edita an. 1752.

1. Vir militaris, qui nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur: indeque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ, ac promeritæ, spe perpetuo carere deberet, culpa, & pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

2. Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratiæ, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secururam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit in Ecclesiasticas pœnas, ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux, vel Offi-

cialis Militiæ, acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famæ, & officii.

4. Licitum est in statu hominis naturali acceptare, & offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia Magistratus, justitia aperte denegatur.

#### DECRETA APOSTOLICA.

*Ad materiam morum spectantia, in compendium redacta.*

##### De Jejunio.

Bened. XIV. in spistola encyclica, data Romæ die 30. mensis Maji, quæ incipit: *non ambigimus* præscribit, a jejunio Quadragesimali nemini sine legitima causa, & de utriusque Medici consilio concedendam esse dispensationem: multitudini vero, veluti populo, aut civitati integræ, non nisi gravissima, & urgente necessitate cum debita Apostolicæ Sedis reverentia & facultate. Cum autem ab Ecclesia sic fuerit dispensatum, servandam esse unicam comestionem, & licitas, atque interdictas epulas promiscue non esse usurpandas.

##### Idem Bened. XIV.

In epistola encyclica 22. Augusti ejusdem anni. Declarat, unicam comestionem servandam esse, & licitas, & interdictas epulas non esse apponendas non solum cum integro populo justis  
Tom. II.

de causis conceditur jejunii dispensatio, sed etiam cum ob peculiâres causas singulis, vel alicui permittitur usus carniû, ovorum, cet.

*Idem Bened. XIV.*

In ep. encyclica, quæ incipit: *Libentissime*, data 10 Junii 1745. late agit de conservanda, vel redintegrandâ Ecclesiastici jejunii disciplina, & de dispensationibus generalibus pro oppidis, vel diocesisibus integris non nisi certa ratione, & gravibus de causis concedendis. Deinde inserit epistolam ipsius encyclicam ad Archiepiscopum Compostellæ, cujus initium est: *si fraternitas tua* 7. Junii 1744. in qua circa jejunium varias sibi propositas quæstiones dirimit. In ea vero declarat sequentia —

1. Eos, qui facultatem habent vescendi carnis tempore vetito, sub gravi teneri ad servandas geminas has condiciones, videlicet unicæ in diem comestionis, & non permiscendarum epularum.

2. Sic dispensatos ab abstinentia carniû non posse uti carne in vespertina refectiuncula, sed eo tantum cibo eaque potione, quibus utuntur jejunantes meticulousæ conscientiæ.

3. Illis horam jejunantibus præscriptam servandam esse.

4. Epulas *licitas* pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas, epulas *interdictas* esse pisces; adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdiciuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticiuia.

5. Præceptum de utroque epularum genere

non permiscendo complecti etiam dies Dominicos Quadragesimales.

6. Duo hæc præcepta, scilicet unicæ comestiones, & carnes piscibus non permiscendi, urgere extra Quadragesimam.

*Decretum Bened. XIV. de Usuris, aliisque injustis quæstibus.*

Bened. XIV. in Constitutione, quæ incipit: *Vix pervenit*, Romæ data die 1. Novemb. 1745. habita prius Cardinalium, & Theologorum Congregatione, sequentes propositiones probabit, & omnibus probandas decrevit.

1. *Usuræ* peccatum in eo positum est, quod ultra sortem aliquid lucri exigatur, vel accipiat ratione solius mutui. Itaque quicquid eo solum titulo sortem superat, illicitum, & usurarium est.

2. Ab eo peccato non excusatur, quod lucrum sit moderatum, vel exiguum, neque quod is, a quo lucrum ratione solius mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat: nec quod ille, cui pecunia mutua datur, eam in magnam sui utilitatem sit impensurus, cum ratio mutui in dati, & accepti æqualitate versetur. Hinc quicquid accipitur contra legem mutui supra sortem, restitutioni est obnoxium.

3. Non ideo negatur, posse quandoque una cum mutui contractu inesse alios titulos, sed mutuo extrinsecos, ex quibus justa oriatur causa quidpiam ultra sortem accipiendi: sicut & potest sæpe pecunia ab unoquoque sua ad honestam mercaturam, & negotiationem per alios contractus recte collocari.

4. Licet in his contractibus usura non sit, eo quod omne mutuuum tam opertum, quam apertum absit, possunt esse alia injustitiæ genera, quæ maxime cavenda sunt Christianis hominibus, qui ex oraculo Divino sciunt: *Justitia elevat gentes, miseros autem facit populos peccatum.* Prov. 14. 24.

5. Falso sibi, & temere quisquam persuasum erit, præsto semper esse hos titulos legitimos, quibus vel cum mutuo, vel secluso mutuo licite possit auctarium ultra sortem integram recipere. Nec ignorare Christianus debet, multis in casibus teneri ad mutuandum, Christo Domino edocente: *volenti mutari a te, ne avertaris.* Matth. 5. 42.

*De Missa Parochiali, & Conventuali.*

Idem Bened. XIV. in epistola encyclica, cuius initium est: *cum semper*, data XIX. Aug. 1744. decernit.

1. Omnes, & singulos animarum Pastores, sive Parochi sint, sive Vicarii etiam Regulares, Missam pro populo sibi credito applicare debere saltem singulis Dominicis, & aliis diebus festis de præcepto.

2. Nomine festorum dierum venire etiam eos, in quibus licitum est vacare operibus servilibus, sed cum obligatione audiendi sacrum.

3. In prædictis diebus non liceret Parochis pro Missa stipendium accipere, sed si illi vere pauperes sint, ab Episcopis posse dispensari, ut aliquibus festis diebus congruam eleemosynam Missæ accipiant, & pro eam offerente sacrificium applicent. Sed ea tamen conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro

populo applicent, quot in diebus festis ejusdem hebdomadæ pro alio Benefactore obtulerint.

4. Missam Conventualem, quæ in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis singulis diebus cani solet, pro earundem Benefactoribus quotidie applicari debere.

5. Reprobat abusum aliquorum Canonicorum, qui se munus suum satis implese putant; dum choro præsentibus assistunt, nec cantu aliis sese adjungunt, contra præscriptum Trident. Sess. 24. c. 12.

*Epistola Encyclica Bened. XIV. an. 1741.*

Prohibetur in ea sub pœna suspensionis, ne quilibet Sacerdos eleemosynam majoris pretii pro sacrificio accipiens retenta sibi parte ejusdem stipendii alteri Sacerdoti eleemosynam minoris pretii pro eadem celebranda tradat, etiamsi Sacerdoti Missam celebranti, & consentienti se majoris pretii stipendium accepisse indicasset. Prohibetur etiam laicis sub pœna excommunicationis, ne retenta sibi parte eleemosynarum, quas pro missis accepere, Sacerdoti celebranti aliam tantum partem eleemosynæ tradant.

*De Matrimoniis secretis.*

*Epistola Encyclica Bened. XIV. 17. Nov. 1741.*

In ea renovat decretum Tridentini præscriptis, ut antequam matrimonium contrahatur, a proprio contrahentium parochio tribus continuis diebus festis in Ecclesia inter Missarum solemnias publice denuntiatur: quæ denuntiationes non nisi gravi de causa judicio Episcopi sunt omittendæ. Nec nisi urgenti de causa secreta Matrimonia a Parocho permit-

tenda, vel contra voluntatem Parentum. Denique monentur Parochi, ut in libro, distincto a libro baptizatorum nomina contrahentium adnotentur.

*Decretum I. Bened. XIV.*

*Contra sollicitantes, & complices peccati turpis editum anno 1741.*

Renovat poenas a Greg. XIII. & Prædecessoribus impositas contra quoscumque Sacerdotes, qui vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, aut prætextu confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta, & turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint.

Monet Confessarios, ne poenitentibus, quos noverint ab alio Confessario sollicitatos, Sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius delinquentem ad Ordinarium, vel ad Inquisitorem denuntiaverint, vel saltem promiserint sese, cum primum poterunt, delaturos.

Eos autem, qui innoxios Sacerdotes per calumniam denuntiant, tanquam sollicitationis reos, declarat non posse absolvi nisi a R. Pontifice, extra mortis articulum.

Denique decernit, ne ullus Confessarius extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ip-

suis mortis articulo, & deficiente sunt quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicitis in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam. Sacerdos autem ita absolvens & in valide omnino absolvit, & incurrit poenam majoris Excommunicationis Papæ reservatæ.

*Decretum II. ejusdem Bened. XIV.*

*Contra eosdem Complices die 8. Feb. 1745.*

Declaratur, ad absolutionem complicitis perinde esse, nullum adesse Sacrodotem præter complicitem, ac revera eum tantum adesse, cum quo poenitens non possit confiteri sine infamiæ sue apud alios periculo. Itaque ad removendum scandalum potest Sacerdos complicitem absolvere in periculo mortis constitutum. Quod si Sacerdos scandalum effingat, aut infamiam, dam potest, non antevertat, valida quidem erit absolutio, sed incidet in poenas in præcedenti decreto inflictas.

*Decretum III. Bened. XIV.*

*Contra sollicitantes, & sacrificio Missæ abutentes, coram Cong. S. R. E. Cardinalium.*

Renovantur poenæ contra prædictos statutæ a Sixto V. & Greg. XIII. & insuper declaratur, abutentes Missæ sacrificio ad sortilegia, sicut & sollicitantes in Confessione inhabili-

tatem incurrere ad S. Sacrificii celebrationem.

*Decretum IV. Bened. XIV.*

*Contra Confessarios exquirentes nomen  
complicis, anno 1746.*

Confirmatur ejusdem constitutio, incipiens: *Suprema omnium Ecclesiarum*, in qua damnatur perniciosa quorundam Confessoriorum praxis, qui a pœnitentibus socii in peccato nomen exquiruntur, imo & locum habitationis ejus, quoque detestabilis est, etiam denuntiata ipsis, nisi revelent, absolutionis denegatione. Decernitur, ad sacrum Tribunal Inquisitionis esse denuntiandos Confessarios ejusmodi, dummodo tamen hujusmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumstantiis conjuncti sint, quæ sic agentem Confessarium de adhæsiōe ad prædictam reprobam praxim, tanquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant.

Quod si interrogatio ita nuda, simplexque fuerit, ut Confessarium pravum quidem, sed hæresis suspectum minime faciat, ejus delictum Inquisitoris cognitioni subjectum non erit, sed ab Episcopo puniendum.

*Constitutio Clem. XIII. 20. Dec. 1759.*

Confirmat ea, quæ circa jejunium præscripta sunt a Bened. XIV. Deinde vetat, ne ii, qui ab abstinentia carniū sunt dispensati, portiones lacte permixtas sumere possint extra unicam comestionem, qua excepta, vult illos in omnibus æquiparari iis, qui nullo pacto sunt dispensati.

FINIS.

**OBRAS NUEVAS**

que se acaban de recibir y se hallan venales en la libreria de DIAZ DE LOS RIOS, calle de Carretas, num. 33, frente á la Imprenta Nacional.

EN MADRID.

**Manual histórico-topográfico administrativo y artístico de Madrid**, por D. Ramon de Mesonero Romanos: nueva edición, adornada con láminas y un plano topográfico de Madrid: un tomo en 8.º á 24 rs. en rústica y 30 en pasta fina con relieves.

**Novelle morali di Francesco Soave**, aduva della gioventù, nouva edizione, accrescinta delle novelle morali di A. Parea e di L. Bramicri, e di otto Novelle di Autore incerto, nella quale si sono accentuate tutte le voci, per facilitare agli stranieri il modo d'imparare la prosodia della lingua italiana: 2 tomos en un volumen en rústica, año de 1843, 12 rs.

**La Gerusalemme liberata** di Torquato Tasso, con indice: un tomo con retrato, año de 1843, 10 rs.

**Diccionario italiano-español y español-italiano**, compuesto y fielmente recopilado segun la última edición del diccionario de la Academia española, y el vocabulario de la Academia de la Crusca por Cormon y Manni; nueva edición revista y aumentada por Blanc; año de 1843: dos tomos en un volumen, 34 rs. pasta.

**Diccionario español-francés y francés-español**, conforme con los mejores diccionarios de las dos naciones. Contiene todas las voces autorizadas, las frases familiares, los proverbios mas usados, y muchas acepciones que no se hallan en los diccionarios de Nuñez de Taboada, Martínez Lopez, Morel etc.; por S. H. Blanc; primera edición de 1845: dos gruesos volúmenes en 8.º rústica, 40 rs.

**Arte de la correspondencia comercial**, ó modelos de cartas para toda especie de operaciones mercantiles; para el uso de los que se dedican al comercio: en francés y castellano; tercera edición: un tomo en rúst., 12 rs.

**Le Maître d'Espagnol**, ou elemens de la langue espagnole, à l'usage des français, rédigés d'après la grammaire de l'Académie espagnole, et avec nouveau système



d'orthographe; suivis de dialogues amiliers, et d'un choix de différents morceaux extraits d'auteurs espagnols, par Cormon: un volumen en rústica, 12 rs.

**Diccionario portátil** español-inglés é inglés-español, compuesto sobre las últimas ediciones de Neuman é Ba retti: dos tomos en un volumen pasta, 30 rs.

**Nueva gramática francesa**, compuesta para el uso de los españoles, y consultada con los mejores autores; por D. Ramon J. Dominguez, profesor de lengua francesa en esta corte. Obra declarada útil por la Excm. Direccion General de Estudios, para la enseñanza, como consta de la Gaceta de 18 de noviembre de 1844. Segunda edicion, corregida por su autor; 1845: un tomo en 8.º marquilla, 16 rs. en rústica y 20 en pasta.

**Gramática Italiana**, reducida á veinte lecciones con sus respectivas prácticas, diálogos y una coleccion de trozos históricos por Vergani; acomodada á la lengua española por Rementería y Fica: un tomo en pasta, 10 rs.

**El Pastor Fido**, tragicomedia del cavalier Giovan Guarini: un tomo en 12.º rústica, 12 rs.

**Nuevo Diccionario de bolsillo**, español-francés y francés-español, por Berbrugger; última edicion corregida y aumentada: dos tomos en un volumen pasta, 30 rs.

**Diccionario francés-español y español-francés**, conforme con los mejores diccionarios franceses. Contiene todas las voces autorizadas por el uso, las frases familiares, los proverbios y mas de 10,000 voces y 10,000 acepciones nuevas que no se hallan en el de Taboada; por Martinez Lopez: dos volúmenes en 4.º pasta, 70 rs.

**Intérprete anglo-hispano**, ó sea tratado práctico de las lenguas inglesa y española, acomodado al uso respectivo de ambas naciones; por G. Casey: un tomo en 4.º pasta, 38 rs.

**Diccionario manual latino-español**, dispuesto para el uso de los jóvenes que estudian la lengua latina; por Don Esteban Jimenez, corregido y aumentado en esta nueva impresion con la parte mitológica y otras voces de que carecia, por D. Antonio Martin de Heredia, profesor y catedrático de latinidad en esta Corte: un grueso volumen en 4.º de 843 páginas, 38 rs. en pasta.

**Nuevo epitome de gramática latina**, ó método seguro para enseñar el latin á un principiante, dispuesto sobre el que compuso en lengua portuguesa Fr. Diego de Mello, profesor de lengua latina en Lisboa. Variado y aumentado considerablemente por D. Luis de Mata y Araujo. Quinta edicion: un tomo, 8 rs. en pasta.

